


J. ANDREAE MVRRAY

EQVITIS ORDINIS R. DE WASA
M. BRITANN. REGI A CONSIL. AVL. MEDIC. PROFESSORIS P. O.
HORTI R. BOTAN. PRAEFECTI, SOCIETATVM SCIENTIARVM
STOCKHOLM. GOTTING. VPSAL. GOTHENB. LVND. FLORENT.
LVGDVN. ET BATAVO-FLESING. MEDICARVM PARIS.
NANC. ET HAFN. ATQVE OECONOMICARVM BERN.
CELL. ET GEORGOPHIL. MEMBRI

OPVSCVLA

IN QVIBVS

COMMENTATIONES VARIAS

TAM MEDICAS

QVAM

AD REM NATVRALEM

SPECTANTES

RETRACTAVIT EMENDAVIT AVXIT

CVM FIGVRIS AENEIS

VOLVMEN SECVNDVM

GOTTINGAE
APVD JO. CHRIST. DIETERICH
1786.



PERILLVSTRI

REGIAE SOCIETATI MEDICAE

PARISIENSI

QVAE

OPERIBVS AVSISQVE PRAECLARISSIMIS

VINDICEM EGIT

GENTIS SVAE IN RE MEDICA EXISTIMATIONIS

CVIVS LAVDEM

IN CHIRVRGICA

VLTRO IAM DVDVM CELEBRARVNT

EXTERI AEQVI

SECVNDVM

OPVSCVLORVM

VOLVMEN

INSTAR PIGNORIS

OBSERVANTIAE PERENNIS

CONSECRAT

AVCTOR

TITVLI COMMENTATIONVM VOLVMINIS SECVNDI.

XI.

DE

ASCARIDE LVMBRICOIDE

L I N N.

VERMIVM INTESTINALIVM

APVD HOMINES

VVLGATISSIMO

DE
ASCARIDE LVMBRICOIDE
LINN. *)

§. 1.

Serius enituit naturae ſcrutatorum in vermium hiſtoria expolienda ſagacitas, quam reliquorum animantium, et adhuc in multis eiusdem momentis ceſpitat, ſiue characteres, quibus ab affinibus haec animalium claſſis diſtinguitur, conſideres, ſiue diſcrimina, quae ordinem, genus vel ſpeciem, condunt, ſiue ſpecierum numerum. Innumera inſuper nos latent de ſtructura horum interna, generationis modo, genio, vitae genere.

Poſſem hoc, niſi prolixitatem nimiam metuerem, multis exemplis comprobare. Ex hiſce eluceſceret, eſſe vermes, qui loco ſaniei albidae verum ſanguinem rubrum vehant, alium quendam *a*), cuius arteria rubrum, vena album, contineat;

*) Diſſertatio acad. a. 1779. publici iuris facta.

a) Nais digitata MÜLL. deſcripta in EIVSD. *Verm. terreſtr. ac fluuiatil. Hiſt. Vol. I. P. 2. p. 23.*

tineat; non male quibusdam caput adſcribi, ratione vel habita oris, vel organorum ſenſoriorum quorundam, guſtus ſcilicet ab ore vix ſeparandi, viſus ſiue tactus, cui inſeruiunt tentacula, vel prominulae cuiusdam partis antice conſpiciendae, vel confluxus cuiusdam cirrhorum, pilorum, barbae rel. antice notabilis, vel extremitatis progreſſus initium capientis, licet vix vlli vermium cerebrum loco quodam protuberante, vt in perfectioribus animalibus, collectum ſuisque organis ſenſoriis inſtructum, tribui poſſit, quum vermibus potius ſubſtantia medullae ſpinali analoga competat. Pateret inde, non omnes vermes pedibus deſtitui, ſed in quibusdam horum vicibus ſetas perfungi; quosdam eſſe hermaphroditos, alios ſexus duplicis, quosdam viuiparos, alios, et plerosque quidem, ouiparos; amplioris ambitus, quam vulgo creditur, eſſe mirabilem illam eorum propagationem, quae diuiſione transuerſa partium vel natura vel vi abſoluitur, et redintegrationem membrorum illis ablatorum. Conſtaret porro, aliquot vermes, a LINNEO ad Inteſtina ſua relatos, maiori iure Molluſcis adſociari; non ſatis aptum eſſe cl. ADANSON aliorumque quorundam conſilium, conchylia ſecundum vermis latentis indolem diſponendi, quum de multis teſtaceis vera vermis forma adhuc lateat, rara inſuper opportunitas contingat, vermem ſuccoſum in teſta examinandi, et indago vermis ſaepe haud ſine elegantiſſimae teſtae diffractione vel iactura fieri poſſit; nec Lithophyta ad Hydras vel Nereides rel. reduci poſſe, niſi examen in locis natali-

natalibus inſtituatur, vbi vermiculi lapideam materiem inhabitantes ſuccoſi et expanſi ſunt. Quantum vero inconſtantiae adhucdum obtineat in generum ac ſpecierum limitibus conſtituendis, mox apparebit cuilibet, vel vnice *Elenchum Zoophytorum* ill. PALLASII et *Hiſtoriam vermium terreſtrium et fluviatilium* ill. OTT. FRID. MÜLLERI cum ſyſtemate b. LINNEI conferenti. Specierum numerus, prout in generibus diu iam cognitis poſteriori tempore inſigniter creuit; ita nominatim infuſoriorum vermium tribus recentiori multorum ſtudio valdopere aucta, qui vermes tam deſpecti adeo habiti, vt ſerius longe, quam alii, indicibus vniuerſalibus mandarentur.

Sed non eſt, vt ob hoſce reliquosque ſupra indicatos defectus oſcitantiae indagatores naturae reos faciamus, ſed horum cauſſae in ipſa vermium indole potiſſimum quaerendae. Obſtacula haud exigua parit polymorpha eorum natura, exigua multorum moles, difficilior exſtincta vita conſervatio. Maximam vero difficultatem pariunt remotiſſima et alieniſſima a noſtris vermium habitacula, dum nimirum vel ex oceani abyſſis vel abditis terrae cryptis petendi ſunt, vel putrido fomite delectantur. Multi quoque non niſi extiſpiciis animalium diuerſiſſimae naturae, praeſertim piſcium, vel ſpontaneo ex hiſce ſeceſſu, innotuere.

§. 2.

Sed de vermibus in inteſtinis hominum nidulantibus iure quodam noſtro videmur accuratiorem et certiorem notitiam, quam de vlla alia vermium tribu expoſcere poſſe, ſiquidem hoſce, vt vulgatiſſimam morborum cauſam, cuilibet medicorum ſcrutandi, tam apud aegros, quam in cadaueribus, commodiſſima occaſio ſuppetit, nec ea illis exilitas corporis contingit, quae tot aliis. Negari etiam nequit, ſub felici iſto hiſtoriae naturalis cum medicina connubio, quod recentiori aetate merito arridet, multa de horum ſtructura, vitae genere, propagationis modo, rel. in lucem fuiſſe producta, quae antea delituerant, erroresque multos fuiſſe diſcuſſos, qui antiquitus de hiſce inualuerant, vlteriori adeo ſagacitate ſpecies quasdam nouas inteſtinales praeter vulgo cognitas fuiſſe detectas. Aſt dolendum nihilominus, in horum cognitione multas adhuc ſupereſſe lacunas, et ſuper variis momentis ambiguum reddi animum diuerſitate effatorum virorum, aliis nominibus celebratiſſimorum.

An eaedem ſpecies, quae in primis viis hominum ſedem figunt, etiam extra corpus humanum vel apud bruta vel in rebus vita caſſis vere reperiantur, niſi de omnibus, certe de quibusdam, adhuc diſputatur. Quidam admittunt de vna vel altera ſpecie in brutis quoque occurrere, alii, ne hoc quidem concedentes, hominum inteſtinis hoſce vermes peculiares eſſe ſuſtinent. Aſcaridem vermicula-

micularem LINNEVS *b*) in paludibus, in radicibus plantarum putrefcentium, vti et in inteftino recto equorum, obuiam venire afferit, in pifcibus, Gado Callaria et Gado Lota, Suecus quidam medicus, FAXE *c*): fed ill. PALLAS *d*) ortum Afcaridum minutarum valde incertum pronuncians, eas a vermibus bulbos plantarum depafcentibus et paluftribus diftinguit, et adhuc ferius diligens harum obferuator cel. PHELSVM *e*) maxime dubitauit, an vnquam iftae extra animale regnum procreentur. Hifce inteftina tantum craffa, nominatim rectum, vulgo fedes tribuuntur: fed et afcendiffe in ipfum ventriculum infignem earum cateruam vomitu, per fal vefcum copiofe ingeftum fufcitato, memorabile exemplum legitur *f*). Dum LINNEVS Taeniam in ochra acidulari Iaernenfium, TISSOTVS in fonte quodam Heluetico, MENNANDERVS in palude, VNZERVS in puteo, fe confpexiffe referunt; alii *g*), Taenias animalibus genuinas declarantes, arbitrantur iftas ab animali quodam illuc excretas, vel ex inteftinis pifcium profectas, et dubitant, an in aqua vitam fuam producturae fuiffent. Sectio cadauerum, et Taeniarum per vomitum non omnino rara expulfio,

 pariter

b) *Syft. nat. T. I. Ed. 12. p. 1076.*

c) *Provinc. med. Berättelfer, Fortfättning p. 282.*

d) *Diff. de infeftis viuentibus intra viuentia* in *Thef. Diff.* SANDIF. *Vol. I. p. 259.*

e) *Hift. phyfiol.. afcarid. p. 73.*

f) *Medical Transactions, Vol. I. p. 53. feq.*

g) PHELSVM *l. c. p. 73.* PALLAS in *n. nordifch. Beyträgen, Vol. I. p. 41. fq.*

pariter docent, eas non craſſa tantum inteſtina inhabitare. Mouebantur adhuc ante aliquot annos dubia contra vulgarem ſententiam, quod vermes cucurbitini non niſi articuli Taeniae disiuncti ſint, iſtique ſua, quod minus credibile, ſpecie diuerſi reputabantur *h*). Et licet ſint, qui ſingularem articulum in integrum vermem ſuccreſcere poſſe putant, nuperrimis tamen effatis confirmatur, quod LINNEVS iam a. 1748. apertis verbis declarauit, incrementum Taeniam capere in extremo tenuiori nouis articulis in conſpectum prouenientibus, ſiue iam exſtiterint minutiſſimi, ſiue ſerius ex germine latente protrudantur.

Notiſſima ſunt de Taeniae capite diſcidia: non amplius quidem litigamus, qualis pars ita dicenda ſit, ſed etiamſi in quadriga tuberculorum veram eius naturam iam ponamus, in omnibus tamen ſpeciebus hactenus detegi non potuit, (e. g. non in Taenia vulgari LINN.), nec certo adhuc conſtat, an intra haec vel in horum faſtigio oſcula exſtent; ita nondum plane euictum, quod oſcula articulorum modo transmittant oua, nec iisdem ſimul et vis nutrimentum hauriendi, quod valde probabile, competat *), vt de aliis ſententiarum divortiis et lacunis, quae adhuc ſuperſunt in Taeniarum hiſtoria, nihil dicam. Fac vero, ſingulas ſpecies vermium inteſtinalium et extra corpus huma-

h) Vid. e. c. CONSOLIN in *Journ. de med. T. 20. p. 445.*

*) Vid. ill. PALLAS ſolida argumenta in *n. nord. Beytr. Vol. 2. p. 69. 72. ſq.*

humanum fuiſſe viſas, et, prout vulgo exiſtimatur, cibo potuque vel ouorum vel minutorum vermium forma inteſtina noſtra ingredi: memorabile tamen, praeter Faſciolae duo exempla, quorum vnum recenſuit Eques A ROSENSTEIN *i*), alterum MONTINVS *k*), et praeter Gordium, nullam aliam ſpeciem vel in cibo culinaria arte praeparato, vel in potu hauſtui deſtinato, repertam. Nonne iam ex hocce argumento, vt alia multa grauia hic reticeam, valde probabile fit, quod recentiſſimi helminthologi tantopere vrgent, vermes vel eorum oua nobis connata eſſe. Interim etiam audiendus ill. PALLAS *) eſt, qui non dubitat, oua quoque vermium extra corpus diſſeminari poſſe, absque iactura vitae ſuae varias mutationes ſuſtinere, et dein, quando cum cibo potuque iterum in commoda corpora delata fuere, in vermes ſuccreſcere. Ad generationis vermium et vitae generis abditas leges enucleandas anatome omnino quam plurimum confert: ſed ſi vnicam Aſcaridem lumbricoidem excipias, in cuius ſtructuram iam dudum ſollerter inquiſitum eſt, de reliquorum fabrica, microſcopio et artificioſa ſectione eruenda, non niſi proximis hiſce annis accuratiora cognouimus, vt tamen ſuperſint vermes, e. c. Faſciola, Gordius, quorum interna ſtructura nos adhuc latet, et in ipſa Aſcaride lumbricoide adhuc ſexus diuerſitas ill.

A 5 MÜLLERO

i) *Von d. Kinderkrankheiten*, *Ed.* mea *4. p. 46.* et *nota ſubiecta.*

k) *Vet. Acad. Handl. 1763. p. 115.*

*) V. *n. nord. Beyträge Vol. 2. p. 80.*

MÜLLERO dubia videatur. Attamen haec animalcula ob noxas, quas generi humano inferunt, ſi quae vnquam, SWAMMERDAMIORVM indagine digniſſima ſunt.

Practicis praeterea non leue in diagnoſi incommodum parit, quod vermes tot mala pariant, quae ſaepenumero a cauſis longe diuerſis oriuntur, ita vt pro axiomate iure habeatur, nullum fere morbum, vtut grauem, exiſtere, quin natales ſuos a vermibus ducere poſſet; vnde, ſi qua ſubitanea atroxque aegritudo absque alia notabili cauſa incidit, vel morbus natura ſua mitis inſolitorum ſymptomatum ſatellitio ſtipatur, ſagacior quilibet ſuſpicionem latentium vermium concipit. Imo etiamſi vulgares maxime iſtae moleſtiae ex vermibus, vt pruritus narium, annulus coeruleus circa oculos, ſaliuae affluxus iuſto copioſior ad os, pavor in ſomno, mutabilis faciei color, foetor oris, fames dira ante ientaculum captum, intumeſcentia abdominis, colici dolores, conuulſiuae affectiones, reliqua, ſentiantur: hactenus non licet ex hiſce ſolis ad veram vermium praeſentiam concludere, donec per os vel aluum vere reiectos fuiſſe conſtiterit. Taenia nominatim easdem multiformes ſcenas excitat, quae in malo hyſterico vel hypochondriaco alias occurrunt, tantoque facilius imponere etiam peritioribus medicis poteſt, quoniam diu ſaepe ſine partium vel articulorum aliqua ſeparatione intra canalem inteſtinalem nidulatur. A ſimilitudine ſine dubio cum pruritu infimae inteſtini

recti

recti partis, perinaei et genitalium vtriusque ſexus ex Aſcaridibus, Aſcaridodea HIPPOCRATIS *l*) nomen ſuum traxerunt. — Et quum experientia conſtet, non vnam eandemque medelam cuilibet vermium ſpeciei tollendae ſufficere, optabile quam maxime eſſet, ſymptomata habere perſpecta, quibus altera ſpecies ab altera diſtinguatur; ſed et haec hucusque nos deficiunt.

§. 3.

Quidquid vero horum defectuum ſit, nullus aegrius naturae obſeruatoribus condonatur, quam quod, ne in ea quidem ſingularium vermium inteſtinalium momenta ſufficienter inquiſiuerint, vel in iis non omnino conueniant, quae extrinſecus obuia ſponte quaſi oculis ſeſe exponunt, et ad diſcernendam rite ſpeciem faciunt, qua in re ſi qua labes obtinet, hiſtoriam totam vermis mancam futuram, nec ſymptomatum modum cauſamque iuſte poſſe explicari, nec ipſam curationem niſi infirmo fulcro inniti, ſponte intelligitur. Valet hoc praecipue de verme, qui Lumbricus a practicis dici ſolet.

§. 4.

Veterum in cognitionem non niſi tres vermium inteſtinalium ſpecies venerunt; quo in numero medici tantum non omnes ad LINNEI vsque tempora ſubſtiterunt. Suntque hi

1) *Lum-*

l) Vid. BRENDELII *Progr. Aſcaridodea Hippocratis interpretans.*

1) *Lumbricus*, qui vel ſimpliciter ita vocatur, vel, quod conſuetius, *Lumbricus teres*, item, quod non ſatis apte, *Lumbricus rotundus* denominatur, Graecis Ἑλμινσ στρογγυλα, vnde nomen Gallicum le Strongle ortum; Aſcaris lumbricoides LINN.

2) *Taenia*, ſiue *Lumbricus latus*, Graecis Ἑλμινς πλατεια; cum *Vermibus cucurbitinis*, quos ſimilitudine Σικυȣ σπερμα referre iam annotauit HIPPOCRATES. Et pauci modo anni effluxerunt, quod de Taeniarum ſtructura functionibusque partium cum propagationis et incrementi vermium modo certiora cognouerimus, intra quod temporis ſpatium obſeruationes ſollertiſſimae PALLASII, MÜLLERI, BLOCHII, GOEZII, WERNERI, in publicam lucem prodiere, quorum quoque cell. virorum operoſae indagini debemus, quod quatuor Taeniae ſpecies a LINNEO deſcriptae et hominum inteſtinis adiudicatae, ſcil. *Solium*, *vulgaris*, *lata*, *canina*, multarum aliarum in animalibus repertarum ſodalitio locupletatae ſint.

3) *Aſcaris*, Ασκαρις, quod nomen male in vermibus cucurbitinis deſignandis COVLETVS adhibuit; Aſcaris vermicularis LINN.

Sed ſerius hoſpitum horum infeſtorum numerus auctus.

4) Acceſſit LINNEO auctore Lumbrici terreſtris Varietas γ, *Lumbricus inteſtinalis* LINN.

5) *Faſcio-*

m) *Syſt. nat. Ed. 12. Tom. I. p. 1323.*

5) *Fasciola intestinalis* LINN. autem iam a. 1748. in Dissertatione de Taenia *n*) inter reliquos vermes significata prodiit, licet rarissime apud homines exstare referat, quae tamen raritas certe in Hallandia et Scania locis sylvestribus, vbi copia piscium lacustrium vescuntur, non locum habet *o*).

6) *Gordius*, qui argillaceo LINN. simillimus excepto colore, vtqui in humano niueus, non vt in altero flauescens, est, cl. medici ANTONII ROLANDI fil. MARTIN *p*) tristi praecipue in proprio corpore experientia confirmatus.

7) Inter omnes vero vermes rarissime et serissime Trichuridis RÖDERERI mentio facta est.

Omitto ex intestinalium censu mirum quendam vermem longitudinis 18 ad 20 pollicum et, vbi latissimus est, pollicis sesquialterius diametri, teretem, versus extrema angustiorem, instructum capite graciliori oblongo antrorsum complanato, ore triangulari, articulis vltra duas lineas amplis et quasi inflatis, sanguine scatentem, quum hic ipse hepatis potius quam intestinorum incola censendus sit. Nam licet ille post dirissimos dolores aliasque graues affectiones vno exemplo *) vita aegri superstite et subsequente sanitate per aluum secesserit, alio

n) *Amoen. acad. Tom. 2. p. 63.*

o) MONTIN in *Vet. Acad. Handl. 1763. p. 115.*

p) Vid. *Vet. Acad. Handl. 1771. inde a pag. 261.*

*) PAISLEY in *Medical Essays and Obs. of Edinb. Vol. 2. p. 333. sqq. Tab. 4. fig. 1. 2.*

alio *) morte post biduum pedissequa; in isto tamen icterus praecessit, et in hoc hepar exesum apparuit, et ductus hepaticus et choledochus valde dilatatus. Non memini plura similia exempla mihi obuiam venisse, praeter illud non satis accurate descriptum a CYPRIANO MAROJA apud CLERICVM **), qui ipse MAROJAM reprehendens, quod pro verme habuerit, polypum declarat. Licet me quidem non lateat, polypos saepe obseruatoribus imposuisse, vt vermes conspicere se crederent: longe magis artificiosa horum hospitum structura tamen apparet, nisi in descriptionibus vel iconibus vitium subsit, quam vt polyposa istis natura tribui posset.

§. 5.

In hoc vermium numero magna intercedit similitudo inter Fasciolam dictam et Taeniam, quae vtraque plana est, itemque versus alterum extremum insigniter angustatur; vnde historiam, quam de Taenia viua, in pisce Brama cocto per prandium cum aliis hospitibus conspecta, ill. A ROSENSTEIN narrat (vid. §. 2.), ad Fasciolam ill. A LINNÉ q) refert. Sed in Taenia articuli adsunt, in Fasciola desunt. Maiori vero adhuc similitudine iunguntur Lumbricus (praecipue si et de terrestri sermo sit) et Ascaris lumbricoides. Quae tanta est, vt et celebratissimi

*) BOND in *Medical Observ. and Inquiries Vol. I. p. 68. Tab. 2. fig. 2.*

**) *Hist. lator. lumbric. p. 280.*

q) *Syst. nat. Ed. 12. T. 1. p. 1078.*

ſimi naturae indagine viri plerique vel in digno-ſcendis iis vermibus impegerint, vel ſaltim omiſe-rint in ſcriptis notas, diſcernendis iis omnium re-liquarum aptiſſimas. Vnde partes, quae vni horum tantum competunt, ſaepe et alteri affinguntur, et alteruter effectuum malignorum quorundam in cor-pore noſtro reus fit, qui ob fabricam diuerſam ab eo concitari nequaquam poſſunt. Conueniunt ſci-licet longitudine praecipue et figura tereti inter ſe-ſe quam maxime. Quibus vero momentis diffe-rant, in ſequentibus iunctim ſignificabo.

§. 6.

Lumbricum terreſtrem (Germanis Regenwurm) et vulgatiſſimum iſtum vermem teretem ſpithamae circiter longitudinis, in inteſtinis nidulantem (Ger-manis Spuhlwurm), notum eſt ill. LINNEVM *r*), non ſpecie ſed varietate tantum differre, ſuſtinuiſſe. Varia quidem contra arctiſſimam hanc cognationem mota ſunt dubia, in quae quilibet ſine amplo ſcru-tinio incidere poteſt, ſcilicet cingulum iſtud, ple-rumque in terreſtribus obuium, deeſſe vulgari in-teſtinali, hunc proxime dictum eſſe attactu rigi-diorem, non ita arctare et viciſſim expandere poſſe annulos ac alterum, non colore bruno ſed ex albido carneo tinctum eſſe, deſtitui demum ſetis in ter-reſtri haud aegre in inferiori eius ſecundum longi-tudinem parte conſpiciendis. Sed ſunt, quae re-geri contra haec poſſe aliqua ſpecie veritatis viſa fuerunt. Quod ad cingulum dictum Lumbricorum terre-

r) *Syſt. nat. p. 1076. Amoen. acad. Vol. 5. p. 134.*

terreſtrium, extremo antico propius, attinet: LINNEVS illud maunlt dici annulum carnoſum, rectiſſime autem ephippium dicitur, quoniam deorſum corpus eo non tegitur. Hoc licet plerumque vermes hi inſtruantur, non tamen perpetuo in hiſce adeſt. Mihimet ipſi aliquoties Lumbrici terreſtres obuenerunt, quauis ephippii nota deſtituti, idemque contigit aliis *). In ambiguo autem relinquo, an ab anni tempore hic defectus dependeat, an ab aetate tenella, quod quodammodo eo probabile fit, quod minoris magnitudinis hi, quos vidi, vermes erant, et ephippium hocce tanto manifeſtius eſt, quo maior vermis exiſtit; vel an coëundi tempore modo adſit s). Imo ephippio non omnem vermem teretem inteſtinalem carere, patet ex obſeruationibus cl. VAN PHELSVM t) et VAN DEN BOSCH u), quorum ille exemplum eiusmodi delineat, hic ſemel ſimile ſe vidiſſe refert. Victus, temperies aëris et ratio habitaculi, in quo verſantur, colorem et mollitiei corporis gradum mutare poteſt, prout REDI v), Lumbri-

*) MÜLL. *verm. terreſtr. et fluuiatil. Hiſt. Vol. I. P. 2. p. 23.* WICHMANN in *Beſchäftig. d. Berl. Geſellſch. naturf. Freunde, Vol. 3. p. 231.* BLOCH *Abhandl. v. d. Eingeweide-Würmern, p. 29.*

s) In tenellis vermibus non praeſto eſſe et tempore coeundi modo comparere, auctor eſt cl. BLOCH (*l. c.*): aſt rariſſime in maioribus deficit hoc cingulum, vt, ſi iſta obſeruatio vera ſit, per totum fere annum coitum ab iis exerceri, crederes.

t) *Verhandeling over de Wormen, p. 163. Tab. 5. ex citatione cl.* V. D BOSCH.

u) *Hiſt. conſtit. vermin. p. 12. ſeq. in nota.*

v) *Obſerv. circa animal. viv. in corp. animal. viuor. p. 156.*

Lumbricos terreſtres ex mora ſedecim ad viginti dierum in aqua albidos euaſiſſe, dein in terram iterum immiſſos priſtinum colorem recuperaſſe, obſeruauit. Setarum autem Lumbricorum terreſtrium vera indoles haud ita pridem modo rite innotuit. Indagine enim mea *x*) conſtitit, non trifariam eos, vt LINNEVS voluit, nec quadrifariam, vt RAIVS, WILLISIVS, PALLAS, eſſe aculeatos, ſed octifariam, hoc eſt, quatuor paria ſetarum ſubtus decurrere per totum corporis tractum excepto ephippio, hasque non retrorſum dirigi, ſed triplicem plagam reſpicere, et ita eſſe mobiles, vt lumbricus mox easdem emittat, mox retrahat. Ab harum ſetarum praeſentia b. LINNEVS argumentum adeo combinandi terreſtres et inteſtinales Lumbricos deſumſit: quum contra ea alii in inteſtinalibus teretibus longis ſetas iſtas nunquam ſe conſpexiſſe aſſeuerant; e. c. TYSON *y*), PALLAS *z*), et b. VOGEL *a*). Sed ex reliquis notis ab iſtis additis, non varietatem Lumbrici terreſtris, ſed Aſcaridem lumbricoidem LINN., iſtos cell. viros ante oculos habuiſſe, manifeſtum eſt.

§. 7.

x) MVRRAY *Obſeruat. de vermibus in lepra et lumbricorum ſetis*, *p.* *67. ſq.* Vid. et infra *Opuſc. Vol.* 2. Commentatio *20.*

y) *Phil. Trans. Vol. 13. p. 153.*

z) *Diſſ. cit. in Coll.* SANDIF. *p. 259. 260.*

a) *De cognoſc. et curand. morb. p. 644.*

§. 7.

Quum igitur tam facile ſit, in dignoſcendo vtroque verme errorem committere: ſciendum, *Lumbricum verum* eumque terreſtrem vno extremo eſſe manifeſte obtuſum, altero acuminatum, ſi extenditur, omnino quidem eſſe teretem, ſi autem contrahitur, ſubtus eſſe planiorem, quin, verſus obtuſius extremum ſ. poſticum, angulatum, ſegmentis conſtare, ſecundum LINNEVM centum, ſecundum aliorum computum autem pluribus, ephippio plerumque cingi eum locum occupante, quem, ſi deficeret illud, annuli 26tus et ſequentes ad 30-mum occupaturi eſſent, ſetis demum numeroſis ſignificatis conſtare. Hae notae cuilibet attentiori mox et ſine operoſo illo ſcrutinio ſeſe repraeſentant, et ſufficere poterunt, ita vt non opus ſit, alias magis abditas perſequi. Quoniam vero icon accurata ad cognitionem huius vermis plurimum confert, citare licebit eam, quam ipſe adornaui nec fide nec elegantia deſtitutam *b*). Auctoribus vero, qui de eo egerunt, colligendis peculiarem operam impendit cel. MÜLLER *c*). Sed praeter dicta diſcrimina externa, quoad ſexum et internam ſtructuram, multa in lumbrico terreſtri alia ſunt. Hermaphroditici generis eſſe, dubio vacat. Viſcerum internorum eiusdem ſitum, figuram, functiones, penitius cognoſcere qui geſtiant, hiſce ſatisfaciunt diligentiſſime haec omnia ſcrutati WILLIS *d*) et

REDI

b) Vid. *Obſ.* meae *cit. Tab.* 2. et *Opuſc. l. c.*

c) *Verm. terreſtr. et fluuiatil. hiſt. Vol.* 1. *P.* 2. *p.* 24.

d) *Exercit. de anim. brut. p.* 21. *ſq. Ed. Genev.*

REDI *e*), quorum pofterior etiam teftatur, a vermibus figura fimilibus, in hominum vel animalium inteftinis obuiis, haec vifcera difcrepare infigniter, affentiente ex propria autopfia ill[ri] VAN DOEVERN *f*).

§. 8.

Transgredior ad *Afcaridis lumbricoidis* LINN. defcriptionem, eam praecipue, quae practicum vfum fecum fert, de genere ipfo primum dicturus.

Non dubito illi characteri generico fuffragari, quem ill. A LINNÉ *g*) in medium protulit, corpore nempe tereti filiformi, vtraque extremitate attenuato, hoc genus diftingui. Cel. MÜLLER *h*) vocat generatim vermem altera extremitate attenuatum, quae defcriptio eatenus mihi nonnihil difplicet, quod et ad Lumbricum terreftrem applicari poteft. Fateor, hoc genus vermes coniungere ore diuerfos, fed nihil ad rem, quum difcrimina ifta in quibusdam fine microfcopio non detegantur, et omnino notae iftae praeferendae, quae oculo fponte fua fefe reprefentant.

§. 9.

In Syftemate LINNEI mentio fit tantum duarum eius fpecierum, quae ipfae funt:

 1.) *Afca-*

e) *Obferv. circa animal. viuent. p. 132. fqq.*
f) *Diff. de verm. inteftinal. p. 14.*
g) *Syft. l. c. p. 1076.*
h) *L. c. p. 34.*

1.) *Aſcaris vermicularis;* pollicaris LINN. *Syſt. nat. p.* 1076. Pollicis igitur longitudinem modo pro differentia ſpecifica notauerat. Equidem dicere eam mallem *pollicarem ſeta caudae nulla.* Caudam itaque eius dubito ſetaceam cum MÜLLERO vocare, ſed maiori iure arbitror ſubulatam poſſe dici, qua voce in deſcriptione etiam ven. GOEZE vtitur. Ample hancce inteſtini recti vulgarem hoſpitem tam phyſiologice quam pathologice deſcripſit cl. PHELSVM *i)* et adiutus microſcopio figuras quoque eius praeſtitit, praecedentibus omnibus elegantiores. Huius ope finem anticum reperit craſſiorem altero et non nihil obtuſum, quae tamen diuerſitas non pugnat contra characterem generis, quum gradus attenuationis extremorum varius eſſe poſſit, ipſe praeterea PHELSVM vermem media parte craſſiſſimum agnoſcat, et extremorum iſta diſcrepantia vix nudo oculo appareat. Aliorum vero momentorum, quae extrinſecus comparent, varia eum vel perperam obſeruaſſe vel plane neglexiſſe, nuperius cel. GOEZE *) nos edocuit. Sic cl. PHELSVM ori aperturam transuerſam tribuit, quum e contrario vermis antice tribus tuberculis et canali ſuctorio terminetur; et fini poſteriori articulos et ſecundum vnicum exemplum aliquid pedunculorum ſimile adſcribit. Quod vtrumque illis denegat oculatiſſimus GOEZE. Hic inſuper ſexum diſtinguere voluit, interna viſcera ſollertiſſime ſcrutatus, vnde et colligitur vermem hunc viuiparum eſſe.

2.) *Aſca-*

i) *Hiſtoria phyſiologica aſcaridum, cum figg. Leovard.* 1762. item *Hiſt. aſcaridum pathologica*, 1765.

*) *Verſuch e. Naturgeſchichte der Eingeweide-Würmer. p.* 97. 102. *ſqq. Tab.* 5.

2.) *Ascaris lumbricoides;* spithamea. LINN. *l. c. p.* 1076.

Ascaris antice acuminata. MÜLL. *verm. Hist. Vol. I. P.* 2. *p.* 35. ID. in *Hann. Magazin* 1773. *n.* 27.

Lumbricus teres. TYSON in *Phil. Transactions Vol.* 13. *n.* 147. *p.* 154. *fig.* 1-4. quae partium internarum praecipue rationem habent.

Lumbricus teres. REDI (Versio Lat.) de *animalculis viuis in corpor. animal. viv. p.* 49. *Tab.* 10. *fig.* 1-4.

Vermi tondi de' Vitelli e degli Uomini. VALLISNERI *Opere fisico mediche Vol. I. p.* 271-282. quorum effatorum maior pars ad vermes vitulorum pertinet, qui et soli *Tab.* 34. 35. depinguntur.

Lumbricus teres. CLERICI *Hist. lat. lumbr. p.* 218-251. *Tab.* 4. *fig.* 1-4. *Tab.* 10. 11. Hic modo REDI et VALLISNERI obseruationes Latine versas sistit, eorumque figuras maiori elegantia transscribendas curauit.

Lumbricus intestinalis humanus teres. KLEIN *Tentam. herpetol. p.* 62. Icones *Tab.* 1. *fig.* 3. *Tab.* 2. *fig.* 1-7. spectant ad vermes lupae.

Lumbricus intestinalis. PALLAS *Diss. de insect. viuent. intra viuentia* in SANDIF. *Thes. Diss. Vol.* 1. *p.* 258.

— — PHELSVM *over de Wormen Tab.* 4. *fig.* 5. 6. (teste WERNER.)

Ascaris lumbricoides. ODHELIVS in *K. Vet. Acad. Handl.* 1776. *p.* 140. *sqq. Tab.* 4.

Afcaris lumbricoides. BLOM *l. c.* 1776. *p.* 313. *fqq.* *Tab.* 8. *fig.* 1. 2. *A. B.*

Stomachida. PEREBOOM *defcriptio et iconica delineatio noui generis vermium, Stomachidae*, cum *Tabula*. Corruptela modo difcrepare a noftro arbitror.

Spuhlwurm, Afcaris Lumbricoides. BLOCH *von den Eingeweide-Würmern*, *p.* 29. Tabulae adiectae pertinent ad vermes brutorum.

Afcaris lumbricoides. WERNER *verm. inteftinal. expofitio*, *p.* 75. *fig.* 144-158.

Afcaris hominum, der menfchliche eigentlich fo genannte Spuhlwurm. GOEZE *Naturgefch. der Eingeweide-Würmer*, *p.* 65. Hic pariter nonnifi vermes brutorum depingit.

Vtut multae de Afcaride lumbricoide imagines comparuerunt, paucae tamen ad vermes huius fpeciei in hominibus reperiundos fpectant; nec fi iftas figuras, quas TYSON et WERNER praeftiterunt, excipiam: reliquae labe fua carent. Reliqua ad hiftoriam eius pertinentia mox iunctim complectar.

Serius receptae funt a LINNEO duae aliae fpecies, fcilicet

3.) *Afcaris trichiura;* cauda capillari longitudine corporis. LINN. *Mant. plant.* 2. *p.* 543. Equidem illam defcribo per *Afcaridem pollicarem feta caudae filiformi corpus duplo excedente.* Eft haec ipfa Trichuris ROEDERERI, quam ifte primum Gottingae hieme a. 1760. et 61. in cadaueribus humanis detexit,

texit, et de qua paullo post coram Societate Reg. ſcientiarum Gottingensi k), exposuit. Postea illam cell. WRISBERG l), WAGLER m), WERNER *), BLOCH **), GOEZE ***), deſcriptionibus ſollertibus et paſſim elegantibus delineationibus ab obliuione vindicarunt. Addendum eſt, ill. PALLAS † partem, quam cum aliis indicatis obſeruatoribus caudam dixi, pro antica parte vermis habere, aſſentiente GOEZIO. Mirum, quod tam ſero anatomicorum attentionem in ſe conuerterit, quum tamen ill. WRISBERG †† in omnibus fere cadaueribus illam reperiri innuat, et Brunſvigae quoque, Lipſiae, Berolini et alibi, viſi hi vermes fuerint, etiam in animalibus quibusdam, niſi in hiſce, vtut ſimiles, ſpecie diſcrepauerint.

4.) *Aſcaris ſeſquipedalis.* LINN. *Mant. plant.* 2. *pag. cit.* Triuiale nomen differentiam ſpecificam etiam abſoluit. Refert beatus vir, eſſe albam, craſſitie fili, et granis quaſi albis refertam. Mihi ceteroquin ignota.

k) *Gelehrte Anzeig. 1761. n. 25.*

l) *Obſeruat. de animalc. infuſ. p. 6. ſqq.* item EI. *Deſcriptio trichuridum* in praefatione Ed. 2. WAGLERI *Tract. de morbo mucoſo, 1783.*

m) *Diſſ. de morbo mucoſo, p. 41. ſqq. Tab. 3. fig. 4. a. b.*

*) *Loc. cit. p. 85. fig. 138-143.*

**) *Loc. cit. p. 32. Tab. 9. fig. 7-12.*

***) *Loc. cit. p. 114. Tab. 6. fig. 1-5.* quae figurae omnibus reliquis praeſtant.

† *N. nordiſch. Beytr. Vol. I. p. 111.* GOEZE *l. c. p. 113.*

†† Praefatio ad *libr. cit. p. 6. 8. in nota b.*

§. 10.

Aſt redeundum ad Aſcaridem lumbricoidem. Haec colorem albidum vel in carneum inclinantem prae ſe fert. Magnitudine nonnunquam ſpithamam excedit, ſaepe minor, raro ad pedis menſuram peruenit. Quo plures numero, eo mole minores eſſe ſolent. Mas plerumque minor foemina eſt, vt et inde ſexus aliquando probabiliter diſtingui poſſit. Craſſitie aequat pennam anſerinam. Aegrius ob firmiorem corporis compagem digito prementi cedit, nec ſub motu mutua anguſtatio et expanſio annulorum oculis manifeſta eſt. Quadrifariam per totam corporis longitudinem lineae quatuor *) aequali diſtantia decurrunt, transuerſim autem copia circulorum notatur, qui rugas potius annulares quam veros annulos referunt, tamque ſubtiles ſunt, vt in computum redigi nequeant, et in minoribus omnino diſparent, ne oculo quidem armato conſpiciendi. Si muſculoſam naturam lineis et circulis dictis adſcribere liceat, vt videtur fieri poſſe, commodior et ſimplicior ſtructura fingi vix poteſt ad multiplices vermis motus abſoluendos. Longitudinalibus enim fibris annuli propius ſibi inuicem accedunt, et motus ſerpentini perficiuntur; circularibus vermis ſe poteſt anguſtare, viſcera contenta comprimere, foeces ouaque excludere; ambarum autem ſine dubio iuncto officio gyros peragit et terebrando obſtacula ſibi obuia vincit. Interrumpitur peripheria annulorum lineis dictis. Corpus ceteroquin illi eſt omnino laeue et lubricum, neque

ephippio

*) WERNER *l. c. p. 76.*

ephippio cinctum nec ſetis vllis abdominalibus, qualicunque modo conſpiciatur vel contrectetur, et quaecunque eiusdem ſit aetas, quicunque vigor, exaſperatum. Hiſce notis quum a lumbrico vero diſcrepet, tum potiſſimum antico ſuo extremo discernitur. Scilicet in hoc tubercula vel papillae tres, globoſae, occurrunt, baſi inter ſe iunctae, ſurſum liberae, eiusdem omnino coloris ac reliquum corpus, quarum nexu triangulare ſpatium formatur, in cuius media parte foramen vel potius tubulus hiat. Ill. PALLAS os trilabiatum vocat; ill. MÜLLER idem deſignat per apicem tuberculo triplici, item per os papillare. Omnium primus (a. 1676.) eiusdem, ni fallor, mentionem iniecit BORRICHIVS *), qui illud nomine trium verrucularum ſiue cotyledonum, quibus vermis inteſtinis adhaereat, ſignificat, et aliquot annos poſt (a. 1683.) TYSON, qui *their mouth*, inquit, *is compos'd of three Lipps* n). Digna etiam ſunt ob accurationem VALLISNERI o) de hac parte verba, quae hic inſerantur. "Caput, ait, digitis preſſum e limbo interiori deſcripti circuli (hoc intelligitur extrema annularis particula) tres emittit prominentias ſubrotundas, optime inter ſe diſtinctas, veluti tres monticulos, quorum ſingulorum ſuperficies, quum ſibi inuicem omni ex parte contiguae eſſe, niſi in paruulo angulo, propter formae ſuae diſpoſitionem, nequeant, media quaedam inde emergit inter ipſos triangula-

 ris

*) *Act. med. et phil. Hafn. Vol. 4. p. 157.*

n) *Phil. Trans. Vol. 13. p. 155. fig. 1. 2. a. a.*

o) Vid. CLERICI *Hiſt. lat. lumbr. p. 224.*

ris cauitas, in cuius centro foramen cernitur, lumbrici osculum, oesophagique principium constituens, quod ipsum fistula quaedam parua est." Conferri cum elegante hac descriptione figurae ab isto praestitae *p*) merentur. Ista quidem nititur exemplis e vitulis petitis, sed eadem omnia in vermibus humanis deprehendit. Pluries memini, me in humanis, quum de vermibus intestinalibus in praelectionibus agerem, auditoribus iam dudum partem hanc commonstrasse, adeo conspicuam, vt microscopii ope non indigerem. Functionem et vsum horum tuberculorum illustrant ea, quae in verme huius speciei insignioris longitudinis et crassitiei equino et in spiritu vini seruato obseruaui. In hoc super tribus istis tuberculis nodulus obtinuit, qui primo aspectu a tuberculis distinctus videbatur, sollertiori autem indagine in tres partes per easdem fissuras diuisus comparebat, quae sese ad basin tuberculorum terminabant. Hacce conformatione emergebant tria labia, intrinsecus angulo acuto instructa et compagis tam durae et velut cartilaginosae, vt cultelli apex allidens sonitum excitaret. Anterior igitur pars labiorum speciem prae se tulit dentium cartilaginosorum, qui si vulnerent, plagam, triangularis formae, quasi ab hirudinibus, excitent, necesse est. Nodulus iste ante tuberculorum trigam prostans non in vermibus quidem humanis

p) VALLISNERI *Opere fisico-mediche T. I. Tab. 34.* et elegantiores apud CLERICVM *l. c. Tab. 10.* vbi *fig. 4.* os trinode luculentissime comparet. Conf. et *Vet. Acad. Handl. a. 1776. Tab. 8. fig. C.* WERNER *l. c. Tab. 6. fig. 145.*

humanis exiſtit, ſed functio tuberculorum tamen, ſi verſus centrum complicentur et nixu vermis magis indurentur, videtur eadem in hiſce eſſe. Paſſim enim haecce diduci quaſi ex articulo mobili vidit cl. GOEZE *), vt rictus inter haec manifeſtus conſpiceretur, quod dum fieret, ſubinde emitti tubulum ſuctorium medium obſeruauit. Hiſce tuberculis ſine dubio tunicam villoſam inteſtinorum apprehendit, dum tubulo medio liquorem nutritium ſugit, quin maiori conatu diſcindere ipſas inteſtinorum fibras valet. Huic iniuriae tanto facilius par erit, quum, aſſeuerante GOEZIO, tuberculis hiſce media parte inciſurae transuerſales competant; vtinam haſce quoque depinxiſſet.

Vt igitur maxime obuia ſigna vermium, quorum comparatio noſtra heic refert, vna complectar: dixerim *Lumbricum terreſtrem,* vermem teretem, circiter ſpithameum, altero extremo attenuatum, annulatum, octofariam aculeatum; *Aſcaridem lumbricoidem* autem vermem teretem, circiter ſpithameum, vtrinque attenuatum, rugoſe annulatum, nudum, ore trinodi.

Praeter hanc ſpeciem REDI *q*) memorat aliam illi valde ſimilem eiusdem longitudinis ſed cauda compreſſa, quam et cel. MÜLLERVS *r*) vidit.

§. 11.

*) *L. c. p. 67.*

q) *De animalibus viuis, p. 54.*

r) *Verm. hiſt. l. c. p. 36.*

§. 11.

Multum omnino luminis etiam medicis affert scrutinium partium Ascaridis, de qua ago, internarum. Hoc ipso optime perfuncti sunt TYSON s), REDI t), VALLISNERI u), KLEIN x), GOEZE *), WERNER **), qui ipsi in quibusdam quidem inter se differunt, forsitan ideo, quod quidam istorum, praeter humanos huius speciei vermes, alios apud bruta obuios rimati fuerint: sed in essentialibus partibus conueniunt. Subsistam vero vnice in humanis, licet specie reliqui vix differre videantur, et circa hosce modo de iis internis partibus agam, quarum natura repetitis obseruationibus extra dubium posita est, et ea momenta praesertim illustrare possunt, quae medico scitu sunt necessaria.

Cutis ista rugoso annularis, quae superficiem externam constituit, insigniter crassa est, prout vi, quam culter incidens adhibere debet, et oculo percipitur. Vnde interna viscera obscure tantum perlucent, quum e contrario in vermibus vitulinis gyri isti mirabiles visceris cuiusdam interni haud aegre per cutem distinguantur. Sub cute latere musculum, varii obseruatores memorant, cuius fibras

s) *Phil. Trans. Vol. 13. inde a pag. 154. cum annexa Tab.*

t) *L. c. p. 44. sq. Tab. 10.*

u) *L. c.* et apud CLERIC. *l. c. t. 11.*

x) *Phil. Trans. Vol. 36. p. 269. sqq. Tab. I.* dein in *Herpetol. p. 63. sqq.*

*) *Eingeweidewürmer, p. 68. sqq.*

**) *Verm. intestin. p. 77. sqq. Tab. 7.*

fibras de humano nullibi ſollerter ſatis deſcriptas reperio, in Lumbricis terreſtribus TYSON ſpirales vidit, in Aſcaridibus lumbricoideis vitulinis tam longitudinaliter quam transuerſim diſpoſitas mirumque in modum contextas VALLISNERI obſeruauit. Sub inciſione cutis multum laticis ſubmucoſi promanat, qui forſitan latet in veſiculis minutis, quales in interiori ſuperficie vermium huius ſpeciei ex lupi renibus KLEINIVS inuenit. Profundius ſi adigitur culter, copia humoris limpidi erumpit, et vna cum hoc canales diuerſae latitudinis, quorum ſubtiliſſimi gyros multiplici modo tortos et implicatos formant. *Duplicis* hi *canales generis* ſunt. Alterum *nutritioni* eſt dicatum, alterum *generationi.*

§. 12.

Alimentaris canalis ſimplex eſt, originem ſuam capit ab ore fine tenuiſſimo, ſed mox dilatatur, inſtar coni per longitudinem ad minimum transuerſi digiti, tum recta via ſecundum TYSONEM aequabilis, REDIVM et VALLISNERIVM autem mox anguſtior mox craſſior, ad anum vsque pergit, qui ipſe oſtium minutum conſtituit transuerſale prope poſticum extremum diſtantia vnius et dimidiae lineae deorſum ſitum *). Refert igitur canalis hic ventriculum ſiue inteſtinum elongatum. Subcandidi eſt coloris et cauo ſuo pulticulam continet coloris ſublutei, cui plures bullae aëreae immiſcentur.

§. 13.

*) WERNER *l. c. Tab. 6. fig. 146. 147.*

§. 13.

Alterius *canalis* ſiue *generationi inſeruientis* multo adhuc mirabilior natura eſt. Si obſeruationibus REDII et VALLISNERI de hac ipſa vnice inhies, hermaphroditos hoſce vermes eſſe crederes. Imo VALLISNERII non veretur eos hermaphroditos peculiaris rarique generis vocare. Vterque vero fatetur in omnibus, quotquot inciderint, formam huius viſceris fuiſſe eandem, ſine vllo vel minimo diſcrimine. In quatuor duntaxat vermibus deprehendit canalem hunc ſitu et figura diſcrepantem: ſed arbitratur hoſce alius fuiſſe ſpeciei, vtpote quum et cauda non teres ſed circa extremum paullum obtrita ac plana exſtitiſſet (Vid. ſupra §. 10. ad finem). Acceſſit ad horum partes adhuc nuper ill. MÜLLER *), quippe qui, etiamſi tam in maiores quam in minores vermes multos inquiſiuerit, nulla ſexus diſcrimina ſe detegere potuiſſe affirmat.. Verum dubitari nequit, ſexum duplicem diſtinctum aſcaridi lumbricoideae competere, quum, quod praeterito iam ſeculo fide digniſſimus TYSON deſcriptione et figuris accuratis demonſtrauit, eodem duplici ſubſidio nuperrime propria indagine cl. WERNER confirmauerit.

§. 14.

In *foeminis* igitur generationis organi haec eſt ratio. Lacteo colore tinctum incipit tubo exiguo **), ſenſim ampliato ſiue infundibuliformi, qui antice terminatur orificio, tertia circiter parte longitudinis totius

*) *Vet. Acad. Handl. 1779. p. 334.*

**) WERNER *l. c. Tab. 7. fig. 155.*

totius vermis vel tres fere pollices in linea abdominali ab ore, diſtante, poſtice diuaricatur in duo crura ampla. Haec diſtantia notabili a cauda gracileſcunt in canaliculos fila referentes, qui ipſi innumeros gyros mirifice implicatos et hinc inde viſcus alimentare obuoluentes agunt, tandem fiſſa in tria vel quatuor in imo ventre fluctuantia fila deſinunt. Ad VALLISNERI mentem canalis hic verme duodecuplo longior eſt, contra REDIVM, qui quintuplam longitudinem modo eum conſtituere pronunciauit. Hic et inciſo verme mox prorumpit. Crura dicta, *cornua vteri* dicit TYSON, *ouaria* autem nuncupat VALLISNERI, quoniam lentis adiumento referta eſſe ouorum prodigioſa copia conſtat; filiformes canaliculos TYSON et VALLISNERI *vaſa ſpermatica* vocant. Tubus iſte infundibuliformis crura iungens apud TYSONEM *vagina vteri* audit. *Vulua* igitur orificium externum eius dici debet. Ouulorum myriades coaceruatim natant in cornubus vteri intra humorem ſpiſſiuſculum, ſemini humano non abſimilem, referuntque granulatas particulas extus villoſas *), vel, vt TYSON **) eas deſcribit, aſperas, quas limpidior humor intercedit, in quarum autem medio linea gyriformis apparet, quod pro futuri animalis ſtamine, etſi dubitanter, cl. WERNER pronunciat. Haecce tamen in vtero bicorni comprehenſa oua imperfecta vel rudimentum ouorum declarat cl. GOEZE ***), perfecta autem inuenit in cana-

*) WERNER *loc. cit. fig.* 158.
**) *Phil. Tranſ. l. c. fig.* 4.
***) GOEZE *l. c. p.* 69.

canaliculis filiformibus f. vafis fpermaticis liquido niuei coloris refertis.

Structura vero *marium* peculiaris, praeeunte TYSONE, haec eft. *Pene* inftruuntur intra pofticum extremum recondito, longitudinis fere feminis hordei, tempore coitus emittendo, ad cuius radicem canalis quidam incipit, craffus, fenfim progrediendo amplior, lacteum fuccum vehens, ifti cel. viro *veficula feminalis* dictus. Degenerat hic denique fubita contractione in congeriem vafculorum filiformium mirifice conuolutorum, defcriptis de foeminis fimilium, fed breuiorum. Hanc congeriem *teftis* nomine infignit, quoniam complexu fubtiliffimorum eiusmodi vaforum fecretoriorum vera tefticulorum natura abfoluitur.

Mares effe foeminis rariores, ne verbulo quidem indicat TYSON: cur tamen cll. REDI et VALLISNERI in tanto numero, quem inciderunt, non nifi vermes confpexerunt, fecundum TYSONEM fexus foeminei notas prae fe ferentes? Ratio iam patet, etenim et obferuatione extra Angliam et Italiam repetita conftat, foemineos huius fpeciei vermes mafculis longe effe numerofiores, ita vt proportio iftorum ad hofce fere vt 100 ad 1 fit *). Id adhuc noto, defcriptionem, quam cl. REDI (Vide fupra §. 13.) de ftructurae diuerfitate in quatuor iftis vermibus, qui et externa forma difcreparunt, reliquit, congruere eximie cum ea defcriptione, quam de maribus acutiffimus TYSON praeftitit.

§. 15.

*) GOEZE *l. c. p.* 88.

§. 15.

Ex illa alimentaris organi et generationis partium adumbratione diiudicari poteſt pretium aſſerti quorundam, qui viuiparos hoſce vermes aſſeuerarunt. AMATVS LVSITANVS *y*) ex narratione alius refert, poſt exhibitum medicamen praegrandem vermem teretem fuiſſe deiectum, et ex hoc, quum caput eius calcaretur, prodiiſſe alios vermes. Sed copia exſtat aliorum teſtium, qui idem propriis ſuis oculis conſpexiſſe ſibi videntur. Ita BORELLVS *z*) inquit, "vermem craſſum ab hominis corpore eductum, forteque pedibus exenteratum non ſine admiratione vidi vermiculis innumeris refertum eſſe." In cadauere hydropici PLATERVS *a*) vermes viuos narrat ſe inueniſſe, aliis rurſus minoribus repletos. PANAROLVS *b*) adeo meminit vermium ligno colliſorum, ex quibus vermes ſubtiles longitudine ſex digitorum prodierint, qui tanquam ſerpentes parui mouerentur. Adeo ludit interdum imaginationis vis, vt vitam tribuat rebus vita caſſis!

Qui hoſce putatitios vermes, figura, magnitudine, conuolutionibus ſuis a veris vermibus mirifice diſcrepantes, nonniſi pro viſceribus deſcriptis, nominatim vaſculis iſtis filiformibus generationi inſer-

y) *Curat. med. Cent.* 5. *n.* 46. *p.* 513.

z) *Hiſt. et obſ. Cent.* 1. *Obſ.* 89.

a) *Obſ. lib.* 3. *p. m.* 657.

b) *Obſ. med. Pentec.* 5. *obſ.* 15.

inferuientibus habet, non errabit. In hac re confentientes habeo plurimos, ex vetuftioribus auctoribus BORRICHIVM *), TYSONEM, VALLISNERIVM, ex nuperis SWIETENIVM c), VAN DEN BOSCH d), quibus poft praeftitam primam huius differtationis editionem vi obferuationum numerofarum fubfcribunt cll. MÜLLER **) et GOEZE ***), vt mirer, quod cl. ODHELIVS e) paucos ante annos adhuc fafciculos extra abdomen in duobus vermibus, quos aquae indiderat, erumpentes, pro argumento affumferit, hofce vermes effe viuiparos, et quod adhuc ferius cl. PEREBOOM † adeo huic erroneae fententiae adhaeferit, vt et in titulo commentationis fuae fignificaret agi *de lumbrico, vtut mortuo, parturiente.* Quem vero cl. BLOM f) defcribit delineatque appendicem vermiformem, maiori cuidam vermi ad anum per fila duo adhaerentem, vermiculum eiusdem fpeciei cafu affixum effe, exiftimo. Iconem adiungo vermis a me ipfo delineati, in quo, praeter fafciculum filamentorum, ductus multiplicis generis formantium, longe propendentem, canalis tertiam circiter lineae partem craffus anfractus fui portione notabilii

*) *Acta Hafn. l. c. p. 157.*

c) *Comment. in* BOERH. *Aph. T. 4. p. 702.*

d) *Hift. epid. verm. p. 11.*

**) *K. Vet. Acad. Handl. 1779. p. 331. fqq.*

***) *Naturg. d. Eingeweidewürmer, p. 11. p. 70. 89.*

e) *K. Vet. Acad. Handl. a. 1776. p. 141. fqq.*

† *De Stomachida.* Conf *fig. 6.*

f) *Vetenfk. Ac. Handl. 1776. l. et tab.* fupra *cit.*

notabili protuberare conſpicitur. Prolapſus hicce contigerat tam in hoc verme, quam in aliis tribus, aquae aeſtate a. 1777. immerſis, poſt moram aliquot dierum per rimam trium vel plurium linearum, in medio fere corpore comparentem. Canalis dictus craſſior vermis depicti coloris griſei, hinc profundioris, quam corpus ipſius vermis, fuit, et vermiculo ſimillimus, nec ouarium fuit, ſed, vt ſectione conſtitit, tubi alimentaris pars, foecibus plena. Vix vnquam arbitror, per orificium iſtud ad tertiae circiter partis anticae limitem prolapſum viſcerum horum fieri, vt quidem SWIETENIVS vult, qui rimae voce hic vtitur, certe perpetuum hoc non eſt, vt ex meis obſeruationibus et figura 2. cl. ODHELII patet. Violentam igitur disruptionem cutis accuſo. Haec vero non ſolum accidit extra corpus animale, quando vermis maceratione in aqua emollitur et expanſione aëris contenti vlterius ad rupturam diſponitur. Sed naturalis haecce mutatio eſt, vermibus in ipſis inteſtinis adhuc latentibus, per quam oua foecundata ex foeminis aetate prouectioribus in inteſtinorum cauum excutiuntur, quo poſtea, fauente diatheſi corporis, vermiculos excludant. In maribus, quantum notum, intra inteſtina haec disruptio non locum habet, etiamſi protracta maceratione in aqua accidat *). Sunt et aliae vermium ſpecies, in quibus idem phaenomenon viſcerum propendentium per rimam enatam viſum eſt **).

*) GOEZE *l. c. p. 11. 89.*

**) MÜLLER in *Vet. Ac. Handl. 1779. v. 331.*

Si viuipari hi vermes essent, sane, vt in aliis eius generis vermibus solet, intra peculiare receptaculum sagaces obseruatores viuos vermiculos deprehensuri fuissent, et hi ipsi torculari artificiose fabrefacto et caute applicato exprimi sese paterentur, quorum vero neutrum assequi successit *). Ouipari igitur hi vermes sunt declarandi.

§. 16.

Et hanc Ascaridem lumbricoidem omnium intestinalium esse vermem maxime vulgarem sustineo, et vulgo pro vera Lumbrici specie, quam ill. A LINNÉ varietatem terrestris γ, intestinalem, vocat, haberi. Vnde tot contra LINNEVM insultus, qui, si dicendum quod res est, ad quemlibet alium aeque ac ad eum spectant, quum ille de verme plane diuerso loqueretur. Hic igitur vermis praecise intelligendus, dum practici medici Lumbrici teretis mentionem iniiciunt. Tanquam rariorem eum licet Lumbrico vero, de reliquo satis vulgarem, declarauerit LINNEVS **): hanc Ascaridem tamen vnice TYSON, VALLISNERI, REDI, PALLAS aliique significant, qui sagacitate industriaque singulari vermium teretium longorum humanorum naturam prosequuti sunt. Declaraui iam alibi g), me ad rariores euentus referre verorum Lumbricorum ex primis viis reiectionem, quin fateor, hucusque nunquam alios teretes longi generis mihi obuenisse, quam Ascarides hasce.

§. 16.

*) GOEZE *l. c. p. 11.* **) *Amoen. acad. Vol. 5. p. 134.*

g) In *nota* ad ROSENST. *Anw. v. d. Kinderkr. Ed. 3. p. 466.*

§. 17.

An igitur narrata Lumbricorum verorum in inteſtinis humanis commoratio erroribus vel commentis accenſenda? Vetat id iam LINNEI auctoritas. Et niſi exiſtimandum, in vniuerſum in Suecia copioſius, quam alibi, Lumbricos veros in inteſtinis hominum nidulari: ſaltim tamen agnoſcendum, ſummo viro aliquoties de hominibus excretos obueniſſe; an caſu deglutitos? Copioſe plebem in Suecia Aſcaridibus lumbricoideis corripi, tradit cl. HIORTH *h*). Dubium vero vix eſt, vermes iſtos humanos, quos ephippio cinctos conſpexerunt cll. PHELSVM et VAN DEN BOSCH (vid. §. 6.), Lumbricos fuiſſe. Tanto maiorem fidem merentur, quibus vtrumque genus teretium vermium longorum vna ab hominibus ſecedens obſeruare datum fuit, ſub qua opportunitate comparationis ſuſpicio euaneſcit omnis, ne in denominandis iis error commiſſus fuerit. Sic narrat ill. A ROSENSTEIN *i*), infanti quadrienni, emaciato valde et debilitato, poſt tantillum ſpiritus frumenti potum quatuor vlnas Taeniae et decem vermes ex Lumbricorum et Aſcaridum illis ſimilium genere ſeceſſiſſe. Aliudque eiusmodi exemplum nobiscum communicauit cl. MONTIN *k*) de virgine nobili, quae praeter Faſciolas, Vermes cucurbitinos, Taenias disruptas, aliquot Lumbricos, vti et aliquot Aſcarides lumbricoideas per aluum diuerſis temporibus ex medicina adhibita excluſit.

 Simul

h) *Fortſättn. af Provinc. med. berättelſer. p. 131.*

i) *Lib. cit. p. 470.*

k) *Vet. Acad. Handl. 1763. p. 113. ſqq.*

Simul ex hiſce elucet, Aſcarides nuperrime dictas non ſemper ſolas comparere, ſed ſubinde aliarum ſpecierum comitatu eſſe ſtipatas.

§. 18.

Puerilem hae praecipue aetatem vexant. Saepe tamen et adultos corripiunt, eos praecipue, qui viſcoſis putreſcentibusque cibis vtuntur, vt plerumque infimae ſortis homines, et in bellis haud raro milites; et in hiſce ſeſe putridis febribus vulgo aſſociare ſolent, et quibusdam temporibus et aliis morbis, ita vt vix vllus morbus ſeſe absque moleſtiſſimorum horum hoſpitum conſortione exſerat.

Quo frequentiores numero adſunt, eo minores mole deprehenduntur, ſine dubio ob nutrimenti penuriam; et contra. Plerumque magna caterua collecti adſunt, ita vt ſubinde horum vermium centenos numeremus. ROSENSTEINIVS *l*) intra nouem dies vermes 90 (exiſtimo huius generis) a puella expulit. Teſte BENIVENIO *m*) infans ſeptennis vermes 152 excreuit. Ad GABVCINI, apud MOVFETVM *n*), teſtimonium puella, ingeſto anthelminthico, 177 vermes deiecit. Et HOLLERIVS *o*) ſenem octoginta duorum annorum ex MVSA ſiſtit, cui 500 vermes ſeceſſerunt. Imo PEREDIA *p*) nouit infan-

l) *L. c. p.* 454.

m) *De abditis, cap.* 85.

n) *Inſector. Theatrum, p.* 297.

o) *De morb. intern. lib.* 1. *in ſchol. ad cap.* 54.

p) *De curand. morb. lib.* 1. *cap.* 5.

infantem nobilem, intra aliquot dies millia fere vermium et intra quatuor horas quadraginta vermes deiicientem.

In hominibus inteſtinum ieiunum praecipue occupant, docente cadauerum ſectione, vltra cuius medium haud facile videntur aſcendere, niſi copia nimia praeſto ſint, quae et cauſa eſt, cur ſubinde vomitu reiiciantur, vt in febribus verminoſis contingit, imo per nares prorepant. Altiora alias non facile petunt, amaritiem bilis, vt credibile eſt, fugientes: ad indicatum vero locum chymi gratia potiſſimum eos allicit, et copia valuularum conniuentium, quae ibidem exſtat, morae opportunitatem praebet. Rarius extra inteſtina in viſcerum aliquo reperti ſunt, quorum renes tamen crebrius quam aliam vllam partem domicilium commodaſſe obſeruationibus euincitur. Subinde ipſa inteſtina perfodiunt, et vel in cauum abdominis cadunt, vel in aliud vicinum viſcus irrepunt, vel vlcere in integumentis enato ſuperficiem corporis petunt.

§. 19.

Extra corpus humanum in aliis animalibus ſedem ſubinde hos vermes figere, dubio caret. Nam conſpecti in vitulis, equis, ſuibus, canibus aliisque domeſticis, item in feris, vt lupis, vulpibus, tygridibus, phocis, rel. quae ſtudioſe ſignificauit cel. PALLAS *q*). Quod magnitudine colore aliisque leuioribus notis hi differant, a nidi diuerſitate

q) *Diſſ. ſupra cit.*

ſitate dependere poteſt. Vix tamen crediderim, ſpecie illos differre. Similes, etſi exiguos, affirmat cl. PALLAS, ſe in piſcibus variis fluuiatilibus vidiſſe, cl. HIORTH r) nominatim in hepate Gadi Callariae, et cl. FAXE s) in Perca fluuiatili. Piſcium tamen eſui non eodem iure hic vermis imputari poteſt, quo Taenia, quum iſte et vulgatiſſimus ſit iis in locis, in quibus piſces rariorem eſcam conſtituunt. Quantum conſtat, extra corpus animale hicce vermis non occurrit. Nam Aſcarides, quas in binis fontibus cl. BEIREIS *) ſe reperiſſe profitetur, vti et vermis, quem cl. MAYER **) in puteali aqua turbida inuenit, ſimilem, vt putat, tereti longo humano, ſpecie ab hoc diſcrepare videntur.

Mortuos vermes contemplatus, extremum trinode rectum, alterum oppoſitum autem incuruatum, plerumque reperi; videtur itaque hoc conſuetum eſſe. Sed pluris omnino refert, pernoſcere experimenta nonnulla cum viuis hiſce vermibus a me inſtituta. Puellae ſcilicet quinquenni, cui variolas inſerere conſtitueram, ideoque per interualla aliquot dierum mixturam ſalinam cum tinctura Rhei propinaueram, ſeceſſit verſus plenilunium Aſcaris lumbricoides absque aliis ſignis vermium, quam frictione narium ſubinde contingente, quae vtrum ex

r) *Fortſättn. af Prov. Doct. berättelſ. l. c.*

s) *L. c. p.* 282.

*) *Diſſ. de febribus et variolis verminoſis, reſp.* HINZE, *Helmſt.* 1780.

**) *Abhandl. e. Privatgeſellſchaft in Böhmen. Vol.* 5. *n.* 4.

ex petulantia an coacte fieret, tum incertum erat. Poſt tres dies exhibito puluere anthelmintico duos minores vermes eiusdem generis mane excreuit, qui mihi mox poſt deiectionem allati. Vnus horum maior fuit, alter minor, ambo rigidi, ad aſpectum mortui. Minor circularem intorſionem per binos fere gyros poſtico fine fecerat. Quoniam nouiſſime redditi erant, ſpes adhuc ſuperfuit vitae reſtituendae. Quod vt fieret, aquae tepidae eos immerſi, ex quo tempore poſt exiguam moram mouere ſeſe inceperunt, incuruari vario modo, mox ſerpentino mox ſpirali, viciſſim quoque elongari, tum nodos haud ineleganter in ſemetipſis ſeorſim, partim et vtriusque amplexu, nectere, demum iterum ſimpliciores iſtos motus exercere. Retinueram vtrumque in patina figulina, quae licet non liberum ſatis ſpatium motui progreſſiuo concederet, cognoſci tamen ſatis potuit, extremum ore trinodi inſtructum eſſe anterius, etenim, quum locum mutaret, porrectum eſt, et motus ſerpentini ſemper ab hoc initium ſuum ceperunt, et crebrius vermes hoc extra ſuperficiem aquae emiſerunt. Refrigeraſcente aqua eadem portione in maiori verme torpuit motus, quin conquieuit omnino. Rediit vero priſtina eorum alacritas, iisdem de nouo tepidae immerſis. Aqua tepida molleſcere eos ſenſi, frigida autem rigeſcere, inſtar vermium aëris acceſſu fruentium. Sub hiſce variis motibus craſſities tamen vermis eadem ſemper ad oculum manſit, ſimulque longitudo abſoluta, nec vndulatoria vlla corrugatio ſuperficiei locum habuit; quae omnia

contrario modo in Lumbricis veris ſe habent. Senſus ſubtiliſſimi horum teſtimonium dedit compreſſio, qua ipſa alicubi applicata mox ſeſe inflexerunt, manifeſtius autem irritatio apice cultri vel calami ſcriptorii peracta.

§. 21.

Ad hunc vermem itaque referenda ſymptomatum iſta cohors effectusque funeſti, imo ſaepe lethales, de quibus practica ſcripta vberrime exponunt. Haecce mala omnia et ſingula ſatis iam decantata me piget repetere. Agam tantum de iis, quae confectariorum inſtar ex deſcriptis obſeruationibus facile deducuntur, pauca quaedam de auxiliis ſubminiſtrandis, eadem occaſione data, additurus.

Tanquam peculiaria ſigna, vel ſi placet pathognomica, hoſce vermes prodentia, tormina, praecipue circa vmbilicum, et ſubinde ſubſultus intra abdomen, conſideranda ſunt *t*). Dolor inteſtinorum facile explicari poteſt fabrica tuberculorum iſtorum ſiue nodorum trium extremi antici et functione, qua inſtar forficis inteſtinorum intima apprehendunt et vellicant, item ſuctione, quam tubulus intra tubercula reperiundus exercet. Hiſce inſtrumentis inſtar hirudinis affigere ſeſe poſſunt vermes ſimulque inteſtina irritare. Non inficior tamen, agitationes iſtas varias vermis et violentas repta-

t) A ROSENSTEIN *l. c. p. 483.*

reptatusque, quales, dum aqua tepida retinetur, conſpicimus, doloroſas pariter affectiones poſſe ciëre, et ſenſum ſubſultus memoratum. Quod vero moleſtiae praecipue circa vmbilicum ſentiantur, ex ſitu inteſtini ieiuni clarum fit. Dum ſimilitudine ducti medici vermibus teretibus longis hominum ſetas Lumbricorum tribuerent, multas moleſtias vel ſola ſetarum vi oboriri arbitrati ſunt, haſce nempe ad reptatum multum conferre, hiſce affigere ſeſe primis viis, ſtimulare illas, rodere, lacerare, vulnerare, et innumera incommoda creare. Quae omnia mala autem licet eheu vere contingant ab inteſtinalibus vermibus, aliam cauſam quam ſetas agnoſcere iam perſuaſi ſumus, vtpote quum ſetis deſtituantur vulgatiſſimi iſti teretes. In os eorum trinode culpam cadere, quis iam non videt? Nec dubito, dum perterebrare inteſtina tentant, quin hocce organo eadem diſcindant, et vulnere facto, quoniam papillae iſtae durioris compagis, quam reliquum corpus, ſunt, tenſae, etiamſi obtuſae, vi rotantis corporis terebrae effectum praeſtare poſſint, tanto magis, quum vermis ea ratio ſit, vt rigeſcendo indureſcat, vnde obſtaculum inteſtinorum renitentium tandem ſuperatur. Quid vero proxime illos ad iniuriam iſtam inferendam permoueat, difficile eſt ad coniiciendum. Spiris iſtis perpenſis, quas vermis in aqua tepida format, et nodis iſtis artificioſis, quos inter ſe inuicem ibidem nexuerunt, mente facile concipitur, quomodo cauum inteſtini obturari ab hiſce hoſpitibus poſſit. Probabile adeo, ita poſſe necti mutuo,

tuo, vt nodos explicare nequeant, ſed adiumento copioſi muci, quem tam vermes ipſi emittunt, quam inteſtina, compingi arctiſſime, ita vt nec flatibus nec excrementis tranſitus vllus pateat, vnde pertinaciſſimae alui obſtructiones, vomitiones intenſae, ipſe ileus, inflammationes cum harum ſequelis.

Fertilitatis ſtupendae ratio ouarii conſideratione abunde elucet. Pleraque quidem ouorum vel intereunt, nec in verorum vermium formam transmutantur, vel immutata ex corpore humano eliminantur. Ingens tamen copia in hominibus, quorum debilitas vel naturalis vel acquiſita opportunitatem praebet, remanet, atque in veros vermes transformatur, qui et auiditate, qua optimos nutritios ſuccos homini abripiunt, et corruptela humorum, quam excrementitia ſua materie et proprii corporis ſui computreſcentia generant, denique iniuriis, quas nuperrime de ore illorum trinodi, obturatione inteſtinorum, rel. memoraui, innumera mala creant, et aliorum morborum, quibus ſeſe aſſociant, tramitem mutant et difficiliorem reddunt.

§. 22.

In beneficium vero hominum ſenſilitas iſta vermium horum cadit, adeo ſubtilis, vt et caloris frigorisque viciſſitudini auſcultet. Nempe aëris contactu, vel frigida aqua perfuſi obriguerunt quaſi mortui, cui, quum paullo poſt ſubſtitueretur tepida, emolliti et refocillati rurſus vitam recuperarunt.

rarunt. Similis euentus in Taeniis fuit, ROSENSTEINIO experimentum inſtituente, ex quo anſam cepit, ope medicinae purgantis et huic, quum iſta vim ſuam exſereret, aquae frigidae copioſe ſuperbibitae, Taeniam ex corpore eliminandi, quod curationis genus feliciſſimum ſucceſſum ſaepiſſime contra Taeniam habuit. Nec minus contra hoſce vermes poſt fortiora purgantia copiam inſignem aquae frigidae potae valuiſſe cl. VAN DEN BOSCH *v*) teſtimonio nouimus. Ita dum aqua frigida ſenſu priuat vermem rigefacitque et tubulo oris omnem ſeſe ſugendo affigendi vim adimit, purgans illum euerrit. Senſilitate adeo hoſce vermes inteſtinis ipſis potiores eſſe ex remedio haud ita pridem detecto ſcilicet ſetis Dolichi prurientis L. concludo, quam ſtirpem quoque tempeſtiue in ſuppellectilis medicae cenſu *x*) adoptaui. Legumen ſcilicet huius Indiae vtriusque plantae ſetis denſis e ferrugineo ſubfuſcis et nitidis obducitur, quae vento ſeparatae pruritum moleſtiſſimum et vrentem cuilibet animalium creant, cuius cutem vel pellem tangunt. Hae ipſae et vermes hoſce rigiditate et acumine ſuo moleſte afficiunt, et cogunt per aluum copioſe ſecedere. Ne vero ſimul labem ventriculo et inteſtinis inducant, miſcela earundem fit cum ſyrupo quodam ad ſpiſſitudinem electuarii liquidi, cuius cochleare pro Thea infanti bienni vel trienni et dupla quantitas adulto mane ieiuno ventriculo per aliquot dies exhibetur, ſubiuncta doſi Rhabarbari.

Alia

v) *Hiſt. verm. p.* 353.

x) *Apparat. medic. Vol.* 2. *p.* 358. *ſq.*

Alia haud pauca exſtant medicamina ex ſtimulantium claſſe, quorum vis in vermes exſeritur absque conſortione ſimilis iniuriae inteſtinis illatae. Sed neque de his neque de aliis anthelminticis, nec iuſto ordine et tempore, quo vſurpanda ſunt, diaetaeque ſimul obſeruandae regulis (quae quidem omnia eiusdem neceſſitatis, ac ipſius remedii adminiſtratio, ſunt) agere hic opportunum eſt: quum eam praeprimis mihi metam propoſuerim, vt vermium teretium longorum humano corpori inſidiantium, indoles vera et diſcrimen a Lumbricis terreſtribus conſtaret, et vagis practicorum bene multorum de ſpecie et characteribus iſtorum effatis poneretur obex.

TAB. I.

Aſcaris lumbricoides ex homine.

a. Extremum anticum trinode.

b. Fiſſura abdominis, ex qua canalis alimentaris pars et vaſa ſpermatica propendent.

c. Extremum poſticum.

XII.

DE

LIMITANDA LAVDE

LIBRORVM MEDICORVM

PRACTICORVM

VSVI POPVLARI

DESTINATORVM

ORATIO.

DE LIMITANDA LAVDE LIBRORVM MEDICORVM PRACTICORVM VSVI POPVLARI DESTINATORVM *).

Multa etiamſi exſtent, quae praeteritis ſeculis haud immerito inuidemus: ſcientiarum tamen tantum non omnium noſtra aetate ea obtinet ratio, ſiue ambitum earundem ſpectes, ſiue certitudinem rerum, quas pertractant, ſiue formae dictionisque qua proponuntur modum, vt de principatu in hiſce iure quodam noſtro gloriemur. Omiſſis ceteris momentis, quibus noſtrum aeuum haud mediocriter priſtino antiſtat, id vel maxime me iam mouet, quod, quum olim ſcientiae plerumque ab hominibus, vmbratilem vitam degentibus, ſecluſis a naturae inueſtigatione hominumque coetibus atque commerciis, colerentur, hi in terminis Graecis et Latinis artificioſe excogitandis, diſtinctio-

*) Oratio dicta d. 17. Septembris a. 1779. quum in anniverſariis academiae Georgiae Auguſtae ſacris aliquot Doctores medicinae crearem. Allocutionem conſuetam hic omitto.

diſtinctionum minutiis et definitionum ſubtilitate, praecipue acquieſcerent, ſtylo inſuper obſcuro et incondito vterentur; quibus ipſis id quidem aſſequuti ſunt, vt a reliquis, in hoc ſtudiorum genere rudibus, tanto doctiores haberentur, ſed vix in alios, quam qui eandem ſegetem cum iis colerent, fructum ſapientiae ſuae transferrent, nihil fere ad vitam, nihil ad vſum communem. Quam alia contra ea hodie obtinet menſura, ad quam diſciplinarum earumque cultorum pretium exigitur, cuius quidem haec ſumma eſt, quod tanto peritior quilibet ſcientia, quam ore vel ſcriptione profitetur, cenſeatur, quo facilius a pluribus intelligi poſſit, et quo vberius inde commodum in mutuas hominum neceſſitates redundet. Exemplum grauiſſimum iſta ſcientia praebet, quae omnium reliquarum quaſi baſis et mater eſt, philoſophia, quae mundata a ſcholarum ſordibus et abſterſo illi diſtinctionum minutarum et terminologiae fuco, eo iam habitu nitet, vt et placeat hominibus, nonniſi elegantiam in litteris vitaeque genere ſectantibus. Ipſa iurisprudentia, cui diutius quam aliis diſciplinis exprobratum fuit, ſcatere vocibus, nonniſi a ſui cultore intelligendis, et obuelatam eſſe dictionis genere a vulgari elegantiori paullum alieno, ſerioribus annis a multis tam laete ab hoc opprobrio purgata fuit, vt et ſint, qui in litibus coram iudice agendis a myſterioſa iſta dicendi ratione omnino abſtineant, vernacula lingua aeque fauſto ſucceſſu, quam barbare latina, vitam, honores, libertatem, opes, clientum ſuorum vindicantes.

Haec

Haec dum de iurium disciplina memoro, cui non in mentem incidet, quantum nominatim iuncto elegantiorum litterarum cum iurisprudentia studio plurium meritissimorum virorum debeamus, qui in hac academia Themidis sacris vel olim praefecti fuerunt, vel etiamnum sunt.

Non vltimum sane locum in hac popularitatis ambitione tuetur ars, quam ipse profiteor, salutaris, siquidem iam vix vlla eius pars existit, de qua non ea methodo eoque stylo essent libri exarati, vt et ab hominibus, medicinae non addictis, legi cum voluptate et intelligi, saltim in plerisque, possint. Quin linguae Latinae, quae seculis praeterlapsis vnice tradendae isti apta videbatur, substituuntur hodie apud Anglos Gallosque, etiam ab eruditissimis medicis pene omnibus, vernaculae, vnde necessitas praecipue medicis enata, si supra vulgus eminere velint, eorum idiomata discendi. Latino tamen apud Germanos magis, quam alias gentes, id quod honoris causa dictum esto, pristinum decus seruatum mansit.

Prae reliquis vero medicinae partibus illi, quae cognoscendis praecauendis et curandis morbis occupatur, siue practicae, hanc popularem dicendi rationem dicatam offendimus. Si ab iis, quae contingunt, concluseris, in tota scientiarum censura nullam aliam esse conuenientiorem magisque idoneam, quae ab omnibus et singulis intel-

lectu et memoria teneatur, praxi medica, facile crederes. Etenim quum quilibet homo morbis vacet: aequum quoque videtur, vnumquemque praesidia eorundem vel auertendorum vel sanandorum nouisse. Haec sine dubio necessitatis eadem pernoscendi persuasio effecit, vt, si inter familiaria colloquia, vel comessationes adeo, morbi cuiusdam mentio incidit, vix eius nomine audito, vnus vel alter medicamen eiusdem auerruncandi suggerat; quo miserationis genere scimus elegantem sexum, aetate in primis paullo prouectiorem, nostro antecellere. Raro porro calendarium quoddam euolues, quin agglutinatam vel immixtam cernas consiliorum medicorum farraginem. Quin haud pauci exstant libri, coquinariae arti destinati, in quibus inter iusculorum, pultum botulorumque parandorum praecepta, quid ad verrucas, ephelides, vel pedum clauos delendos, partum accelerandum, odontalgiam curandam, rel. faciat, edocetur. Multa insuper exempla sunt virorum, humanitatis omni studio, vt exercitio, destitutorum, qui Graecas Latinasque voces vix sine offensione legere, ne dicam intelligere, valent, impetrato tamen Doctoris vtriusque medicinae titulo, eo quo haerent loco, cum nominis celebritate plausuque communi artem nostram exercent, diuitiis, curruum famulorumque strepitu, et aedium, suppellectilis, vestitus splendore distincti. — Quidni igitur populari ratione tractandam vel maxime esse a medico litterato dixeris eam scientiam, quam vel edentula mulier, vel coquus, vel iatralipta, Docto-

Doctoris titulo et fimbria vestis aurea fulgens, cum illo communem habet?

Quae ipsa argumenta licet apud sanioris iudicii quemuis leuitatis nota suspecta et exosa sint, non parum tamen ponderis, pro dolor, apud multos, praecipue arte salutari initiandos, habere videntur, qui, prae vecordia quadam vel tarditate animi vel ignauia, pani lucrando vnice inhiantes, nonnisi de arctandis artis pomoeriis et solius practici studii necessitate mussitant. Tanto grauior censebitur veteranorum quorundam vereque eruditorum medicorum auctoritas, qui consilia varia medica ea sermonis perspicuitate in medium proferre sibi proposuerunt, vt praesentis medici officium abesse posset. Ita acidularum vulgatissimarum natura effectus vsusque dilucide satis et ad captum vulgi explanati sunt, adeo vt pauci, e. g. fontes Pyrmontanos morbi causa, non temporis vnice fallendi vel ludis variis lucrandae pecuniae, petant, quin Seipianum librum antea perlegerint. Quam frequenter comparent praecepta collegiorum adeo medicorum, grassantibus epidemicis morbis, per scriptiunculas data, vt et rustici aliique illiterati homines vitae propriae et suorum prospiciant. Ex quo ROSENSTEINIVS ephemeridibus praecipua de infantum morbis capita insereret, plures alii eodem vehiculo vel redarguere errores in valetudinis cura vulgo commissos, vel salutaria consilia suppeditare, annisi sunt. Sunt et quidam artis nostrae articuli, quos iure quodam translatitio aliis in

in reliquo medicinae ambitu peregrinis administrandos tradiderunt, quorſum ars obſtetricia, dentium cura, balneorum comparatio, pertinent. Ne vero credas, vel neceſſitate vnice vrgente vel in leuioribus modo momentis alios in communionem exercitii artis fuiſſe adſcitos: memento exiſtere medicos fama meritisque veris inclytos, qui de praecipuis affectibus morboſis eorumque medela aperte et absque omni eruditionis fuco egerunt, idque mox ad acutos vnice morbos, omiſſis chronicis, mox ad vtrosque reſpicientes, mox ad morbos tantummodo, mox ſimul ad infortunia quaedam non praeuiſa et celerrimam opem requirentia. Celebria inter hoſce praeprimis ſunt TISSOTI, SWIETENII, OFTERDINGERI, BVCHANI, STÖRCKII, VNZERI, et e gente Suecica, ROSENSTEINII, DARELII, HAARTMANI, nomina. Nam ad vetuſtiora tempora nolo regredi, quoniam vix vllum inter haec nomen eſt, cuius fama ad praeſens tempus peruenerit. Nec pauciores ſunt auctores, qui ſecundum eandem intellectu faciliorem normam Diaeteticen, medendi artis alterum oculum, perſequuti ſunt, quorum inter Germanos KRÜGERI et ZÜCKERTI molimina notiſſima.

Dum igitur, Auditores, populare hocce praxin medicam tradendi ſtudium, ſui ipſa natura probabile et auctoritate tot medicorum, quorum quosdam antiſtites artis veneramur, commendabile, conuellere aggrediar, vereor, ne vix audacis et vituperandi pruritu excitati hominis notam effugiam.

giam. Imo erunt inter Vos, qui a quolibet alio impugnatos hoſce amabiles conatus malint, quam a medico, cuius culpatio vel ab inuidia vel a lucri cupidine poſſet eſſe profecta. Verum grauia me iudice in mentem mihi ſaepiſſime inciderunt argumenta, quae vtilitatem horum ſubſidiorum pro eo quidem fine, quem ſibi praefixerunt celeberrimi eorundem auctores, limitant. Quae iamiam a me proponi, nec a feſti huius diei grauitate alienum arbitror, quum, ſi ſanitas nullo non tempore et loco omnium donorum diuinorum cuilibet pretioſiſſimum ſit, praeſidiorum quoque eiusdem conſeruandae vel recuperandae ponderatio nullibi pretio ſuo deſtitui cenſenda. Ne vero, Auditores honoratiſſimi, protractiori, quam exſpectetis, dictione, inexercitati praecipue oratoris, defatigemini, ſtrictim carptimque omnia perſequi pro lege ducam.

Non vnum ſed multiplex commodum eſt, quod hi ipſi, quos perſtringo, libri pollicentur, licet omnes et ſinguli vix alios homines, quam in arte medica peregrinos, condocefaciendos ſibi ſumant. Hosque ita in morborum caſuumque maxime ancipitium et medicaminum auxiliorumque notitia inſtructos cupiunt, vt vel ſine medici praeſentis adiumento ſuppetias ſibi aliisque, quorum amore vel miſeria ducuntur, ferre queant, vel abſentem de natura morbi tanto certiorem reddere, vel etiamſi medicus acceſſerit, tanto exactius corporis malique conditiones illi exponere. Quam

nobile

nobile hocce propoſitum, quam dignum bono ciue, probo et ingenuo medico, quaeſtui proprio lubenter partem derogante, modo aliorum commodis inſeruiat! quantoque vtilius, ſi modo ſcopo aſſequendo par eſſet, quum ad plerosque homines ſpectet, eosque noſtra miſeratione, noſtris beneficiis, digniſſimos, paganos! Hi nempe, vtpote a medicis pharmacopoliisque remoti, prae reliquis, qui in vrbibus degunt, ſubſidiaria medentium prouidentia indigent. Sed vtinam aeque fidum eſſet hocce praeſidium, ac finis, quem ſpectat, pius. Cogitate principio curatius varium iſtud hominum genus, quorum ipſorum vel aliorum, iſtis quocunque nexu iunctorum, anguſtiis ſubuenire hocce conſtitutum fuit. Duplex horum in vniuerſum mihi concipio. Vnum efficiant homines litterati aliique paullo liberalius educati, ita vt libros legere non modo queant, ſed et intelligere. Horum in numero praecipue ad verbi diuini miniſtros ruri degentes reſpectum, quibus, dum animi curam agunt, copia ſimul datur praeiudicia coetus ſui, valetudini infeſta, deſtruendi, ſalutaria aegris adminicula ſubminiſtrandi, imo, ſi malum in multorum praecordia ſimul ſaeuit, e ſuggeſtu conſilia ab artis peritis edocta commendandi; et verum eſt, plerumque ſacerdotum perſuaſionibus plus ponderis apud plebem ineſſe, quam ipſorum regum mandatis. Porro fundorum dominis e re eſſe videtur, ſubiectorum ſibi hominum ſanitati proſpicere, vtpote quum, quo integrior iſta ſit, tanto maior redituum ſpes capi poſſit. Hiſce proximi loco

ſunto

ſunto praefecti dominiorum principis, qui, niſi calloſior ſit conſcientia, ad principis commoda eodem, quo ſua, ardore promouenda tenentur. Ruri praeterea degunt hinc inde chirurgi; qui, rudimentis artis ſuae qualitercunque olim imbuti, ob cognationem arctiorem eius cum medicina, ſperare ſinunt, fore, vt lectione libri, ſuo captui adaptati, corrigant errores priſtinos et tutiorem opem iis, quorum intereſt, afferre diſcant. A ludi magiſtrorum paganorum opera pariter aliquid commodi hac in re exſpectari potuit, vt in quibus, etſi tyrocinio vnice docendo occupatis, germina tamen altioris indaginis quaeri poſſe vero ſimile habitum. Demum lectionem eiusmodi librorum cuilibet patrifamilias vel matrifamilias ſupra vulgus elatae iucundam futuram et fructuoſam, coniugis, liberorum, cognatorum, famulantium cauſa, popularitati huic ſtudentes medici ſibi perſuaſerunt. — Ad alterum hominum genus, quorum bonis conſultum hiſce cupiuerunt, refero tam eos, qui typis expreſſa ne legere quidem ſciunt, quam illos, qui initiis iſtis humanae cognitionis non quidem deſtituuntur, animum tamen non aſſueuerunt libris ita verſandis, vt vel voluptatem ex lectione capiant, vel ſuper lectis meditari eaque in vſum et applicationem trahere queant; ex quorum poſteriori cenſu non ſolum multi ciuici ordinis homines ſunt, ſed adeo haud pauci ex generoſa veterique proſapia oriundi, arte venatoria vel piſcatoria magis quam litteris initiati. Vſum hoſce proprio auſu ex iſtis libris petere poſſe nullum, vltro mihi largiemini.

Sed et in reliquos parciorem longe fructum inde redundare, quam eorum auctores exſpectant promittuntque, ſine probatione nefas eſſet ſuſtinere.

Igitur id primum me moratur, quod non omnes hoſce libros legant, qui legere poſſent, et eosdem in commoda haud ſpernenda conuertere. Deterret multos voluminis amplitudo; nam non omnes eam breuitatem amplexi ſunt, quam ROSENSTEINIVS in Pharmacopoea ſua ſic dicta domeſtica et itineraria, aliorum contra opera in alphabetum adeo vnum vel alterum ſuccreuit. Haec, ſi quid vtilitatis habitura ſit, non tum primum trutinari debet, quum periculum ceruicibus iam inhaeret, ſed antea, quam morbus vel improuiſum infortunium inciderit, ſiue iſtud proprium caput ſiue aliorum petat. Quotus quisque vero eſt, niſi officii ratio, vt in medico, id iubeat, qui ſanitate vigente praeſidia labefactatae quaerat! Fac vero a capite ad calcem fuiſſe librum huius generis perlectum: an, ſub iſta argumentorum copia, quam continet, memoria tibi tum praeciſe momenta praecipua ſubminiſtrabit, quum applicationis neceſſitas ſeſe repraeſentat? Si ſub ipſo morbo haec auxiliorum medicorum promptuaria adis, iuſto plerumque ſerius adis. Quodſi enim ipſe aegrotes, cogitandi vis plerumque ita obtunditur, quin ſaepe omnino ſufflaminatur, vt ab aliorum arbitrio omnino pendere te oporteat; an pendebis a cognatorum tuorum, qui plerumque prae amore tui, caſu, quo proſterneris, tantopere percelluntur, vt ſuppetias

tibi

tibi ferre nequeant, et ipſi peregrina ope egeant? Tantoque difficilius ſine dubio eſt, praeſente iam malo quodam ancipiti ex vberi hocce apparatu ea enucleare, quae proſint. Aſt dabo, legi breuiarium iſtud valetudinis, et iuſto tempore legi, an ideo intelligetur? Caue omnem intelligendi monimenta medica difficultatem in eo colloces, quod multas Graecas Latinasue voces complectantur. Haſce etiamſi in vernaculam verteris, difficultas manet, nam non tam vox, quam ipſa res potiſſimum, te moratur, prout non ideo librum iuridicum intelligo, quod Germanica lingua exaratus fuerit, nec ideo botanica expeditior intellectu redditur, quod technici termini Latini barbari in terminos Germanicos barbaros, vt mos nouiſſimorum temporum eſt, transferantur. De grauitate autem praxeos medicae ſicuti nullus aequus cenſor dubium fouet: ita et nemo proletariam operam ad addiſcendam eam ſufficere aſſeuerabit, qui eandem cognitione exacta morborum affectuumque variorum, porro penitiori medicaminum et auxiliorum notitia, tum et ſagacitate haud mediocri ex viſis diiudicandi non viſa, et medelas, non ſecundum morborum nomina, ſed conditiones varias praeſentes eligendi, contineri, apud animum reputet. Si praeterea ad manuarias artes feliciter perficiendas vſus et exercitatio requiratur, quanti magis in hac ſcientia, quae tota obſeruationibus et experimentis nititur, intereſt, non curſoria vel fugitiua lectione breuiarii, ſed circumſpecta et repetita naturae inueſtigatione, et ſedula cum hacce monimentorum fidorum artis noſtrae

noſtrae comparatione, pectus ad tantum obeundum munus praemuniuiſſe.

An hae ipſae dotes cadere poſſint in hominem, ſtudiis vel muneribus a medicina remotiſſimis deditum, vel a quauis animi intentione alienum, iam ipſi, Auditores, iudicate. Non mirum igitur, in dignoſcendis morborum ſpeciebus tot tantosque errores ab ignaris artis noſtrae, imo eruditis alias, ſed litterario dicto ſubſidio vſis, committi, vt vel ipſe in conſultationibus medicis per litteras factis experior; et quidni id fieret, quum ipſi medici iique idonei ſaepe quoad diagnoſin morborum tantopere inter ſe diſcrepent. Sed vt ne putes, hoc ipſum ſententiarum diuortium in rarioribus vnice morbis locum habere, ex vulgaribus crebroque obuiis exempla quaedam depromam. Apoplexiam ſeroſam a ſanguinea verbis diſtinguere cuilibet eſt facile, ſed non item re, vel in ipſo aegro. Quam difficile ſaepe colica inflammatoria ab aliis eius ſpeciebus diſcernitur! Quam ſaepe hectica cum pulmonum phthiſi confunditur, phthiſis ex vlcere pulmonum cum pituitoſa! quam multas varias ſcenas ludit malum hypochondriacum et hyſtericum! Quam ſaepe ſub alterutrius horum larua imponit taenia, donec per articulos vel fruſta ſecedat! Quam multa calculi veſicae lotii cum tumore ceruicem eiusdem obſidente communia! Si eiusmodi ſpecierum confuſio in morbis adeo ſimplicibus non ſemper euitari queat, tanto magis obnoxios eidem eſſe hoſce, quorum natura complicata, ſponte patebit,

tebit, cuius generis eſt inflammatoria febris cum putrida iuncta, malum hyſtericum labe arthritica ſtipatum, inquinamentum venereum cum ſcorbutico copulatum, vel idem cum rachitico. Incautis facile imponit varietas iſta ſymptomatum, qua ipſa vnus idemque morbus ſaepe a ſe ipſo, pro naturae aegrorum et conditionum accedentium diuerſitate, mirifice deflectit; vnde facile fit, vt lector non medicus idem malum ſub capite breuiarii longe alio, quam deberet, quaerat, neſcius prae tenuitate ſcientiae, quid in hoc ipſo eſſentiam conſtituat, et quid modo accidentale ſit. Subtilior longe magisque ardua illi res eſt, morborum ſtadia diſtinguere, pro quorum diſcrimine medela quoque variet, neceſſe eſt, criſes ſymptomaticas a veris discernere, gradum denique et vehementiam morbi ex pulſu, reſpiratione, excretionibus variis aliisque ſignis non ambiguis diiudicare. Et quid dicam de tenebris iſtis, quae illi in cauſarum morbi exploratione obuerſentur. Quantum vermium in generandis diuerſiſſimis morbis imperium! Quam difficile ſaepe ipſi medico, ophthalmiae, icteri, hydropis, epilepſiae, veram cauſam expiſcari! Et iam homo, qui vix primoribus labris diuinam noſtram ſcientiam attigit, expiſcabitur?

Iam vero, ſi in morbi cuiusdam diagnoſi, et ſtadiorum, ſymptomatum, cauſarumque notitia animus tantopere vacillet, quam infirmo fulcro ipſa illius curatio innitatur, cuilibet conſtat, qui pathologiam therapiae baſin eſſe apud animum revoluat. Qui rem inuertat, remedium primo quaerens,

rens, dein morbi hiſtoriam trutinans, coecae empiricorum et agyrtarum cohortis ſequitur morem, cui formulam ſcribere vel antidotum commendare primum, in morbum vero inquirere ſecundum eſt. Sed huic hominum generi quantae dementiae capita credere, cui, vt poëtae verba mea faciam, ne calceandos quidem pedes committeres!

Aſt ſi et id largiar, poſſe libris iſtis medicis populariter ſcriptis eo perueniri, ſaltim in quibusdam morbis, manifeſtioribus notis conſpicuis, ſicuti febribus intermittentibus, inflammationibus pectoris, variolis, morbillis, vt et ſpecies et reliqua de morbo ſcitu neceſſaria momenta in aprico poſita reperiantur: quam difficile tamen eſt, per librum medendi methodum ſatis dilucide tradere, quum ſaepe ne verbis quidem ore prolatis intelligi ſatis, imo a melioris ſortis hominibus, medici queant. Teſtor in primis medicos, qui plebis ruri vel in vrbe degentis valetudini inuigilant, quantum taedii ſaepiſſime pariat obtuſior eiusdem intelligendi vis, indiuiduus iſtae neglectae animi culturae comes. Inde aliquando factum, vt, quum medicus chartam, cui formulam inſcripſerat, ruſtico traderet, quo ex pharmacopolio deſideratum medicamen peteret, hic poſt aliquot dies gratias acturus cum pullis aliquot gallinaceis pro ſoſtro rediret, integram chartam ſe maximo fructu deglutiuiſſe ſignificans. Alius, quae eluendae aluo deſtinata erat medicina, hanc per os ingeſſit. Alius rurſus pulueres, in plures doſes diuiſos ſeorſimque ſumendos, in vnum commiſcuit, et vna cepit.

Quodſi

Quodſi autem in eiusmodi conſiliorum ſimplicitate, cuius ſanae mentis quilibet capax eſſe videtur, aqua haereat, quanto procliuius eſt errare in illis, quae non ſine iudicii intentione ſeſe in vſum trahi ſalutarem patiuntur. Horum e numero omnino ſunt ea, quae ad delectum medicaminum ſpectant, pro morbi complicatione, pro aetate, ſexu, temperie, cauſarum multiplici natura, ſtadiis morbi diuerſis, varium, porro ad doſin horum formamque commodiſſimam, tum et ponderis ſecundum conditiones varias argumentum et diminutionem, et neceſſariam ſaepe remediorum mutationem. Quid dicam de heroicis, quae quidem nomine talia rarius in breuiariis iſtis medicis praecipiuntur, ſed nonne ſaepe alia, ſpecie etſi blanda et fere adiaphora, vim heroici pro conditione peculiari incidente praeſtant? quorſum pertinet ſerior euacuantium criſi iam imminente vel praeſente vſus; quam multa ſaepe ad lectos aegrorum de venae ſectione, de emetico, de veſicatorio adminiſtrando vel negligendo; ipſorum adeo medicorum diſcidia! ſingulo ſententiae ſuae patrocium pro virili agente. Quin ingenue fateor, ſub manca iſta morborum pariter ac praeſidiorum valetudinis cognitione et variis iſtis erroribus ſaepiſſime commiſſis, quorum tamen culpam non tam in libros quam lectores coniicio, ſaepiſſime praeſtare, morbum ſolius naturae beneficio relinquere, quam male intellectis vel applicatis conſiliis in peius vertere. Harum quidem naturae, pro vindicanda noſtra ſalute, excubiarum exemplis, quum innumera in omni propemodo

pemodo morborum et affectuum genere exſtent, non opus eſt multis inſiſtere.

Accedunt dictis hucusque incommodis, quae horum librorum lectionem comitantur, duo alia, pondere etſi prioribus leuiora, non tamen plane nulla. Vnum hoc eſt, quod multi lectorum, dum aegroti delineationem huius vel illius morbi ob communionem aliquam ſymptomatum ad ſe transferant, licet vere alia aegritudine laborent, praeter rem et neceſſitatem ſaepe angantur et contriſtentur, arripientes fortuito dirioris longe morbi deſcriptionem, quam quo ipſi afficiantur. Quodſi contra non errauerint in diſcernendo vero morbo, exinde ſaepe contrahunt morbi pabulum haud ſpernendum, quod funeſtiſſimos quoque euentus legendo comperiant, quos, pro ea hominis peſſimum ſemper ſuſpicandi conſuetudine, non mirum eſt, ſi ſibi metuant, etſi ſaepe perperam, quum vel naturae vel artis beneficio mitiori gradu morbus ſubſiſtat. Dum igitur medicinam morbi in breuiariis hiſce quaeris, igniculos ſaepe illi ſimul ſubdis, quibus adeo ſubinde in apertam ille flammam erumpit. Neminem enim latet, quantum ad morbi ſanationem conferant animi tranquillitas et ſpes probi ſucceſſus; quantum contra vires tam animi quam corporis eneruent, quin ſupprimant, triſtitia, metus, deſperatio. Commune hoc timoris, intempeſtiue ſaepe excitandi, diaeteticorum librorum cum therapeuticis vitium eſt, vt et iſtos ſaepe extricari manibus lectorum medicae ſententiae expertium,

tium, quam immitti, mallem. Multi enim homines, qui, nisi diaetetices austeritate turbarentur, pacato gratoque animo et absque vlla valetudinis offensa creatoris benefici donis, solam vocem naturae secuti, vterentur, iam ad vini haustulum praeter consuetudinem captum, ad dena fraga vel cerasa supra vulgarem numerum comesta, ad somnum per horulam solito protractiorem, ad zephyri blandum afflatum, similesque alias leiusculas res, scrupulos concipiunt, expauescunt, naturam fraudis, inclementiae, atrociae accusantes, quum potius male conscripti vel male intellecti breuiarii morositatem vel nequitiam castigarent.

Denique et eo popularitatis istud studium, quod reprehendo, molestum est, quod aegris vel amicis circumstantibus obloquendi medicis materiem suggerant. Hisce ipsis, si officio satisfaciant, naturam, non libros, in medendi arte sequi conuenit, deflectere a vulgari medendi tramite, si res ita iubeat, item demere illi vel addere, quod ars et experientia dictitat. Iam autem medico haud raro obtingit, vt, quaeuis licet naturae, arti et conscientiae, conuenienter adornet, aeger vel amico illi officio iuncti, tanquam melius rem noscerent, hunc vel illum auctorem, ex cuius libello sapiant, tanquam genium tutelarem, obuertant, qui alia diuersaque praecepta iniunxerit. Inde fit, vt, si suae artis conscius medicus decedere a pristino consilio detrectet, aeger diffidentiam in eius peritiam coniiciat, si autem iusto flexilior vel obsequior sit,

 idem

idem accidat, quod ſub conſultationibus medicis haud raro, quod nimii erga alium medicum obſequii aeger poenas funeſtas luat.

Verum abſit, vt iniurius in celebrium virorum merita ſim: limitandam modo eiusmodi opuſculorum popularium laudem dixi, non omnino iſtis derogandam. Non carent iſta ſuis commodis, etſi fore, vt in eos praecipue caderent, quibus deſtinata, diffiſus ſim. Diſparebit dedecoris ſuſpicio, quod illis allinere quibusdam forſitan viſus fuerim, ſi ad medicos praecipue bene multos vſum eorundem pertinere ediſſeram. Iuniores exinde normam capient medendi intellectu facillimam et tutiſſimam, naturam morboſam fido penicillo absque ratiociniorum vllo fuco depictam cernentes, et delectum remediorum exquiſitiſſimum et probatiſſimum ordinemque eadem adminiſtrandi diſcentes. Et, ſi olim ſpecifica ſectari faſtigium artis reputaſſent, iam vanum eorundem praeconium perſpicient, multosque morbos, ſpecie nomineque licet diſſimiles, iisdem remediis auſcultare cognoſcent. Aſſueſcentes vero tempeſtiue TISSOTI illique ſimilium medicorum libris popularibus, qui nihil niſi humanitatem ſpirant, et ad infimae adeo plebis indigentiam miſeratione deſcendunt, deponent ſacram iſtam auri cupidinem, quod corradere prauis potius medicorum bene multorum exemplis ſeductus animus, quam religione et humanitatis ſenſu munitus, primarium muneris ſcopum eſſe, facile ſibi perſuaſit. Imo exercitatiores medici ob mutuum iſtud, niſi animo-

animorum, saltim artis incrementorum, vinculum haud sine auiditate vel voluptate scrutabuntur eundem secum agellum arantium opera, et, quum dies diem docet, noua adeo lumina saepe acquirent. Quod vero ad lectores, medicae scientiae expertes, attinet, etiamsi eorum longe minor numerus existat, quam vulgo putatur, et multa ab hisce quoque vel non satis intelligantur, vel eo praecise temporis momento applicari nequeant, quum necessitas vrget: fatendum tamen, istis subsidia in multis momentis ab hisce opusculis ferri haud spernenda. Redarguunt haec errores varios vniuersaliores, quorum culpa clades funestissimae inciderunt, quos vero quilibet, modo admoneatur, vitare potest; quorsum refero noxam calefacientium in febribus acutis, alui obstructionis in exanthematicis, purgantium fortiorum in apoplexia, balsamicorum in phthisi, pinguium extrinsecus adhibitorum in arthritide, vel saturninorum in erysipelate, damnum subitae vlcerum vetustorum consolidationis, et quae alia sunt. Multorum quoque affectuum ea obtinet ratio, vt et ab obesae naris homine facile discernantur. Infortunia varia huius loci sunt, vt suffocatio apparens aqua submersorum vel carbonum halitibus prostratorum, truces venenorum ingestorum effectus, reliqua. Nec aliquis facile in cognitione haemorrhagiarum, epilepsiae exquisitae, exanthematum vulgatissimorum, febris tertiana similiumque morborum, falletur, quorum character reliquis longe manifestior est. Sic et consiliis per hosce libros suppeditatis bene multis

ea ſimplicitas et ingenuitas ineſt, vt nulla ambiguitate imponere lectori poſſint. Quum porro hi ipſi quaeſtiones ſoleant in enumerato habere, quarum ſolutione carere medicus in curatione morborum neutiquam poteſt, diſcitur ad quaenam momenta, per litteras vel amicos, conſulturum medicos reſpicere oporteat, et norma obtinetur, ad quam morbi hiſtoriam concinnare illi conueniat. Ipſe medicus ingenuus abſenti aegro, dum vacillet de morbi genio, indicare caput poteſt, quo deſcriptus in libro ſit, vt exinde aeger diagnoſin eruat, et eadem eruta eas ſimul valetudinis regulas hauriat, quas ob diſtantiam locorum non ſatis exacte auribus vel litteris capere poteſt. Nec negauero aegrum vel cognatos ſaepe tanto plus fiduciae in medicum, praecipue iuniorem, collocare, ſi conſenſum inter eiusdem conamina et veterani medici ſcripto tradita auſa animaduertat, vnde idem ſolamen emergit, quod peti ſolet a conſultationibus medicis, iis nimirum, quas amica nec niſi ad aegri ſalutem reſpiciens mens alit, non vero litigioſa, inuida vel lucro vnice intenta irritas, imo ipſius aegroti ceruici deleterias, reddit. Et quum ſaepe pro dolor! non ruri modo ſed etiam in vrbibus nonniſi medicus arte ſua rudior ſuppetat: praeſtat omnino mutis ROSENSTEINIORVM, TISSOTORVM, conſiliis, quam praeſentis inepti medici loquacitati, quae vulgaris ſolet ignorantiae miniſtra eſſe, morem gerere.

Aſt immorari diutius huic, quam hucusque perſequutus ſum, orationis materiae, eadem huius diei

diei ſollennitas, quae me ad dicendum inuitauit, vetat. Praecipuum enim noſtrum, quotquot Georgiae Auguſtae adſcripti ſumus, hodie officium eſt, laetari bonis noſtris, et gratiarum actione, votis, comprecationibus, ſollicitare diuinum numen, vt hanc, qua adhuc fruimur, felicitatem proroget et perennare ſinat. Rediit hodierno diluculo fauſtus iſte dies, a quo faſtos ſuos numerat Georgia Auguſta. Rediit quidem ſimpliciori habitu et bene multarum actionum et cerimoniarum, quae primo illo eius natali, oculos, aures, mentem praeſentium praeſtrinxerunt, comitatu deſtitutus. Quemadmodum autem in principatibus capeſſendis, comitiorum auſpiciis, munerum exordiis, nuptiis aliisque maioris momenti auſis, cerimoniae, quae eorundem initiis ſplendorem vel decus conciliant, pars minima modo ſunt eorum, quae ſequantur, et emblema modo et omen grauitatis et ſucceſſus futurorum euentuum prae ſe ferunt: ita et hodiernus inaugurationis iſto Georgiae noſtrae multis modis grauior et illuſtrior cenſendus eſt. Quibus enim grauiſſimis rebus tum modo praeluſum eſt, et quas ipſas tum tantum augurio votisque complexi ſunt, haſce ipſas, poſt tot fluxus, tot caſus, qui detrimentum illi cladem que minati ſunt, vel ad ſtabilitatem roburque ſuum perueniſſe, vel laetiſſima incrementa adeptas eſſe, vel nouis inſtitutis auctas, iam experimur. Facile eſſet in hiſce percenſendis per partes procedere, ſed vereor, ne diuturna exauditione delaſſatis extenuare potius earundem pretium quam ornare videar. Nec ſunt eiusmodi,

 vt

vt ſeſe ſubtrahere oculis ingenioque eorum poſſint, qui priſtinum iſtum inſtitutorum, praeſidiorum, et ornamentorum rei academicae laborumque doctorum habitum et faciem cum praeſenti horum omnium forma conferant.

Si praeterea a ciuium frequentia, ſtudiorum cauſa in academias aduentantium, probabilis ad famam, qua iſtae apud exteros fruuntur, concluſio fiat: gratulandum nobis habemus, quod non obſcura vel velata ſint publica academiae bona et noſtra conamina, ſed in conſpectum aequorum eorundem iudicum prolata, nec nomina nosmet dediſſe noſtra deſidentis gloriae academiae, ſed magis magisque ſenſim emergentis. Rata igitur habuit numen auguria votaque, quae ante hos quadraginta duos annos ſacro hocce loco ſancita ſunt.

Eidem vero benefico numini, quod initiis et incrementis huius litterariae Vniuerſitatis tanta indulgentiae vbertate praefuit, iam futuram eiusdem integritatem, vigorem, exiſtimationem, committimus, illudque piis precibus ſupplicamus, vt eandem, inter pacis fauſtiſſimo fato in Germania recuperatae delicias, vtinam mox in reliquis terrarum orbis ditionibus, Regis ſceptro ſubiectis, ſub potentiſſimi Regis, auguſtiſſimae Reginae, et ſereniſſimae Regiae familiae integerrima incolumitate, placida animi tranquillitate iucundaque longaeuitate, et ſub illuſtriſſimorum academiae Curatorum

atque

atque reliquorum poteſtatis Regiae adminiſtrorum vigente ſalute et fauſto conſiliorum ſucceſſu, ſervare et protegere pergat, nouisque in dies academiam noſtram benefactorum laudibus efflorefcere iubeat.

Iam Vos alloquendi eſtis, Candidati praenobiliſſimi, qui honoribus, ad quos adſpiratis, haud mediocre decus exinde acceſſurum arbitrati eſtis, quod hac ipſa occaſione Vobis conferantur. Et quidni illis accederet nouum decus et omnium praemiorum, quae a voluntate, ſtudio, officio noſtro pendent, complementum, dum in hoc piae mentis delubro, in tanta auditorum et ſpectatorum frequentia, in conſpectu tot, vel eruditione meritisque, vel natalibus, vel amore et propenſione in litteras, enitentium virorum, ex tam elato loco, die Gottingenſibus praecipue muſis ſacratiſſimo, Doctores medicinae creabimini. Mihimet vero, quum hiſce Veſtris deſideriis ſatisfacere iniunctum ſit, id in primis voluptatem parit, quod cum bene merentibus res agatur, et publica haecce laudatio non ritus vnice cauſa, ſed officii inſtar fiat. Ea enim aſſiduitate, animi intentione, intelligentia et morum ſuauitate interfuiſtis noſtris recitationibus reliquisque Vobis dicatis ſtudiis, vt inde iam coniectura aſſequeremur, quod ſpeciminibus publicis comprobaſtis, digniſſimis nempe olim honores medicos nos impertituros eſſe. Latere Vos nequit, Candidati aeſtumatiſſimi, grauitas muneris, ad quod iam initiandi eſtis, vt quod non repentino impetu,

ſed lento, et circumſpiciente omnes ſalebras, gradu, ſubitis. Legibus vero vt obtemperetur, reuocanda iam iterum officia boni medici in memoriam Veſtram ſunt, et iurisiurandi vinculum ad eadem ſollerter fideque ſeruanda Vobis imponendum. Accedas igitur rogo, conſultiſſime Vir, qui Academiae ab actis es, et conſuetam iurisiurandi formulam ex ſtatutorum ordinis medici codice praelegas, Vos vero, Candidati praenobiliſſimi, tactis ſceptris religioſam mentem eidem addicite.

(*Iusiurandum.*)

Quod igitur ſummum numen felix et fauſtum Vobis eſſe iubeat, et Georgiae Auguſtae atque reipublicae ſalutare, auctoritate Caeſareae Maieſtatis, auſpiciis et indultu auguſtiſſimi et potentiſſimi Principis ac Domini, GEORGII TERTII, Regis magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae, Defenſoris fidei, Ducis Brunſuicenſis et Luneburgenſis, ſacri Romani imperii Architheſaurarii, et Principis Electoris, Rectoris huius Academiae ſuae magnificentiſſimi, Domini noſtri longe clementiſſimi, ex decreto ordinis mei

Ego

JOANNES ANDREAS MVRRAY

Medicinae Doctor legitime promotus, huiusque Profeſſor publicus ordinarius, Ordinis medici Decanus et hodie Brabeuta,

Vos primum publice ex hoc ſollemni loco proclamo, qui per biennium praeterlapſum honores

res et immunitates Doctorum artis salutaris consequuti estis, scilicet TE &c.

(*Omittuntur hic eorum nomina.*)

Deinde et Vos praesentes, Candidatos adhuc Medicinae, quorum fidem hisce ipsis momentis iureiurando adstrinxi,

Te GEORG. PHILIPPVM LEHR, Moeno-Francofurt.

Te THEODORVM FRIDERICVM TRENDELENBVRG, Lubecensem,

Te CAR. HENRICVM WERTMÜLLER, Stockholmiens.

Te JO. FRIDERICVM ADOLPHVM BECKER, Lippensem,

Vos omnes et singulos Medicinae Doctores creo, renuncio, proclamo, Vosque omnibus dignitatibus, iuribus, immunitatibus, emolumentis, quibus vel lege vel consuetudine Doctores medici fruuntur, frui cupio iubeoque. Haecque fiunt in nomine Dei patris, filii et spiritus sancti.

Vtimini iam iuribus Vestris, quorum hoc primum est, quod ex inferiori *cathedra* in superiorem, quam hucusque solus pressi, ascendatis. —

Saluete igitur, experientissimi Doctores, quibus gratissimo animi affectu me cinctum iam conspicio. Non leuis scitote honoris significationem hunc, quem occupastis, locum esse, sed ad docendi alios potestatem, vires aliorum in palaestra moderandi, et ius, consilia cum aliis medicis, aetate etiamsi et munere Vobis eminentioribus, miscendi, respicere.

 Mori

Mori iam gerendum exemplo venerandae antiquitatis eſt, et ſymbola quaedam Vobis vel eroganda, vel commonſtranda, quibus iſta in publicis inaugurationibus vſa fuit.

Pileus, quem capiti Veſtro admoueo, nullo non tempore libertatis indicium, admoneat Vos, nihil eſſe ſeruile in arte noſtra debere, neque ſectarum iugo deteſtabili collum ſubmittendum, nec, quod crebrius fit, adulatione demiſſa et indecora, ſed erecta fronte hominum propenſionem eſſe aucupandam.

Praebete iam dextram Veſtram, vt *annulo* illam condecorem. Non ornamentum autem modo digiti eum habeatis, ſed conſtantiae in ſcientia, cui vos ſacraſtis, incitamentum.

Librum Vobis exhibeo. LINNEI *Syſtema naturae* eſt, quod — exoſculor. Imitamini immortalem virum naturae indefeſſo ſcrutinio, obſeruationum acumine et pondere, ſagaci nouorum inuentorum indagine. Et prout ille, non ſibi ſoli ſapiens, aliorum opera non ſuperciliosſe contemſit, ſed horum medullam inſatiabili lectione in publica commoda protraxit: idem et Vos facite. Id quod *aperiendo* librum commendatum Vobis cupio. Dum *claudam* vero illum, mementote, quod meditationi ſuper ſuis aliorumque detectis ille inſumſerit vigilias, quam felix haec illi fuerit in abditis eruendis veritatibus et mirandis naturae phaenomenis explicandis adiumentum.

Oſcula

Oſcula Vobis figo, vt memores exiſtatis non ſolum beneuolentiae ordinis noſtri, ſed mutuae amicitiae et concordiae, quae Vos cum aliis, laborum Veſtrorum ſociis, deuinciat.

Quo vero et abſentibus innoteſcat, ad quod honorum faſtigium perueneritis, *diplomata* Vobis decreta ſunt, ſigillo ordinis mei firmata, meoque nomine inſignita.

Atque ſic, quum ex hac cathedra mihi diſcedendum, nihil magis in votis mihi eſt, Auditores, quam vt patientia, qua me loquentem audiuiſtis, laetum nec fallax ſit perennis Veſtri in me, et Doctores recens a me creatos doctiſſimos, fauoris et beneuolentiae augurium.

XIII.

XIII.

DE

CATECHV.

DE CATECHV. *)

PROOEMIVM.

Ea iam viuimus aetate, quae cognitionum medicamentorum ſolidam non virtutum vnice eorundem ſcientia et praeſcriptione in formulis metitur, ſed notis integritatis, ſpeciei, cui quodlibet originem ſuam debeat, collectionis vel praeparationis modo, quem illud ante vſum ſubeat, patriae, vnde proueniat, itineri demum, per quod ad nos transferatur, inueſtigando, intentiſſima eſt. Nec ſane vnico horum momentorum carere medicus poteſt, ne dicam ſine dedecore, ſed ſine aegri, cuius rationem potiſſimum habere eum oportet, detrimento. Multa inſuper ſunt medicamina, quae, apud nos licet indigena, ſine hiſtorica eorum notitia ab exteris haud ſine inſignibus ſumtibus peteremus, multa, quae haud exiguum lucrum regioni promittunt, ſi extra patriam ſuam colere eadem ſuppeteret. Vnde et haud paucis

*) Comparuit haec diſſertatio a. 1779. Gottingae iuncto meo et Reſpondentis cl. CAROLI HENRICI WERTMÜLLER, Stockholmienſis, cui praecipue varia experimenta debentur, ſtudio. Hinc iam et formam ſpeciminis academici et dictionis idem genus ſeruo, addens modo hinc inde quaedam nuperioris indaginis.

paucis medicis intra hortos pharmaceuticos exoticas ſtirpes coërcendi conſilium placuit, quod nec ego, ſi iuſtis limitibus contineatur, improbo; hinc et multiplex iſtud nationum mercatura aemularum tentamen, clanculum vel fructus vel plantulas earum ſtirpium, propagationis amplioris ſcopo, ſibi vindicandi, quae partem aliquam vberioris quaeſtus ſuggerunt. Notiſſima eſt Coffeae ex Arabia felice in Americam transplantatio, et recentiſſima Gallorum calliditas arbores, ex quibus nux myriſtica et caryophylli aromatici colliguntur, Belgis ex Moluccis inſulis praeripiendi, plantationibus in inſulis Franciae, Borboniae et Seichelles factis; alia exempla vt taceam. Acquieſcere igitur in ſola virtutum medicamentorum ponderatione, quae pharmacopolia continent, ignaui eſt et proprio potius lucro, quam rei publicae et aegrotorum ſaluti, proſpicientis. Dolendum tamen contra ea, ambitum ſcientiae, quae de medicamentis agit, vt reliquarum diſciplinarum generatim, tam ſaepe circumſcribi arctis iſtis cancellis, quos indigentia huius vel illius ſingularis hominis, in angulo quodam orbis terrarum, etſi laute degentis, definit, cui quidem gratulemur, eo illum loco veniſſe, vbi aliquid eſſe videatur.

Fundamentum vero omnium, quae de medicina quadam ſcitu neceſſaria ſunt, conſtituit ſpeciei, ad quam pertineat, cognitio, et quidem ea, quae characteribus non ambiguis, ſed comparatione plurium affinium erutis, nititur. Differt haecce

haecce quam maxime ab ista manca, quae notis modo inhaeret, quae sensibus non colliguntur, sed otiante quasi mente iisdem sese obtrudunt, prouti scimus, rudes ceteroquin inter nos homines vel barbaras gentes e. c. arborem aliquam vsu suo celebratiorem corticis superficie, ramorum distributione magis vel minus coarctata, frondis vel grato vel ingrato odore, florum magnitudine vel colore cet. dignoscere posse: sed hae notae vix nisi illi arbori a paucis quibusdam in vicinia crescentibus discernendae sufficiunt, et absenti nihil fere adiumenti afferunt; et sic in reliquis. In quibusdam exoticis fateor, nobis adhucdum non vltra hanc vagam et subsidiariam barbarorum de speciebus notitiam procedere licere, nosque cogi varia ex horum medicaminum censu nonnisi instar alius mercis recipere et in vsum transferre, Gummi ammoniaci, Tacamahacae, Gi. Kino, Myrrhae, radicis Columbo, Tutiae, exemplo. Imo prostant remedia simplicia, non ignotae quidem omninō eruditis originis, sed nondum satis confirmatae, vt diuortium sententiarum merito doleamus, quorum e numero adhuc sunt vsitatissima adeo quaedam, vt Ipecacuanha, Rhabarbarum, Jalappa. Sed absit, vt eiusmodi exempla, quorum efficacaciam in corpus humanum probe nouimus, licet de stirpium, quae eadem erogant, specie nondum satis constet, argumento sint superfluae specierum in vniuersum notitiae, quum ratione reliquorum medicaminum, de quibus nullum in hac re dubium superest, habita paucissima sint. Nec negari potest,

 histo-

historiae naturalis peritorum adiumento multos vitae et valetudini infensissimos in dignoscendis medicamentis errores primum detectos, nec accessibus paucis eorum ex hisce studio, qui ad remotas regiones peregrinati sunt, suppellectilem medicam fuisse auctam; quorum, si opus, multa documenta tradi facillimo negotio hic possent, quaedam postea indicabuntur. Addo quoniam in plerisque auctoritas exemplumque aliorum plurimum ponderis habent, non deficere medicos practicos, per totam diem ad aegrotorum lectos occupatissimos, qui in hoc specierum definiendarum studio ampliando et ad iustam certitudinem prouehendo pro virili desudarunt, quorum ex vita adhuc superstitibus duos modo nomino celeberrimos viros, vnum Anglum, JOANNEM FOTHERGILLVM *), alterum Suecum, PETRVM JONAM BERGIVM.

Ad immortalia itaque merita LINNEI Equitis, quem me praeceptorem habuisse, quoad vixero, gloriabor, pertinet, quod inde ab. a. 1749, quo Eiusdem Materia medica vegetabilis omnium primum comparuit, quam dissertationum forma medicamina animalis et mineralis census paullo post exceperunt, remedia tantum non omnia ad suas species retulerit, hasque terminis breuibus, intellectu facilibus et adaequatis, optimorum synonymorum satellitio stipatas, proposuerit. Hinc et honorifico encomio, et post longam temporis intercape-

*) Dolendum, et hunc virum meritissimum anno post obiisse.

tercapedinem repetito, breuiarium eius condecoravit adeo is, qui fubinde rigorofior iufto in cenfendis meritis optimi viri fuit, ill. HALLERVS *a*). Ipfe ifte magnus vir poftea nouis luminibus accedentibus in ferioribus fcriptis, prout ingenuum virum decet, in haud paucis circa haec mutauit mentem fuam. Et ad hanc poftea, qui vel fingularibus libris vel indicibus pharmaceuticis totum medicaminum complexum profequuti funt, auctores fere omnes illorum fpecies determinarunt. Non Eius autem culpae, fed laetiffimo, in quod fenfim medicamentorum doctrina afcendit, incremento tribuendum, quod recentius de quorundam origine veriora innotuerint, de aliis, de quibus ipfe hac in re fubdubitauerat, iam fine erroris formidine pronunciari poffit, alia rurfus, de quibus ne coniectura quidem ftatui poterat, cuiusnam fpeciei foboles effent, iam in reliquorum numerum fyftematico ordini conuenienter inferi queant. Pretiofum Perfarum Salep nihil praerogatiuae prae indigena radice Orchidum quarundam, nominatim Orchidis Morionis L. habere, nemo amplius dubitat, experimentis ab Anglis Suecisque in ipfo corpore humano factis. Meccae balfamum FORSKÅLII indago ex Amyride quadam prouenire primum declarauit. VANDELLI et GLEDITSCHII opera poft tot lites penitius cognofcimus vnam ex iis ftirpibus, quae Draconis fanguinem fundunt, Dracaenam

a) *Method. ftud. med. Tom. 2. p. 956.* et *Bibl. botan. Tom. 2. p. 249.*

caenam Draconem L. Exacte iam nouimus Spigeliam, quae radice vermes necat ab alia, quae herba iis infesta est, dignoscere, GARDENIO facem praeferente. Inter tot alia commoda, quae et in rem medicamentariam ex itineribus per Russiam a scrutatoribus naturae nouissime institutis redundarunt, pretium Glycyrrhizae echinatae L. radici decretum est, alteri iam dudum vsitatae non secundum; et ab iisdem cell. viris non vnam sed plures Accipenseris species Ichthyocollam suppeditare, et modum, quo praeparetur, didicimus. AVBLETII meritum vel hoc haud exiguum est, quod Simarubae veram arborem ex tenebris produxerit, nec minus, quod Resinam elasticam verae suae speciei, quae illi est Heuea guianensis, nec Cecropia peltata L. adiudicauerit. Vix vero luculentius documentum aliud quidpiam, quam WINTERI cortex, praebet, quantum vacillet materia medica sine historiae naturalis fulcimento, quum auctores fere omnes, solo forsitan SLOANEO excepto, istum et Canellam albam pro vno eodemque cortice habuerint, licet discrepent hi cortices quam maxime, vt haud ita pridem cl. SOLANDER, et postea cll. FORSTERI, ex itinere ad regionem arboris natalem, Terram del Fuego, reduces edocuerunt, et genere et patria, item colore, odore et sapore, et consequenter virtutibus; quae in externo habitu corticum discrimina et ego, vtrosque comparans, certissima cognoui. Recentissime etiam de origine extracti siue succi Catechu veriora, quam quae adhuc nobis innotuerunt, comperimus, et eo quidem

dem tempore, quo ob vnanimem fere confenfum auctorum nulla erroris fufpicio fubfuit.

Hoc proxime dictum inuentum, prout medicaminis ipfius naturam et vires, curatius fpecimine hocce inaugurali trutinare in animum induxi, exoptatiffimi Praeceptoris JO. ANDREAE MVRRAY, viri illuftris, confilio primum permotus, dein rerum dignitate, quam vlterius, operi manus admouens, cognoui, ftimulatus. Etenim Catechu medicinam conftituit, longa annorum ferie celebratam, nec fub clariori hodiernae aetatis in re medica luce, merito plaufu deftitutam, id quod libros practicos et pharmaceuticas formulas euoluenti vberrime conftabit. In ifta vero bene multorum, qui medicinae nomina fua profeffi funt, ieiunitate et focordia quemlibet meliora edoctum fas eft, qualibet data occafione id quod toti medicamentorum fcientiae, alteri illi artis falutaris oculo, fulcimentum praebet, propugnare et contra iteratos infultus tueri.

§. I.

Taediofa res eft, in *antiquitatem* medicamentorum inquirere et operam rarius veritatis meffe rependens. Seriorum medicorum primus, quantum colligo, extracti, de quo fermo eft, GARCIAS AB HORTO *b*) meminit, nomine Cate illud infigniens, fecundum linguam genti Indicae, inter quam vixit, vernaculam, a. 1563, quo anno Lufitanico idio-

 mate

b) *Aromat. et fimpl. Verf. Cluf. p. 43.*

mate liber eius de aromatibus et ſimplicibus Indiae comparuit. Ex qua ſtirpe ſuccus Lycii DIOSCORIDIS c) aliorumque veterum fuerit, licet cum Cate ſuo eundem GARCIAS et poſt eum HERMANNVS d) agnoſcat, dici nequit; certe diſcrepat deſcriptio arborum DIOSCORIDIS et GARCIAE, prout nec paucae iſtae ab hoc de Cate traditae notae in arbores ab aliis ſignificatas quadrant. Lentos tamen progreſſus primis temporibus, poſtquam Catechu in Europa innotuit, vſus eius medicus habuit. Etenim adhuc a. 1671. WOLFFGANGVS WEDELIVS e) de illo, tanquam de re noua, nec niſi paucos modo annos antea in Europam translata, loquebatur, licet ipſe iam tum de variis felicibus experimentis in morbis ea captis exponeret.

§. 2.

Pauca vero tantummodo alia medicamina ſunt, de quorum *origine* et *natura* tot diuerſae opiniones inualuere, ac de hoc ipſo. Ad quasdam harum nomina iſta varia ſpectant, quibus *Catechu* inſigniverunt, quod alii *Cate-chu*, *Caetchu*, *Caſchou*, *Caſchu*, *Kaſchu*, *Catsjoe*, *Caſhew* (BATE), ſcribi malunt; cuius ſcriptionis diſcrepantia ſine dubio praecipue a pronunciatione vocis varia, apud Europaeos vſitata, pendet. Gallis Cachou dicitur. *Terrae Iaponicae* nomen, quod adhuc apud multos ſeruat, duplicem, qui olim obtinuit, errorem in memo-

c) *Mat. med. Lib. 1. p. 132.*

d) *Cynoſur. Mat. med. T. 1. p. 721.*

e) *Eph. N. C. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 128.*

memoriam reuocat, alterum, quod terra eſſe exiſtimaretur, qui condonari ideo potuit, quod friabilem naturam cum terris communem haberet, et inſuper vel vitioſa praeparatione vel et fraude terrae vel largior vel parcior pars accederet; alterum, quod ex Iaponia proueniſſe arbitrarentur. Id quod poſterius autem non maiori iure factum eſt, quam quo hodie Terebinthina vel Borax a Venetia nomen habet, vel Opium Thebaicum vel Senna quaedam Alexandrina audit, vel variis medicamentis ſimplicibus epitheton a Turcia adſcribitur. Per Mauros enim modo et Sinenſes ad Iaponenſes copioſe hic ſuccus translatus fuit *f*), a quibus vero ſimillimum eſt, vtpote natione mercaturae deditiſſima, bonam eius partem haud ſine foenore aliis nationibus poſtea fuiſſe venditam, Retinuerunt tamen medici Edinburgenſes *g*) hoc nomen erroneum, ad quod etiam eorum Tinctura Iaponica *h*) reſpicit; et Suecis *i*) *Succi Iaponici* nomine venit: fas vero eſt ſperare, vt ſimilem olim hi ipſi medici rigorem in corrigendis nominibus ſimplicium, ſi id modo ſine obſcuritatis vel confuſionis metu fieri poſſit, ac apud praeparata compoſitaque neceſſe duxerunt, adhibituri ſint. — Facile fuit refellere quorundam opinionem, Catechu vitriolicae naturae eſſe,

 quo-

f) CLEYER in *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 4. Obſ. 3.*

g) *Pharm. Edinburg. nouiſſ. a. 1783. p. 62.*

h) *L. c. p. 78.*

i) *Ph. Svec. a. 1775. p. 47.* item *a. 1779. p. 9.* tanquam ſynonymon.

quorum in numero e. c. LVDOVICI *k*) fuit, quem errorem ſine dubio genuit dulcedo, auſterum ſaporem in Catechu excipiens.

Succeſſit alia ſententia, eſſe illud ſubſtantiam ex pluribus vegetabilibus mixtis conflatam, quem ipſum errorem tam excitaſſe quam aluiſſe videntur medici quidam in India verſati, quorum igitur teſtimonium maximi ponderis iudicari potuit, niſi illis acciderit, quod et noſtro tempore multis peregrinatoribus, quod iis, quae propriis oculis luſtrarunt, admiſcuerint quae narratione aliorum perceperant. Ita GARCIAS ſuccum Cate conſtare ex extracto arboris Hacchic, farina frumenti cuiusdam et ſcobe ligni cuiusdam nigri, innuit *l*). Miſcelae etiam meminit HERBERTVS DE IAGER, cui Indicorum ſimplicium variorum notitiam debemus, licet non ſemper vnam eandemque locum habere ſignificet *m*). Similiter CLEYERVS *n*), inuentis variis ſub commoratione in India orientali clarus, Catechu eſſe ſuccum ex variis adſtringentibus fructibus expreſſum, verum autem fructum et baſin eſſe ex Acacia quadam, Tamarindo admodum ſimili, tradidit. HERMANNO *o*) iudice maſſa eſt ex fructibus immaturis Arecae et corticibus Acaciae cuiusdam, quam

k) *Pharm. moderno ſec. applic. Ed. 3. p. 255.* Conf. argumenta, quae DALE ad refellendam hanc naturam in medium protulit.

l) *Loc. cit.*

m) *Eph. nat. cur. Dec. 2. Ann. 3. p. 10. ſqq.*

n) *Loc. cit.* *o*) *L. c.*

quam Catſchu vocat, expreſſa et igne denſata. Facile patet ambiguis hiſce narrationibus veri cupido ſatisfieri non poſſe, quum, vel partes iſtas vegetabiles, ex quibus extractum paretur, vel plane non ſignificent, vel nominibus tantummodo nobis ignotis. — Eorum vero medicorum haud pauci, quibus in Indiam orientalem proficiſci non datum, mixtionem variam ex ſuo ingenio finxerunt, quum nimirum notas quasdam in Catechu iunctim offenderent, vel offendere ſibi viſi ſint, quae in aliis corporibus ſigillatim apparent. Ita e. c. LE FEBVRE *p*) ex ſucco Arecae extracto Liquiritiae et Calamo aromatico componi Catechu exiſtimarunt; alii *q*) ex Glycyrrhiza, Maſtiche et vitriolaceo corpore; vt de reliquis nihil dicam.

§. 3.

Plerique tamen auctorum non mixtum ſuccum, ſed ſimplicem, agnoſcunt. De *planta* autem ipſa, et de *parte*, ex qua eliceretur, tantopere variant, vt difficile ſit ad dirimendum, quisnam eorum fide altero dignior ſit. Et hoc iudicium adeo de iis valet, qui ipſi praeparationi ſucci Catechu in loco ſtirpium natali ſeſe adſtitiſſe profitentur. Memorata a GARCIA arbor eiusdem ſpeciei videtur eſſe, ac iſta, quam BONTIVS *r*) ſimili, vt ille, oſcitan-

p) In BOHNII *Diſſ. de Pleuritide*, §. 37.

q) ETTMULL. *Colleg. in Schröderum* in EIVSD. *Opp. Ed.* MANGETI *T.* 2. *p.* 76. Conf. *Coll. in Ludov. l. c. p.* 146.

r) *Hiſt. nat. et med. Ind. orient. p.* 92. vbi *Arbor ſpinoſa, vnde Cate ſeu Lycium exprimitur*, vocatur.

tia adumbrat. Vterque ſpinoſiſſimam vocat. Ille vero folia eius comparat cum iſtis Ericae vel Tamaricis, hic cum Sabinae vel Thuyae, quae etſi leuiuſculae notae cum reliquis paucis ab illis traditis ſufficiunt ad diuerſitatem a mox dicendis ſpeciebus intelligendam. GARCIAS ex ſuae arboris ramis decoctione cum aqua extractum parari, reliquis dictis dein additis, BONTIVS autem radicem, corticem et folia a ſe memoratae arboris eidem fini impendi, mentione nulla aliorum additamentorum facta, tradit. Rarior coniectura eſt, quod ex ſucco mucilaginoſo Anacardii occidentalis L., emergente ſponte forma gummi ex trunco, paretur *s*), cui forſitan nominis conuenientia anſam praebuit, dum nimirum dicta iſta arbor vulgo Acajou vocatur.

Omnium vero arborum, quibus natales extracti Catechu adſcripti, nulla magis vel hoc nomine celebrata fuit, quam Areca, notiſſima iſta per Indiam orientalem arbor; vt et inde ſpecificum ſuum nomen a LINNEO traxerit. Hanc, auctoritate Gymnoſophiſtae cuiusdam nixus, inter alias arbores, quae Catechu erogant, HERBERTVS DE IAGER *t*) in medium producit. Eius ſcilicet nucem ante perfectam maturitatem in duo vel tria fruſta ſectam in aqua, cui parum calcis additum, coqui et feculentam materiam in fundo vaſis ex coctione relictam ſpiſſari; vt vero hocce extractum tanto melius euadat,

s) Vid. GLEDITSCH *Einleit. in d. Wiſſ. d. rohen Arzeneymittel, T. 2. p. 513.*

t) *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 3. p. 10.*

euadat, infuſum corticum Acaciae cuiusdam feci dictae ſuperdari, demum iunctim ignis ope in iuſtam ſpiſſitudinem denſari. Simul tamen refert pauperioribus in vſu fuiſſe ex fructibus aliarum palmeſcentium vel phoenicoidum Catechu educere *u*). E nuce Arecae elici alius, quem ſimplicium Indiae orientalis peritiſſimum DALEVS vocat *x*), ſcil. HELBIGIVS, teſtatur. Qua arte ex Arecae vnice fructu id fiat, hic quidem memoriae non prodidit. Certiorem vero reddidit clariſſimum JVSSIEV *y*) Chirurgus quidam ALBERTI, diu in Pondichery commoratus, nucem hancce ſolam in taleolos ſectam aqua calida macerari, tincturamque hanc poſt praeviam colationem in duritiem extracti ſpiſſari. Et, hiſce quidem narratis, tantum ſeſe poſtea plerisque probauit ſucci Catechu ex Areca origo, praecipue quum ſubſcriberet illi celebris iſte botanicus et argumentis probabiliorem redderet, vt pauciſſimi dubitarent in hacce vna acquieſcere. Horum e numero ſunt DALEVS, NEVMANNVS, ipſe LINNEVS et materiae medicae commentatores fere omnes. Ambiguum iterum animum reddit ſilentium, quod auctores *Horti Malabarici* et *Herbarii Amboinenſis*, ſub copioſa iſta virtutum Arecae commemoratione, obſeruarunt; vnde ſaltim apparet, non paratum exinde Catechu fuiſſe, vbi horum operum auctores vixerunt. Nec, quantum liquet, hodie in Bengalia et vicinis Indoſtaniae prouinciis inde paratur, vbi

u) *L. c. pag. 11.*

x) *Pharmacol. p. 296.*

y) *Mem. de l'acad. des ſc. de Paris 1720. p. 342. ſqq.*

vbi tamen extracti huius magnus prouentus, a quo Arecae vſu vel pretium nimium ibidem dehortaretur, vtpote quum extractum inde elicitum vigecuplo carius venali Catechu veniret z). Imo comparata horum auctoritate, qui in Arecam vtiliſſimum hocce extractum ex autopſia transferunt cum iſta eorum, qui aliis quibusdam arboribus illud tribuunt, aequali fere marte dimicare vtrique mihi videntur. Nec aliud quidpiam in illorum fauorem arbitror cedere, quam quod de ſtirpe loquantur, et deſcriptionibus concinnis et iconibus eximiis botanicis ſatis nota, quum contra ea reliquae indicatae defectu vtriusque intelligi non ſatis pro voto potuerint.

§. 4.

Sed opportune factum eſt, quod recentiſſimum ſcrutinium priſci temporis obſcuritati ſubuenerit, et de *Acacia* nominatim, quam intrare extractum Catechu plures ad finem praecedentis ſeculi retulerunt, conſtitui poſſit. Ex Acaciae ſpeciebus fere omnibus, cortice adſtringente et rubeſcente inſtructis, vti et aliis ſtirpibus ſuccum excoqui in India, etſi bonitate et virtute diſparem, nos condocefacit DE IAGER a), praeſtantiſſimum autem erogari, ſecundum aliorum relationem, ab arbore Indoſtanice Kheir vel lingua Brachmanum Khadira dicta, ad Acaciae genus ab illo relata, quam mance deſcribit, nec multo perfectius depingit. An haec Acacia eadem

z) KERR in *medical Obſerv. et Inq. T. 5. p. 156.*

a) *L. c. p. 8.*

eadem cum iſta ſit, quam CLEYERVS tanquam baſin ſucci Catechu propoſuit, vel ea, cuius corticem in infuſo Gymnoſophiſta apud IAGERVM (v. ſupra p. 16.) ſucco ex Areca admiſtum narrauit, vel alia ſpinis denſis horrida, quam obiter IAGERVS memorat, vel Acacia, cuius mentionem HERMANNVS iniicit, ob defectum deſcriptionum, qui vndique comparet, diſcuti nequit. Nec magis de ſpecie nobis ſatisfacit GARCINVS, in Indiam olim profectus, qui loco Arecae arborem quandam Caten tanquam veram producit *b*), quam ipſam vero non ſine omni dubitatione pro Acaciae ſpecie habet *c*).

Aſt nodum ſoluit ante paucos annos Chirurgus quidam Anglus, KERR *d*), in Bengalia degens, cui alias quasdam dilucidationes in medicamentorum exoticorum cognitione debemus, ſcilicet modum hodiernum ibidem Opium praeparandi et deſcriptionem Dolichi prurientis L. anthelmintico vſu ſerius innoteſcentis. Hic enim ſollertiſſimus vir tam ampla et concinna deſcriptione, quam elegantiſſima et partium praecipuarum ratione habente effigie, arborem iſtam cognitam nobis reddidit, ex qua extractum Catechu in Indoſtania paretur, et ſimul artem ipſam illud eruendi omnium ampliſſime et accuratiſſime explanauit. Eius igitur ſtudio arborem hanc Mimoſae generi accenſendam eſſe, certiſſime iam nouimus.

§. 5.

b) In SAVARY *Dictionaire de Commerce. Art. Cachou.*

c) *L. c. p. 644.*

d) *Med. Obſerv. and Inquir. Vol. 5. p. 151. ſq.*

§. 5.

Mimosae genus, eo complexu acceptum, quo apud b. LINNEVM venit, et Acacias et Aeschynomenes siue Mimosas praecedentium botanicorum comprehendit. Quae vetustiora genera a se inuicem distinguere e. c. RAIVS, TOVRNEFORTIVS, BOERHAAVIVS, ideo duxerunt, quod Mimosarum folia attactu sese contrahunt, imo vna cum petiolis desidunt, post aliquod autem temporis interuallum situm priorem recuperant. Vetustissimo tempore Acaciae vox nonnisi aculeis praeditae stirpi (ab *ακαζω*) tributa fuit. Duas memorat sub hoc nomine DIOSCORIDES *e*), alteram, quae Gummi arabicum fundat, et succum austerum fructu suppeditet (Mimosa nilotica L.), alteram humiliorem et tenuiorem, quae tota planta succum adstringentem vehat, sed praecedentis vi inferiorem. Posteriori autem tempore Acaciae nomine et variae inermes species venere *f*), prout rursus multae plantae florum fructusque structura alias non parum diuersae, vt ex genere Poincianae, Guilandinae, Guaiaci, Spartii, Robiniae, Gleditsiae, hoc nomen ob spinas f. aculeos potissimum olim tulerunt; in quibus omnibus tamen in herba aliquid simile occurrit. Quod vero Prunus spinosa (Acacia nostras vulgo) et foecundationis partibus et foliis diuersissima in eandem tribum olim cooptata fuerit, in cunis tum iacuisse rem herbariam documento est. Nouissime totum Mimosae LINN. genus in species siliquo-

e) *Mat. med. Lib. 1. cap. 133.*

f) V. TOVRNEF. *Instit. rei herb. T. 1. p. 605.*

ſiliquoſas et pericarpias ill. SCOPOLI *g*) diuiſit, quarum priores ad genus Acacia a ſe dictum, poſteriores ad genus Inga refert. Inga eiusdem comprehendit Mimoſam polyſtachiam JACQ. Mimoſam Bourgoni AVBLETII, vti et Coublandiam EIVSDEM. An hicce a fructu potiſſimum deſumtus character generibus condendis ſufficiat, valdopere dubito, alteri enim ſiliquam multilocularem, alteri pericarpium ſiliquoſum multiloculare adſcribit; quibus igitur notis vtrumque differat, non ſatis perſpicio. In nota *h*) quidem idem cel. vir diuiſionis in quatuor genera meminit, ſed dictam modo ſuis locis inſeruit.

Aſt niſi violenter ſeriem naturae diſrumpere velimus, vtique conuenit, Mimoſae et Acaciae genus, LINNEO praeeunte, ob ſimilitudinem floris fructusque in plerisque partibus, coniungere, nec in diſcernendis iis exiguae leguminis vel carnoſi vel membranacei diuerſitatis nec contractionis ab attactu foliorum rationem habere; tanto magis, quum haecce contractio, vt in Mimoſa pudica horti botanici Gottingenſis expertus ſum, declinante aeſtate torpeat et hieme adeo omnino deſit. Magna vero diuerſitas obtinet in ſpeciebus bene multis huius generis quoad numerum et figuram floris fructusque partium, ita vt haud parum difficultatis enaſcatur, ſi paucis verbis generis characterem condere aggredimur, nec vix tot diſcrepantes

g) *Introductio ad hiſtoriam natural. p. 295. 298.*
h) *L. c. p. 295.*

pantes inter ſe ſpecies in vnum genus coniungi queant, niſi tacite ad habitum ſimul reſpiciatur. Nec breuior iſte character genericus, a ſummo LINNEO nobis relictus, alia lege ferri poteſt, quam quod in pleraſque non vero omnes et ſingulas ſpecies quadret. Eſt vero hic *i*)

Floris hermaphroditi: Calyx quinquedentatus; Corolla quinquefida; Stamina quinque ſeu plura; Piſtillum vnum; Legumen.

Floris maſculini: Calyx quinquedentatus; Corolla quinquefida; Stamina quinque, decem, plura.

Pertinet igitur ad Syſtematis perill. LINNEI *Polygamiam Monoeciam* et, in ordinibus naturalibus, ad EIVSDEM plantas *Lomentaceas*, quas alii e. c. ZINNIVS *k*) commode *Papilionaceis affines* vocant. ADANSONIVS *l*) hoc genus in familia Leguminoſarum ſectioni *Caſſiarum* ſuarum annumerat. Recentiſſimus ordinum naturalium cenſor ill. SCOPOLI *m*) lomentaceas et papilionaceas Tribu ſua *Leguminoſarum* complectitur, quarum eſſentialem characterem fructus conſtituit; lomentaceas autem Leguminoſas *ſpurias* nuncupat, omittens tamen multa genera, quae ſummus LINNEVS iſtis attexuerat.

§. 6.

i) LINN. *Syſtema vegetabilium Ed. 13.* MVRRAY. *p. 767. Ed. 14. p. 913.* Conf. LINN. *Genera plant. Ed. 6. p. 548.*

k) *Catal. plant. Goetting. p. 371.*

l) *Familles des plantes, T. 2. p. 319.*

m) *Introd. ad hiſt. nat. p. 294.*

§. 6.

Noua vero exſurgit difficultas in *ſpeciebus Mimoſae* diſcernendis, prout in generibus compoſitis ex numeroſis ſpeciebus eſſe ſolet. Numerat enim LINNEVS in *Syſtematis vegetabilium Ed.* 13. ſpecies 46 *); quibus et nonnullae aliae addi poſſunt, ADANSONIO *n*) et AVBLETIO *o*) auctoribus. Variae harum valde inter ſeſe ſimiles, imo, vt in Mimoſis pluribus, quas hortus R. Gottingenſis bot. alit, obſeruaui, haud paucae inſigni inconſtantia numeri pinnarum per paria inſertarum laborant.

Differunt vero ſpecies ratione

Durationis, ſecundum quam vel annua (Mimoſa plena), vel perennes (M. viua), vel fruticoſae, vel arboreae (vt pleraeque) ſunt;

Spinarum vel *aculeorum*, ita vt quaedam inermes (e. c. M. ſimplicifolia, virgata, glauca) ſint, aliae ſpinoſae, idque ſpinis vel ſolitariis (M. cinerea), vel geminis (M. cornigera L. et Cate MVRR.), vel ternis (M. Senegal), quae ipſae vel ſparſae vel determinato ordine, vt ſpinae ſtipulares et petiolo vel pedunculo inſidentes;

Folio-

*) Libri autem huius *Editio 14. a. 1784.* cenſet ſpecies 53.

n) *Memoires de l'ac. d. ſc. de Paris 1773. p. 4. ſqq.*

o) *Hiſtoire des plantes de la Guiane Françoiſe, Tom. 2. p. 938. ſqq. n. 1. n. 2. n. 18. n. 19. n. 20. n. 21.* et auctore SCOPOLI Coublandia fruteſcens apud AVBLETIVM *l. c. p. 937.*

Foliorum, quorum vno hactenus exemplo (M. ſimplicifoliae) *) ſimplicia, aliis pinnata ſimpliciter, aliis coniugata, aliis duplicato pinnata, numero parium vario ad 40 vsque, item contactu vel ſeſe contrahentia vel non obſequioſa;

Petiolorum vel alatorum (e. c. M. Inga), vel linearium (vt in plerisque);

Glandularum, quarum vel nullae adſunt (MM. eglandulatae), vel quaedam inter pinnas foliorum, omnes (M. Cate), infimas (M. glauca), extimas (M. nilotica), pone pinnas (M. latiſiliqua), ad petioli baſin (M. peregrina), apicem (M. reticulata;

Infloreſcentiae, quae ipſa vel globoſa eſt (M. glauca, pudica) vel ouata (M. arborea) vel ſpicata (M. Cate), vel ſubpaniculata (M. pennata, tamarindifolia), vel faſciculata (M. Lebbeck);

Calycis, vel trifidi (M. pudica), vel quinquefidi (vt plerumque);

Corollae, quae vel nulla (M. pudica, ſenſitiua), vel monopetala quinquefida (MM. pleraeque), vel pentapetala (M. punctata, Cate);

Staminum, vel antheriferarum omnium, quatuor, quinque, decem ad centum (MM. polyandrae), quae ipſa mox ad baſin ſoluta, mox inter ſe coalita (MM. monadelphae, e. c. Vnguis Cati, Inga), vel quorundam ſimul caſtratorum (M. virgata, Flores anandri);

Legumi-

*) Mimoſa ſimplex SPARRM. in *Act. Vpſal. nov. Vol. 3. p. 197.* Cf. LINN. jun. *Suppl. plant. p. 436.*

Leguminis, vel membranacei, quod ipſum vel articulatum (moniliforme), vel marginatum, vel ſolidum eſt, idque biualve (MM. pleraeque), vel quadriualve, vnico forſitan exemplo (M. Inga).

Differunt praeterea ſpecies *Caule* vel hiſpido vel nudo, *Spinarum* figura, *Cirrhi* terminalis petiolorum vel praeſentia vel abſentia, *Leguminum* item *Seminum* figura multiplici.

Hiſce notis characteres ſpecifici ſuperſtruuntur, harumque diuerſarum reſpectu habito ſubdiuiſiones, faciliori longi huius generis examini accommodatae, condi poſſunt.

Pleraeque huius generis ſpecies Aſiam auſtralem patriam habent, multae calidiorem Americam et adiacentes inſulas, quaedam Africam auſtralem.

§. 7.

Sed ſubſiſtam in ea *ſpecie, quae extractum Catechu erogat.* Hanc quoniam cl. KERR differentia ſpecifica, ſiue deſcriptione contractiori, qua prima fronte a reliquis ſpeciebus haec arbor dignoſci poſſit, non inſtruxit, (quam quidem praemittere cuiuslibet, plantam nouam vel minus cognitam in medium proferentis, officium eſt), et hic idem cl. vir eiusdem deſcriptionem Anglice paullo verboſius concinnauit: operae pretium duco, tam conferendo reliquarum Mimoſarum characteres huius characterem ſpecificum exarare, quam illam, iconis eius-

 dem

dem illuſtratione in ſubſidium adhibita, terminis botanico tenori magis congruis, adumbrare.

MIMOSA CATE *Murrayi.*

MIMOSA (Cate) *ſpinis ſtipularibus binis, foliis bipinnatis* 15-30 *iugis, foliolis* 40 *iugis, ſpicis elongatis axillaribus.* MVRR. *Appar. medicam. Vol.* 2. *p.* 415.

MIMOSA (Catechu) *ſpinis ſtipularibus geminis diſtinctis, foliis bipinnatis vtrinque multiiugis, ſpicis geminis axillaribus cylindricis. Pharm. Succ. Ed.* 2. *p.* 9.

MIMOSA (Catechu) *ſpinis ſtipularibus, foliis bipinnatis multiiugis: glandulis partialium ſingulis, ſpicis axillaribus geminis ſ. ternis pedunculatis.* LINN. jun. *Suppl. pl. p.* 439.

MIMOSA *from which the Terra Iaponica is extracted.* Ampla eius deſcriptio a cl. KERR in *medical Obſervations and Inquiries Vol.* 5. inde a *pag.* 151. praeſtita cum icone *Tab.* 4.

COIRA vel CAIRA in Prouincia Bahar. KERR.

An ACACIAE SPECIES, *ex qua Kaath vel Lycium indicum conficiunt* HERBERTI DE IAGER in *Eph. N. C. Dec.* 2. *ann.* 3. *p.* 9. *fig.* 1.?

Planta arborea, pubeſcens, creſcens in India orientali, nominatim copioſe in Indoſtaniae montibus Rotas et Pallamow et aliis locis Bengaliae vicinis, et quidem ſolo vario.

Radix ramoſa.

Truncus plerumque tri- vel quinquepedalis, diametri circiter vnius pedis, veſtitus cortice craſſo, ſcabro, rimoſo, bruno; *ramis* in coronam denſam

ſam raro vltra duodecim pedum altitudinem diſperſis; *ligno* duriſſimo et ponderoſiſſimo, intrinſecus pallide bruno vel profunde rubro, imo hinc inde nigro, extus ad craſſitiem vni- vel bipollicarem albo.

Folia alterna, pollicem vnum vel duo diſtantia, a quatuor ad decem pollices longa, abrupte bipinnata, pinnis omnibus oppoſitis, vniuerſalibus 15-30 iugis, fere bipollicaribus, ſurſum in petiolo glandula inter quodlibet par diſtinctis, pinnis partialibus circiter 40 iugis, linearibus, tres decimas pollicis aequantibus, ſurſum glabris, deorſum villoſis *p*).

Petioli baſis ſemi vel vnipollicaris.

Spinae ad exortum petioli binae recuruatae, in iuniori planta ſtrictae, in vetuſtioribus ſaepe flexiles et vix viſibiles.

Spica denſa, axillaris, vel ſolitaria, vel ſubinde duplex, quadri- vel quinque-pollicaris, pedunculata.

Flos exiguus, albus, ſeſſilis, bractea exigua ſuffultus.

Calyx monophyllus, tubuloſus, pubeſcens, laciniis quinque ouato-oblongis, acutis, patentibus.

Corolla pentapetala, calyce duplo maior et albida.

Stamina numeroſa; *filamentis* capillaribus, corolla duplo longioribus, reptaculo adnatis; *antheris* fere globoſis, didymis.

Piſtillum vnicum, *germine* ouato-oblongo, breuiter pedicellato, ſupero, *ſtylo* filiformi filamenta aequante, *ſtigmate* exiguo, obtuſo.

p) KERR *l. c. Explanation of Figures, p.* 407.

Legumen membranaceum, compreſſum, glabrum (non articulatum), margine repando tenui cinctum, brunum, duos circiter pollices longum.

Semina in quolibet legumine ſex vel octo, rotunda, dura, compreſſa, inter ſe remota, pedicello flexuoſo inſerta; nauſeoſi, ſi maſticantur, odoris.

Animaduerſiones.

Poterit quibusdam nomen Cate, ſpeciei huic additum, non ſatis commodum videri, quum narrantibus GARCIA AB HORTO et IAGERO ipſe ſuccus a nationibus Indicis variis Cate vocetur. Sed reſpexiſſe ſe cel. MVRRAY, qui hoc epitheto primus vſus eſt, mihi declarauit ad GARCINI q) teſtimonium, ſecundum quod ipſa arbor *Cate* dicatur, prout *Chu* ſuccum, ſiue extractum ipſum, ſignificat.

In proletaria iſta IAGERI de Acaciae ſuae narratione occurrunt tamen quaedam momenta, quae probabile reddunt, intellexiſſe illum Mimoſam nouiſſime dictam. Indoſtanice et Decanice refert dici Kheir et lingua Brachmanum Khadira, quae nomina ab iſtis Coira et Caira, quibus ſecundum KERRIVM arborem inſigniunt incolae Prouinciae Bahar, diuerſitate vnice dialecti videntur differre. Ex deſcriptione manca IAGERI nihil huc trahi poteſt, praeterquam pinnatam foliorum figuram (folia, inquit, alatim producebant ſurculi) et ſpinas aduncas

q) SAVARY *l. c. Art. Cachou.*

cas ramulorum. Icon vero etſi ex mutilato exemplo, flore fructuque deſtituto, quod ex ſylua remota illi allatum fuerat, adornata comparet, manifeſte tamen ſiſtit folia bipinnata et figuram pinnularum fere ſimilem, licet numerus pinnarum tam vniuerſalium quam partialium longe parcior ſit, quam in icone cl. KERR, cuius cauſa forſitan in exigua chartae magnitudine quaerenda. Vtriusque denique auctoris ſtirps eandem patriam, regionem Indoſtanici regni trans Bengaliam ſitam, agnoſcit, et vſui eidem, pro ſucco Catechu, inſeruit.

§. 8.

Sed iam diſpiciendum, *ex qua parte ſtirpis dictae et quomodo hic ipſe ſuccus eliciatur.* Ex IAGERI Mimoſa, quantum ſub iſta dictionis breuitate intelligo, ſuccus ex cortice arboris coctione extractus fuit. GARCINVS plurium partium ſuae Cates meminit in hunc vſum idonearum, nulla ſpeciatim indicata; SAVARY *r)* autem, neſcio an eiusdem auctoritate, ex cortice huius plantae obtineri. Verum KERRII narratione, qui et operi adſtitit et ipſe Catechu parauit, comperimus, in iſta Indiae regione, quam inhabitat, ex interna ligni parte colorata (V. ſupra p. 110.), in ramenta diſciſſa coctione cum aqua ſuccum elici. Replent ſcilicet hiſce vas terreum non vitreatum anguſti orificii, affuſa ad ſumma ramenta vsque aqua, quae, poſtquam ad dimidium coctione exhalauit, decoctum absque praeuia colatione intra vas terreum planum,

G 4 donec

r) L. c. Art. Cate.

donec tertia pars superstes sit, densant, tum frigido loco per diem, dein ope caloris solaris sub repetita aliquoties de die agitatione inspissant. Massa demum conspicuam spissitudinem nacta, supra stoream vel pannum, vaccini stercoris cineribus conspersum, extenditur, et chorda in frusta quadrangula diuiditur, et perfecte sole radiante sub situ glebarum harum pluries mutato siccatur. Pro faciliori coctione furnum simplicis structurae adhibent, quam vero hic non opus est repetere.

§. 9.

Iam itaque constabit, quo iure praeter vulgarem morem cel. SPIELMANNVS s) iam antea, quam KERRIVS pondus rei daret, item cel. MVRRAY t), Catechu ab Areca remouentes, illud ad Mimosae genus retulerint, *Pharmacopoea Brunsuicensis* u) ex arbore Cate, quam, etsi dubitanter, Mimosam declarat, deriuauerit, *Pharmacopoea Rossica* v) autem sine vlla dubitatione Mimosae cuidam adscripserit, quod et nuperrime edita *Pharmacopoea Suecica* x), item *Edinburgensis* y) fecerunt. Item elucebit, quo iure nouissime cl. HOFERVS z) Catechu succum condensatum, e variis Mimosarum fructibus extractum, vocauerit.

Sed

s) *Mat. med. a. 1774. p. 217.*
t) *Appar. med. T. 2. l. c.*
u) *A. 1777. p. 48.*
v) *A. 1778. p. 14.*
x) *A. 1779. p. 9.*
y) *A. 1783. p. 62.*
z) *Manuale pharmaceuticum, Basil. 1779. p. 37.*

Sed omnia momenta attento animo mihi lustranti *nondum sopita* quaelibet de eius origine *dubia* videntur; in qua dubitatione fas est fateri pie colendi praeceptoris MVRRAY *a*) vestigia me premere. Primum memorabile est, in India orientali ad testimonium IAGERI non extractum solum, de quo sermo est, sed quemlibet succum adstringentem decoctione prouocatum et inspissatum Khaat vocari. Est igitur vox quasi generica, prout apud veteres subinde quodlibet forte purgans Elaterium venit *b*), et nomen Copal ab Americanis omnibus resinis odoratis, quorsum et Balsamus Copaiua, Peruuianus rel., tribuitur *c*). Haud pauca porro exempla medicaminum adsunt, quae notis multis, imo viribus, conueniunt, diuersa tamen specie imo genere sunt. Quam multiplex Sanguinis draconis origo, gummatum vel gummi resinarum, succorum adstringentium! Eiusmodi succos non vni sed multis speciebus Mimosae deberi, et per plures earundem partes circumfusos esse, (supra §. 4.) ex IAGERO et CLEYERO allata abunde docent, cum quibus conferri merentur quae de Mimosis Nebneb (M. nilotica L.) et Gonakè ADANSONIVS *d*) tradidit. Quid obstat igitur credere, quod Indiae orientalis populi, qui inprimis masticatorio fine, vel vna cum nucleo Arecae foliisque Betel vel trochiscorum et placentularum variae figurae et magnitudinis

 forma,

a) *Loc. cit.*

b) Conf. de hac re BOD. A STAPEL *in* THEOPHR. *p. 1128.*

c) PISO *Ind. nat. med. p. 118.*

d) *Mem. de l'ac. d. sc. de Paris 1773. p. 8. 15.*

forma, Catechu delectantur, illud non vbiuis ex vna eademque planta, ſed ex pluribus, prout cuiuslibet loci opportunitas ſiue vbertas ſtirpis fert, conficiant; quidni igitur vno loco ex Areca, alio ex Mimoſa pararetur? quidni pro iſta hominum, praeprimis dum palato indulgendum, ſagacitate, aſſentiaris, mox ex vno vegetabili mox ex pluribus mixtis prouocari. Dabo tamen et hoc, ſelectum ſtirpium vel modum praeparationis extracti Catechu potuiſſe annorum progreſſu mutationem pati, ita vt, quae ad finem elapſi ſeculi vel ſub initium praeſentis vera fuerint, iamiam non amplius confirmentur. Abſolui igitur poterunt auctores, etiamſi ſibi aduerſentur, modo in reliquis fides non ambigua, commenti ſuſpicione. Non tamen diffiteor, inter omnes plantas, ob Catechu celebratas, Mimoſam ſupra definitam dignam eſſe, ad quam iſtius natales transferantur, quum non ſolum exactiſſima deſcriptione et icone inſtructa ſit, ſed idem, qui haec praeſtitit, autoptes ſub praeparatione adſtiterit. Saltim dubio caret, regione iſta, qua degit, ex nulla alia ſtirpe illud parari.

Quicquid horum ſit, ex Indoſtaniae variis regionibus, Bengalia nominatim et Surata, item ex Malabaria, Coromandel, Zeylona, nec non regno Pegu, Catechu copioſe transfertur.

§. 10.

In dicta ſtirpium earundemque partium, ex quibus Catechu excoquitur, varietate plurimum latet

latet caufae, cur *bonitate* illud tantopere *differat*. Alia continetur in ipfo praeparationis modo, et quibusdam terreis, arenofis, vel vegetabilibus additamentis, quae vel fraude, vt pondus increfceret, vel fub ipfa praeparatione et ficcatione bona mente, accefferunt.

Idque vel in iftis fpeciminibus huius extracti apparet, quae in officinis obuia funt. Forma horum varia. Globofam, quam HAGENDORNIVS *e*), vel ouatam, magnitudinis oui gallinacei, quam BOMARE *f*) memorat, nunquam vidi. Sed ex vtroque huius vrbis pharmacopolio, luftrato toto eorundem apparatu, quem poffident, petii fpecimina notabiliter a fe inuicem difcrepantia, quorum fimilium et rationem habuit BOVLDVC *g*).

Quaedam glebas vel placentas craffas, compreffas, rotundas, vel et maffas magis vel minus regulariter quadratas, repraefentarunt, rubro nigrefcentes, impreffiones varias quafi a digitis manuum, vel afperam fuperficiem, prae fe ferentes, extrinfecus fubinde tectas particulis filamentofis quafi a ftorea arundinacea adhaerente, vel feminibus, vt videtur, Panici cuiusdam, vel carbonibus, cineribus, terra, vel ligneis fiue ftramineis fragmentis.

e) *Tract. de Catechu, p. 30.*

f) *Dictionaire raifonné univerfel d'Hiftoire naturelle T. 1. in Ed. 4. p. 591.*

g) *Mem. de l'acad. d. fc. de Paris 1709. p. 228.*

tis. Pondus summum rotundarum glebarum aequauit libram dimidiam cum vncia sesquialtera; quadratae autem a quinque circiter ad octo vsque semiuncias pendebant. Fractis hisce, facile fuit colore particulas heterogeneas distinguere, superficies harum inaequalis splendensque, interrupta cavernulis numerosissimis multiplicis figurae et magnitudinis, vt inde appareat materiam sub motu quodam intestino, vt in spumescentibus substantiis fit, exsiccatam fuisse. Haud aegre in puluerem reduci hae ipsae sese passae sunt, sed multae huic infuerunt festucae ligneae nec contritione laborosiori subigendae. Colorque huius pulueris ruso brunus, pallidior tamen longe, quam gleba ipsa integra. Inter dentes stridorem excitauit, quasi arena immixta fuisset, et iam tum, quum saliua in deliquium transiret, et quantum fieri potest, antea contereretur. Saliua inde sanguine quasi tincta euasit, vt tamen haud exigua pulueris pars indissolubilis maneret. Saporem modice adstringentem lente subdulcis excepit. Et huius generis fuerunt glebae istae omnes, quas ex pharmacopolio praetorio afferendas vel commonstrandas mihi curaveram.

In officina autem Vniuersitatis reperiundae glebae fere omnes subrotundae quidem sed tenuiores fuerunt, varie instar orbiculi argillacei mollioris flexae, extrinsecus puriores nec tam scabrae, sed impressionibus modo quasi ex linteo rudiori notatae; paullo pallidiores. Interne substantia compa-

compactior absque cauernulis et in lamellosa frusta discerpenda, nonnisi in margine splendens, coloris pallide rubri, siue carnei, quem tamén intercurrunt subinde striae saturatius brunae. Tritura in mortario obtinebatur puluis subtilissimus ex albicante rubro colore. In hoc ipso licet exiguae eiusmodi festucae ligneae ad visum non comparerent, hinc inde tamen in ipsa massa conspecta sunt ramenta maiora ligni duri pallide bruni, notabiliter adstringentis. Sapor pulueris longe magis adstringens speciminibus superioribus simulque impense et quidem ingrate amarus, quasi Aloës tantillum admistum esset. Hic sensus postquam copioso affluxu saliuae sensim dispareret, sapor grate et insigniter dulcis, vt a Glycyrrhiza, successit. Nec obstitit copia saliuae, quin mucilaginis manifestam praesentiam gustu sentirem, imo et saliua in fila longa trahi potuit. Exigua modo pars indissolubilis mansit.

Quanta secundum haecce mea experimenta vtriusque Catechu generis discrepantia! Manifestum vero inde est, multiplici gradu speciminibus primo loco descriptis haec proxime dicta antistare. Nec dubito ex hisce characteres integritatis huius extracti in vniuersum repetere, suadeoque vt, qui Catechu emant, vel in medicum vsum recipere velint, massam primum malleo confringant, et in formulis pharmacopolae de selectu admoneantur e.g. sic: ℞. *Catechu pallidioris* &c. Praetulit quoque cl.

KERR

KERR *h*) extractum coloris albicantis, quam tribuit ligno pallide bruno, quum contra ea, quo faturatius lignum fit, tanto profundioris coloris et vilioris pretii extractum pronunciauerit. Ramenta lignea, quae offendi, ofcitantiae in colando decocto fine dubio adfcribenda.

§. II.

Quum Catechu faporem valde aufterum prae fe ferat, coniectura iam eo deuehimur, vt vi *putredinem auertendi et corrigendi* haud mediocri illud inftrui nobis perfuadeamus. Etenim adftringentia ex potiffimorum antifepticorum effe numero cell. PRINGLE, MACBRIDE, PERCIVAL, item matrona cel. THIRV D'AXANVILLE, cuius et cl^mi^ POVLLETIER DE LA SALLE operae librum *Effay pour fervir à l'hiftoire de la Putrefaction* debemus, et quicunque experimentis cum hifce extra corpus humanum indulferunt, extra dubium ponunt. Cur Catechu hifce non eadem follertia fubmiffum fuerit, ac alia fimilis naturae, et genuinum eius pretium requirat, mirandum eft. Paucis modo ill. PRINGLE *i*) inter aliorum recenfum memorat, carnis fruftum folutioni eius aquofae, in qua plurima eius pars fundum petiit, immiffum, diu a putredine feruatum fuiffe.

Vt *proprio experimento*, extra corpus humanum inftituto, de hac ipfa vi certior euaderem, m. Augufto

h) *Loc. cit. p. 155.*

i) *Difeaf. of the army Append. Exper. 10.*

gufto aeftatis nuperrime elapfae pulueris Catechu optimae notae vnciam dimidiam frufto carnis bubuli ponderis vnciae vnius et dimidiae iam nonnihil putrefcentis, incifionibus aliquot factis infricui, huicque vncias fex aquae deftillatae infudi, ita vt in hac omnino fubmergeretur. Vas per tres hebdomades in conclaui, quo thermometrum Fahrenheitianum ex fpontaneo atmofphaerae calore inter gr. 71 et 78 fupra o fubftitit, retinui, et carni liberum per hoc tempus aditum conceffi. Nihilominus tamen ne minimum quidem putredinis veftigium neque odore nec colore nec mollitie fefe tum exferuit, fed e contrario fefe crifpauit caro et tenacior rigidiorque euafit. Exemi tandem aliquot hebdomades poft, more pertaefus, carnem, et, poftquam auoluauerat aqua omnis, nihil nifi maffa dura remanfit, quae tamen in fibrillas difcerpi, quin in pulvifculum conteri inter digitos, fefe patiebatur.

Quo autem tanto melius virtus, in quam inquifiui, conftaret, aliud carnis fruftum eiusdem ponderis cum eadem quantitate aquae in aliud vas immifi, fed omittens additamentum extracti Catechu. Haec vero caro in eodem conclaui et fub eadem aëris temperie poft biduum in putredinem manifeftam tranfiit.

Quid ex hocce experimento confequatur, fponte quidem patet. Iuuat tamen monuiffe, conftare inde, quod Catechu non folum putredini obuiam eat, fed iam natam corrigat et fubigat.

Nam

Nam, vt ſupra monui, initium putredinis iam antea in carne adfuit.

§. 12.

Perſuaſus ad abditam corporum naturam expiſcandam prudens eorum *chymicum examen* haud parum facere, non piguit me experimenta huius generis inſtituere. Varia horum iam antea praeſtiterunt HAGENDORNIVS *k*), BOVLDVC *l*), NEVMANNVS *m*), LEWIS *n*). Et horum quidem priores duo etiam vehementiori igne, ſine alia miſcela, praeterquam arena, vt ne Catechu ſeſe inflaret, deſtillando illud torſerunt; vnde BOVLDVC pauxillum phlegmatis, ſpiritum acidum, multum olei craſſi et bruni, miſti aliquot guttis ſpiritus vrinoſi elicuit. Hiſce ex Catechu vnciis quatuor expulſis, caput mortuum vnciam vnam pendens remanſit, quod ipſum forti calcinatione grana duodecim ſalis lixivioſi erogauit. Sic et quum aperto igne in crucibulo Catechu vnciam vnam calcinaret, cinerum drachma vna cum dimidia remanſit, ex qua elixari aliquot grana ſalis alcalini fixi ſeſe paſſa ſunt. Sed quum fortiores eiusmodi ignis torturae parum vtilitatis afferant ad naturam corporum cognoſcendam: praeſtat aliis experimentis, mitiori igne peractis, quae non deſtruunt partes, ex quibus corpora conſtan-

k) *Tract. de Catechu*, *p.* 14. *ſq.*

l) *Memoires de l'ac. d. ſc. de Paris* 1709. *p.* 229. *ſq.*

m) *Med. Chymie*, *Ed.* KESSEL. *Vol.* 2. *P.* 4. *p.* 386. *ſq.*

n) *Experimental Hiſtory of the Mat. med. p.* 574.

conflantur, ſed blande modo easdem ex ſuo nexu diuellunt, acquieſcere.

1.) Non multum diſcriminis apparuit inter vtrumque dictorum generum Catechu, quum eadem candelae flammae admouerem. Vtrumque enim mox bullulas agere cum ſtrepitu coepit, dein candere, tandem in cineres albos verti; neutrum vero arſit. Pallidius tamen illud Catechu emiſit ſuccum fluidum reſinoſum, et quamdiu calidum permanſit, tam molle animaduerti, vt in fila trahi et compreſſum in globulum mutari, inſtar Styracis, poſſet, inter dentes vero tenacitatem quaſi Maſtiches proderet; vtprimum vero refrixerat, in puluerem conteri potuit. Minor longe tenacitas ſub hiſce experimentis in altero Catechu genere apparuit.

In experimentis ſequentibus omnibus vſus ſum Catechu melioris notae, hoc eſt, pallidiori.

2.) Huius in puluerem redacti drachmam vnam in vnciis tribus aquae deſtillatae ſolui, vnde colatione praegreſſa ſolutio grate ex rubro bruna et pellucida, modice amara et adſtringens, emerſit. Reſiduo licet iterum aquae deſtillatae vnciam vnam infunderem, haec tamen parum vel nihil ſoluit. Solutionem tum vtramque commiſcui et ſpiſſaui, vnde grana quadraginta quatuor extracti ſicci pallide rubri obtinui. — Reſiduum poſt dictam ſolutionem aquoſam ſiccum, quod gr. duodecim pendebat, ſpiritus vini rectificatiſſimi vncia vna et dimidia ſolui et colaui. Huic ſolutioni

 quum

quum aquam deſtillatam inſtillarem, priſtina pelluciditas permanſit. Inſpiſſatione ad ſiccitatem vsque facta, extracti grana octo eiusdem ſaporis ac Catechu obtinui. Superſtitem maſſam inſipidam fere deprehendi, et ex meris lignoſis particulis et ſabulo conſtantem. Pondus huius fuit gr. quatuor. Tota vero drachma Catechu huic experimento impenſa iacturam granorum quatuor ſubierat.

3.) Pulueris Catechu drachma vna, ſoluta in ſpiritus vini rectificatiſſimi vncia vna, erogauit ſolutionem elegantem claram rubicundo brunam, quam poſtquam colaueram, reſiduo iterum vnciam dimidiam iſtius ſpiritus ſuperinfudi, ſed ſine notabili ſolutione. Vtramque ſolutionem commiſcui, quae ex inſtillata aqua deſtillata ne minimam quidem mutationem ſiue praecipitationem ſubiit, idque nec tum, quum caloris ope ſpiritus partem auolare curarem. Solutio haec inſpiſſata grana triginta extracti ſicci erogauit: reſiduum autem indiſſolubile grana viginti quatuor conſtituit.

4.) Alia vice Catechu partem vnam in aquae vulgaris partibus ſex ſolui ope modici caloris. Color ſolutionis pallide ruber ſ. carneus fuit, ſapor magis amarus, quam auſterus. Poſtquam refrixerat maſſa, coagulum mucilaginoſum, gelatinae inſtar tremulum, apparuit.

5.) Tinctura eadem proportione ex Catechu et ſpiritu vini rectificatiſſimo ſub modico calore facta,

facta, coloris rubro bruni inſtar decocti Coffeae fuit, ſaporis autem magis auſteri quam amari et auſterioris longe, quam ſolutio aquoſa. Frigefacta a coagulo libera manſit, ſed lente exhalans in extractum glutinoſum profunde brunum tranſiit.

6.) Ex ſucci Catechu drachma vna, aceti vini concentrati vnciis duabus ſoluta, emerſit ſolutio ſaturatior minusque clara, quam praecedentes; quod ſupererat affuſa vncia vna aceti vini concentrati elixaui. Mixtas ſolutiones in extractum ſiccum ponderis gr. triginta ſex ſpiſſaui. In filtro remanſit reſiduum gr. viginti.

7.) Vitrioli acidum concentratum quum pulveri ſucci Catechu inſtillarem, incaluit et ebulliuit maſſa ſparſitque odorem ſulphureum, et in molem ſolidam coiit. — Acido vitrioli diluto, ſaturata et opaca, licet exigua, ſolutio contigit, quae ſulphureos vapores ſparſit, et ſuper igne nigredinem induit.

8.) Per alcali fixum ſ. oleum tartari per del. et alcali volatile ſ. ſpiritum ſalis ammoniaci pariter Catechu ſoluebatur, ſed parce et imperfecte.

9.) Oleum oliuarum nihil plane eius ſoluit, et ne caloris quidem intenſioris ope, ſed Catechu induruit, et fundo vaſis adhaeſit.

10.) Solutioni aquoſae Catechu quum ſolutionem vitrioli martis inſtillarem: miſcela haec notabilem nigredinem induit.

Non opus mihi visum est, pluribus experimentis ad indolem Catechu inuestigandam et menstrua idonea in vsum eiusdem medicum cognoscenda insistere. Nec attinet multis haecce mea cum aliorum experimentis comparare, quae in proportione partium solubilium et indissolubilium non possunt non variare nonnnihil, quum puritate ipsum Catechu tantopere variet. Ita multis sordibus non potuit non inquinatum fuisse Catechu illud, quod experimentis subiecit cl. LEWIS *o*) qui hasce $\frac{1}{8}$ constituisse refert: a me exploratum $\frac{1}{13}$ circiter heterogeneorum comprehendit.

Gummosas aeque ac resinosas partes inesse huic succo ex dictis n. 2-5 apparet. Vtrumque partium genus vero tam arcte connexum sine dubio mediante sale alcalino est, vt et aqua copiam resinae soluat, et spiritus vini rursus copiam gummi; nec, vt alias fieri solet, ex tinctura spirituosa instillando aquam resinosae particulae in fundum mergantur. Aqua tamen plus extrahit, quam spiritus vini; vnde gummosas partes pondere esse potiores resinosis colligitur. Quum tinctura spirituosa austerior solutione aquosa, haec contra magis amara: patet, quale menstruum pro diuerso scopo medico sit eligendum. Nec sane nullius pretii est, scire gelatinosam vnice euadere solutionem saturatiorem aquosam, non spirituosam, quum iis in morbis, in quibus inuoluendi virtutis vna cum reliquis succi Catechu est ratio habenda, menstruum consequenter

o) *L. c. p. 544.*

ter eligendum, quod mucilaginoſas eas partes eruat. Adſtringendi eius potentiam quum ſapor indicat, tum niger color, quo miſcela cum ſolutione vitrioli martis tingitur.

§. 13.

Dum in analyſi chemica verſor, commodiſſimus locus eſſe videtur, praecipua *praeparata* et *compoſita* recenſendi, quae vtpote in Diſpenſatoria pharmaceutica translata, publica auctoritate donata exiſtunt. Non leue inde argumentum capietur, pretium, quo Catechu in re medica in vniuerſum et nominatim inter certas gentes fruitur, diiudicandi; etſi ab altera parte iterum fatendum, in recentioribus quibusdam pharmacopoeis non ideo parciora eiusdem praeparata vel compoſita occurrere, quod deſpectum euaſerit, ſed quod noſtro tempore magis ſimplicitati in re medica, quam olim, litetur. Recipiunt igitur ſuccum Catechu

PHARMACOPOEAE LONDINENSIS (*Franc. ad Moen.* 1761.) *Tinctura Iaponica pag.* 70. *Puluis e ſuccino compoſitus p.* 89. *Trochiſci e Terra Iaponica p.* 93. *Mithridatum p.* 101. item *Theriaca Andromachi p.* 103.

PHARMAC. EDINBVRGENSIS (*Bremae et Lipſiae* 1758.) *Decoctum Iaponicum p.* 53. (Omiſſum in *Ed. nouiſſ.* 1783.) *Confectio Iaponica p.* 76. *ſ. Electuarium Iaponicum Ed. nouiſſ. p.* 206. *Electuarium ad dyſentericos l. c. Lohoch ex amylo p.* 78. *Trochiſci de terra Iaponica p.* 90. (Haec tria omiſſa in *Ph. Edinb. nouiſſ.*) *Tinctura Iaponica Ed. nouiſſ. p.* 112.

PHARMAC. PAVPERVM EDINBVRG. (*Franc. et Lipſ.* 1760. praeter recenſita varia in PH. EDINB.) *Enema adſtringens p.* 21. *Iulapium ſiſtens p.* 30. *Puluis ſtipticus p.* 37.

PHARMACOP. WURTENBERGENSIS (*Ed.* 1771.) *Electuarium gingiuale p.* 46. *Eſſentia terrae Catechu p.* 86. *Eſſentia traumatica p.* 87. *Tinctura gingiualis balſamica p.* 226. *Trochiſci Catechu ſ. Muſcerdae p.* 235. *Trochiſci de terra Catechu ad ſputum cruentum loc. cit.*

PHARMAC. BRANDENBVRGENSIS (*Ed.* 4. 1758.) *Tinctura Catechu p.* 208. *Trochiſci Catechu ſ. Muſcerdae p.* 215.

PHARMAC. PARISIENSIS (*Franc. ad Moen.* 1760.) *Catechu praeparatum p.* 5. *Puluis pectoralis pag.* 59. *Puluis adſtringens p.* 64. *Tabellae de terra Iaponica p.* 94. *Tabellae abſorbentes et roborantes p.* 94. *Pilulae adſtringentes p.* 104. *Trochiſci de Catechu p.* 110.

PHARMAC. DANICAE *Theriaca Andromachi p.* 262. *Tinctura Catechu p.* 267. *Tinctura gingiualis balſamica p.* 268.

PHARMAC. SVECICAE *Succus Iaponicus depuratus Ed.* 1775. *p.* 182. *Diaſcordium vulgo confectio Iaponica l. c. p.* 88. *Electuarium e Scordio Ed.* 1779. *p.* 68.

Quanti Catechu fecerit MEADIVS, declaratum legimus in *Pharmacopoea Meadiana*, et quanti FVLLERVS, in eiusdem *Pharmacopoea extemporanea*, vt in quibus multae formulae occurrunt, quas ipſas Catechu ingreditur. Haſce vero et praecedentes omnes et ſingulas ſpeciatim enucleare amplum nimis foret,

foret, nec, quum multae farraginem non ſatis aptam contineant, valde fructuoſum. Sunt tamen formulae quaedam vbiuis fere receptae ſimpliciores, in quas inquirere curatius omnino meum eſt.

In vniuerſum tamen lubens ſubſcribo iudicio cl. BOVLDVC *p*), Catechu probae notae omnibus praeparatis eſſe praeferendum, et ſi qua praeparatione opus eſt, ſufficere ſimplicem ſolutionem aqua factam et praeuia colatione inſpiſſationem in extractum, qua encheireſi partes aduentitiae et indiſſolubiles optime ſepararentur. Hac arte, vſui medico praeuia, praecipue vilius iſtud et impurum Catechu, quod ſupra deſcripſi, opus habet, ſed nec eo omnino carere poteſt alterum purius ob feſtucas nominatim et fragmenta lignea admixta. Non immerito igitur

CATECHV PRAEPARATVM *Pharmacopoea Pariſienſis p.* 5. praeparatis ſuis inſeruit, methodo dicta factum. Hoc ipſum, *Succus Iaponicus depuratus* in *Ph. Suec.* 1775. vocatum, ex recentiſſima iterum *Pharm. Suec. a.* 1779. exulauit. Fruſtraque quaeritur in aliis Pharmacopoeis a me recenſitis. Solutionem Pariſienſes aqua calente perficiunt: ſufficere vero et poteſt frigida, iuncta trituratione. Vterque liber leni calore eam ſpiſſari iubet, quod quidem euitandi empyreumatis cauſa commodum; nihil vero periculi adeſt, ne quid virium maiori igne perdat, nam nihil volatile huic ſucco ineſſe ex ſuperioribus patet. Ita obtinetur maſſa ſicca, fragilis,

p) *L. c. p.* 232.

gilis, facile in pulnerem conterenda, nec humiditatem aëris contrahens. Poterit et, si volupe, sola solutione et colatione acquiesci, tantoque iustius, quum plerumque Catechu liquida forma praescribatur.

TINCTVRA CATECHV *Ph. Brandenb. p.* 208. *Ph. Dan. p.* 267. Solutione in spiritu vini facta. Qualis sumendus, non memoratur priori loco, altero rectificatus requiritur. Ita quidem resinosae partes praeprimis euoluuntur; quibus vero exiguum modo virtutis tribuo, in gummosis praecipuam vim quaerens. *Pharmacopoea Wurtenbergica p.* 86., sub nomine ESSENTIAE TERRAE CATECHV elegit, nescio cur, pro menstruo spiritum Cydoniorum. — TINCTVRA IAPONICA *Ph. Lond. p.* 70. et *Ph. Edinb. nouiss. p.* 112. autem magis composita est, vtpote et Cinamomum complexa.

TINCTVRA GINGIVALIS BALSAMICA *Ph. Wurt. p.* 226. *Ph. Dan. p.* 268. Non parum quidem composita, nempe ex Catechu, Myrrha, Balsamo peruuiano, spiritu Cochleariae et vini digestis, ob efficaciam tamen haud spernenda.

TROCHISCI DE CATECHV. Horum magna exstat varietas. Simpliciores sunt TROCHISCI E TERRA IAPONICA *Ph. Lond. p.* 91. et *Pharm Edinb. a.* 1761. *cit. p.* 90. quorum vtrumque genus fere sibi simile; scil. ex Catechu, Gummi vel arabico vel Tragacantha et Saccharo rosaceo cum aqua vel Saccharo in aquae Rosarum portione constans. Magis compositi sunt TROCHISCI CATECHV SIVE MVSCERDAE *Ph. Wurt. p.* 235. et *Ph. Brand. p.* 215. omnino

inter

inter ſe congruentes compoſitione, ſcil. ex Catechu, Saccharo, Ambra, Moſcho, mucilagine Tragacanthae. Nomen muſcerdarum reſpicere figuram vel me non monente conſtabit. *Pharmacopoea Pariſienſis p.* 100. Catechu cum Saccharo et Caryophyllis ope Tragac. coniungit additque ſubinde olei cuiusdam eſſentialis vel tincturae Ambrae aliquot guttulas. In Gallia ſine dubio frequentior trochiſcorum horum vſus fit, quam in aliis regionibus. Nam cl. BEAVMÉ *q*) plures formulas ſuppeditat, iis forſitan notatu digniores, quibus metus, ne oris foetore aliis moleſti ſint; quorſum EIVS *Cachou à la Regliſſe, à la Violette, Cachou ſans odeur, à l'Ambre gris, à la fleur d'Orange, à la Canelle.*

PLACENTVLAE inſuper variae occurrunt ex Catechu paratae, non officinales quidem, ſi TABELLAS *Pharm. Pariſienſis p.* 94. excipias, ad imitationem ſine dubio eorum paratas, quae ex orientalibus regionibus transferuntur. Duplicis generis placentulae hae *exoticae* ſunt, de quarum vero compoſitione nondum ſatis conſtat. Quaedam, GITTA GAMBIR vel CATAGAMBER dictae, referunt placentulas externe ſaturate flauas, cruſta quaſi obductas, interne pallidiores, ſaporis ſubadſtringentis, leuiter amari et aromatici. Coniectura experimentisque cll. BVISSON *r*), DEGNERI et SEBAE *s*) ductus, ſuc-

H 5 cum

q) *Elemens de Pharmacie, T.* 3. *p.* 41-43.

r) Apud DEGNERVM in *Hiſtoria de Dyſenter. bilioſo-contag. p.* 298. *ſq.*

s) *Eph. N. Cur. Vol.* 4. *p.* 227.

cum Catechu hafce ingredi fuftineo. Aliae, quae SIRI GATA GAMBER vocantur, craffitiem et magnitudinem nucis vomicae habent, et a Belgis ex India aduehuntur. Conftant hae, fi fides narrationum, ex Catechu cum aromatibus variis, Cardamomo, ligno Aloës, Mofcho, Ambra aliisque, in gratiam faporis et odoris additis.

§. 14.

Nobilitarunt Mimofae genus duae praeprimis notiores nobis fpecies, Mimofa nilotica et M. Senegal; quarum priori Gummi arabicum et Acaciae verae fuccum debemus, pofteriori gummi Senegal, licet omnino ex obferuationibus cl. ADANSON *t*) plures fpecies, quam hae, Gummi vel rubicundum vel album fundant. Varia quoque fuadent, Myrrham ex hoc genere peti *u*). Ex fupra dictis (§.4.) patet, non vnam modo fpeciem effe adftringente fucco inftructam, nec vnam eandemque modo harum partem illum continere; nam Acaciae verae fuccus ex fructu, Catechu autem ex ligno eruitur. Imo haec eadem adftringens natura foliis pariter et cortici Mimofae niloticae competit, quae in cortice huius et Mimofae Gonakè ADANS., Gummi pariter fundentis, tanta eft, vt et denfandis coriis tenuioribus inferuiat.

Memorabile omnino eft, quod in vna eademque ftirpe fucci duo natura fua tam diuerfi colli-

t) *Mem. de l'ac. de fc. de Paris* 1773. p. 14. 16.

u) BRVCE in *Phil. Tranf. Vol.* 65. p. 408. *fq.*

colligantur, vt *adſtringens* et *gummoſus*, quin memorabilius adhuc, quod in ſucco Catechu iidem iunctim comprehendantur. Sed cum adſtringente ſapore amarities inſignis vnita eſt. Subſequens dulcis ſapor ſine dubio affluenti copioſius ſaliuae riuo adſcribendus, prout maxime a me colendus Praeceptor, cel. MVRRAY *x*), de Vuae vrſi foliis inſigniter amaris et adſtringentibus notauit, hauſtu aquae illis ſuperbibito ſaporem eorum in grate dulcem mutari. Non parum igitur falluntur, qui ſucco Catechu non alias quam adſtringentes vires tribuunt. Hinc forſitan euenit, quod noſtro tempore eius longe rarior quam meretur, vſus fiat, et multi, neſcio quid mali, ab illo tanquam ſtiptica valde medicina reformident, ideoque, quodſi illud praeſcribant, parce modo. Tanto liberalior in eo adminiſtrando olim fuit HAGENDORNIVS *y*), qui adeo non veritus eſt virtutes, quibus ſufficiat, ſecundum corporis humani partes recenſere, iisdemque fulcimentum narrationibus breuibus additis dare. Sed fateor, extenuari apud mentem meam potius, quam ampliari pretium medicamenti cuiusdam, ſi nimiis laudibus iisque in morbis diuerſiſſimae naturae cumuletur, quam fortunam recentius Phellandrii ſemen, item Glandes quernae toſtae expertae ſunt. Nolim quidem in omnibus et ſingulis laudum harum promis condis meram iactantiam accuſare: quidam contra eo peccarunt, quod ad aliorum medicaminum vel admiſtorum vel ſimul adhibi-

x) *Comm. de Arbuto Vua vrſi, p. 37. Opuſc. Vol. I. p. 56.*

y) *Tractatus phyſico med. de Catechu, Ienae a. 1679. 8.*

adhibitorum efficaciam non attenderint. Iam rationem perſpicient paucitatis virtutum, a me recenſendarum, qui mirabuntur, quod in varietate virtutum poſt ſeculum adeo, HAGENDORNII opella meam ſinam ſuperari. Praeſtat pauca noſſe de remediis eaque vera, quam multa ambigua, fallacia, vel adeo falſa.

§. 15.

Qua *forma* commodiſſime Catechu pro vſu interno exhibeatur, ex dictis (§. 13.) facile intelligetur. Nempe vel crudum iſtud venale menſtruo aquoſo ſoluatur et colatura ſubminiſtretur; vel, quod praeſtat, Catechu praeparatum aqua aromatica ſolutum aegris offeratur. Dari et poteſt Catechu ſaccharo mixtum in puluere. Cel. IVSSIEV z) praefert ſolutionem ex Catechu drachma vna et aquae pinta vna h. e. vnciis triginta duabus, in alui profluuiis et febribus variis; ſed ſine omni dubio ſaturatior longe eſſe poterit. In puluere exhibere ſapor non repugnat, praecipue ſub additamento ſacchari: nam ſuperbibita aqua frigida amarities et auſteritas mox in ore perit. Non vereor ſubſcribere WEDELIO a) et HAGENDORNIO b), qui a ſcrupulo dimidio ad integrum vel ad dimidiam drachmam illud pro doſi concedunt. Tinctura vel Eſſentia pro interno vſu mihi ideo minus placet, quoniam inertior eſt ſolutione aquoſa, et quod

z) *Mem. de l'Acad. d. ſc. de Paris 1720. p. 346.*

a) *Eph. N. Cur. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 130.*

b) *L. c. p. 44.*

quod ob ſpirituoſum menſtruum calefaciendo ſaepe vſui interno non ſatis accommodata eſt. Placuit tamen haud parum viris mox ſignificatis; et in Pharmacopoea Wurtenb. *c*) a guttis quadraginta ad quinquaginta commendatur. Quales miſcelas Catechu in formulis extemporaneis ferat, mox indicabo; quales tulerit in officinalibus, euoluentibus pharmaceuticos apparatus patebit.

§. 16.

Multis omnino morbis ſanandis *adſtringendi* ſua efficacia par eſt. Sed quoniam *amaras* et *mucilaginoſas* partes admixtas habet, varia perpetrat, quae ab aliis adſtringentibus fruſtra ſperes; nec horum multa tam tuto eadem praeſtant.

§. 17.

In *alui profluuiis* inſignem efficaciam Catechu exſerere, experientia conuincimur. Horum varia eius generis eſſe nouimus, vt ſingularem ſtimulum acrem pro cauſa habeant, vt diarrhoea et dyſenteria, ſaltim ſub initium. Alia relaxationem tantummodo ventriculi et inteſtinorum agnoſcunt, qua ipſa fit, vt lymphaticae vel mucoſae ſanguinis partes iuſto liberius exundent, et quum haec viſcera in ſuis muneribus labefactata ſint, cibi potulentaque non iuſtam mutationem ſubeant, ſed materia ex hiſce excrementitia colore, indole, mole et compage a ſueto naturae ordine deflectat: lienteriam, fluxum coelia-

c) *Pag. 86.*

coeliacum et hepaticum me proximo hocce loco intelligere, ſponte apparet. Quamdiu acre aliquod in inteſtinis, vt in dyſenteria nominatim, haeret, ad ſiſtentia confugere, ſiue ex adſtringentium tribu ſiue anodynorum petantur, quam maxime noxium eſt. Hiſce enim ſtimulus intra corpus retinetur, qui ipſe vellicando neruos dolores intenſiſſimos excitat, ſpaſmos gignit, inflammationem cum omnibus ſuis ſequelis, exulceratione, gangraena vel et aliquando ſcirrho, poſt ſe trahit, ſubinde et metaſtaſes materiae vitioſae in alias partes producit. Sub initium igitur morbi vomitoriis et purgantibus prudentior quilibet vtitur, cum quibus diluentia, inuoluentia, et ea, quae diatheſin inflammatoriam, bilioſam, putridam, corrigendi vim habent, coniungit. Sed quicquid horum adhibeamus, ſpe tamen ſaepe excidimus, quin profluuium alui absque vlla fomitis acris ſuſpicione pleno nonnunquam riuo continuat. Ita diarrhoea diu pergens haud raro habitualis euadit, et in lienteriam tranſit. Et dyſenteriam, coërcito etſi irritamento, ſaepe diarrhoea emacians excipit, nec raro, quum omnia in vado eſſe credimus, priſtina grauis ſcena iterum redit. Praemiſſis igitur euacuantibus, quo ſtimulus, ſi qui adeſt, euerratur, in eiusmodi inteſtinorum debilitate et flacciditate ad adſtringentia fortiora nos conuertimus; quorſum ex vulgari praxi nux moſchata, cortex Caſcarillae, cortex Simarubae, lignum Campechenſe, ſuccus Catechu, praeprimis pertinent. Quum vero prudentis medici ſit, in morbis ſcite ea coniungere, quae pluribus indicationibus

tionibus opportuna ſunt: ita et in hoc morborum genere. Natura ipſa ſaepe in vno eodemque remedio ſimplici plures easdemque diuerſas vires connectit, ſicuti, ne vltra limites alui profluuiorum euager, Ipecacuanhae item Rhabarbaro non euacuandi vnice ſed et adſtringendi virtus inſidet. Ita et in Catechu vi antidyſenterica non ſimplicem adſtringendi efficaciam extollo, ſed et mucilaginoſam naturam, qua fit, vt roborando labefactatum inteſtinorum tonum, ſimul acre vellicans forſitan reſiduum inuoluat, obtundat. Vides igitur, quantam praeſtantiam prae aliis adſtringentibus habeat. Magnus ſucci huius in dyſenteria encomiaſtes exiſtit DEGNERVS *d*), qui ſub ea, quam dixi, relaxatione cortice Caſcarillae nihil proficiente ad Catechu transgreſſus eſt, adſtringentem eius virtutem non ſolum tutiſſimam pronuncians, ſed et, vbi illud effectu caruit, nec reliqua adſtringentia aliquid opis attuliſſe. Et hic quidem vel in tinctura vel in puluere illud exhibuit et cum rhabarbarinis copulauit. Solutionem vero Catechu aquoſam pro tono ſtomacho et inteſtinis reſtituendo optimo ſucceſſu in vſum vocauit cl. BERDOT *e*), quum contra ea cortex Peruuianus et cortex Simarubae exiguam vim praeſtarent. Equiti A ROSENSTEIN *) placuit in diarrhoea bilioſa, quidni et in aliis alui profluuiis, poſt neceſſaria praemiſſa potionem ex Catechu drachma vna et aquae libra dimidia

d) *Dyſent. bilioſo-contag. p. 163. 165. 269.*

e) *Epiſt. ad* HALLERVM, *Vol. 5. p. 64.*

*) *Underrättelſe om Barns Sjukdomar, p. 81.*

dimidia praecipere. Trochisci gitta gambir, de quibus supra dixi exstare, qui praeparatum ex Catechu esse arbitrantur, pariter olim in diarrhoea et dysenteria aliisque laxitatibus intestinorum celebrati fuerunt, nominatim a cl. BVISSON *f*), ea lege, vt horum vni vel duabus drachmis aqua feruens infunderetur, et postquam aqua ad saturationem Theae boheae tincta esset, aegro huius vasculum omni hora vel bihorio exhiberetur per aliquot dies ad sanationem perfectam vsque; sed in connubio tamen aliorum congruorum remediorum. Ipse DEGNERVS in dysenteriis sporadicis vel diarrhoeis bilioso mucosis hosce trochiscos adhibuit idque effectu probabili, fassus tamen hactenus succo Catechu non praeferendos fuisse, tanto minus, quum magno pretio venirent et horum maiori quantitate opus esset. Ferri omnino possunt variae eius miscelae cum aliis contra hosce morbos efficacibus, quorum exempla hinc inde obuia. Mitto HAGENDORNIANA *g*), vtpote non huius seculi gustui accommodata. In consilio, quod collegium medicum Borussicum *h*) ante aliquot annos contra dysenteriam publici iuris fecit, tanquam remedium versus finem morbi opportunum formula proposita fuit ex Catechu, Mixtura simplici, Essentia Gentianae rubrae et Aurantiorum viridium, quam et nouissime medici Hannouerani experientissimi, prospicientes dysente-

f) V. DEGNER *l. c. p.* 297.

g) *L. c. p.* 65. *sq.*

h) V. *Anweis. in d. Ruhr fürs Landvolk v. Preuss. Coll. med.* recus. in *Hann. Magaz.* 1770. *n.* 46.

dyſenteriae epidemicae in hoc electoratu iam graſſanti, adoptarunt *i*). Cl. KAEMPF Catechu cum decocto Quaſſiae additis aqua Cinamomi et ſyrupo Cydoniorum commiſcuit. Haecce pro exemplis ſufficiant.

§. 18.

Ab hiſce inteſtinorum morbis ad alium tranſeo, *colicam pictonum*, de cuius cauſa proxima, item cauſis antecedentibus, nec non curatione, quot variae ſententiae medicorum mentes agitauerint, latere nequit eos, quibus vel CITESII, TRONCHINI, GRASHVYSII, HVXHAMI, STRACKII, HAENII monographias, vt de aliis auctoribus nihil dicam, conſulere volupe eſt. Hiſce diſcidiis memet immergere, ab hoc loco, hoc tempore, alienum eſt. Nec patronum agam ſententiae GRASHVYSII, quod cauſa huius colicae proxima in abraſione muci inteſtinalis conſiſtat, quam ipſam ſerius ill. DE HAEN *k*) redarguit. Id vero vel ſola GRASHVYSII *l*), viri in praxi medica grauis, experientia ſatis conſtat, ambiguam ſaepe in hoc morbo emollientium, inuoluentium, blandiorum purgantium et anodynorum, eſſe fidem, nec pares nos eſſe tollendo morbo niſi ad adſtringentia

i) *Hann. Magaz. 1779. n. 84.*

k) In *Rat. med. contin. T. 3.* edito poſt eius mortem a Cl. STOLL *p. 464.*

l) *De colica pictonum, p. 45. ſqq.*

gentia efficaciora confugiamus. Plura huius generis enumerat, Radicem Tormentillae, corticem Peruvianum, Cinamomum, Alumen, Vitriolum martis &c., quae inter et fuccus Catechu, cui videtur fpeciatim indulgere. Iunguntur haec vel aliis ex indicationibus commodis, et fine adftringentibus raro tuta fidaque fuit reliquorum efficacia, aliquando hifce folis curatio omnis abfoluitur. Non autem ore folum exhibentur, fed, fi fufpicari licet vitium in inteftinis craffis haerere, forma enematis vtiliter applicantur. Ex vomitionibus, quarum meminit HAGENDORNIVS *m*) in defcriptione colicae, hariolor, eum praecife colicam pictonum intellexiffe, in cuius curatione mifcela ex Catechu cum Laudano opiato praecipua illi medela fuit.

§. 19.

Roborans fiue adftringens Catechu vis dignum fecit, quod in *faucium affectionibus* variis adhiberetur, fpeciatim vuulae prolapfu, rectius relaxatione, item in tonfillarum exulceratione; et quidem gargarifmatis forma. Probo in hofce fcopos HAGENDORNII *n*) confilium, vel tincturam eius vel Catechu praeparatum cum melle rofato aut robe Mororum gargarifmis addendi. In angina catarrhali fcimus, adftringentia ad difcutiendam ftagnantem pituitam multum conferre: quidni hoc fine gargarifmati

m) *L. c. p. 64.*
n) *L. c. p. 52.*

garifmati ex refoluentibus conftanti, tantillum fucci Catechu addamus? In angina gangraenofa eximie conducere nemo, qui antifepticam eius vim nouit, in dubium vocabit; fed de hac vi infra (§. 25.).

§. 20.

Similem, quem in alui profluuiis praeftare Catechu fupra (§. 17.) fignificaui, efficaciam cafu fingulari in *ftranguria* moleftiffima *o*) fupra viginti annos durante, *coniuncta copiofa muci tenacis excretione*, praeftitit tinctura fucci Catechu cum tinctura corticis peruuiani remixta, vel eius loco alia, non multum diuerfa mifcela, dum e contrario emollientia et demulcentia exiguo tantummodo fucceffu praemitterentur, diuretica autem peffimum effectum exfererent. Comitem hoc vitium habuit debilitatem et emaciationem corporis notabilem. Facile patet, relaxationi veficae lotii vnice nimium iftum muci prouentum imputandum effe, nec alienum vllum corpus adfuiffe, irritamento fuo veficam vellicans.

§. 21.

Hocce memorabile maxime curationis exemplum attentius penfitans, non vereor, ne coniectura decipiar fore, vt in *phthifi pituitofa p*), pereximium exiftat remedium et fuppar, nifi praeftantius,

o) GRASHVIS *l. c. p. 69. fqq.*

p) Vid. MVRRAY *Progr. de phthifi pituitofa*, recuf. in *Opufc. Vol. I. p. 275. fqq.*

tius, cortice Peruuiano, quem tantis laudibus aestumatissimus mihi Praeceptor merito contra hoc malum extulit *q)*. Vterque enim morbus eo conuenit, quod copiosa pituitae euacuatio fiat, et haec quidem comite corporis macie, quae a tanto nutritii nec alias vitiosi humoris dispendio abesse non potest.

Futuris etiam experimentis confirmabitur, anne, vt spero, in *fluore albo*, pertinacissimo isto muliebri morbo, vsitatis hactenus remediis Catechu efficacius sit, quum tinctura martialis aliaque tincturae Catechu ab HAGENDORNIO addita meritum succi Catechu aliquantisper minuant.

Spondet non minus insigne auxilium in *gonorrhoea benigna*, et excretione ista molestissima mucosa, virulentam saepe excipiente, quae in sola partium relaxatione consistit (Anglis Gleets, Germanis Nachtripper). Experientia sine dubio ductus cl. KAEMPF *r)* Catechu inter commoda roborantia interna gonorrhoeae benignae recenset, et iniectionem commendat ex aqua Calcis, Myrrha, Catechu, iunctis rhabarbarinis.

§. 22.

Porro in *lotii profluuio nimio sistendo* Catechu celebrare conuenit, imo in eo, quod diuturna dura-

q) *Progr. cit. p. 9. et Appar. medicam. T. 1. p. 594.*
r) *Enchirid. med. p. 147. sqq.*

duratione pertinacius euasit. Bina huius generis a WEDELIO s) exempla sistuntur, alterum puellae biennis, quae Catechu praeparato aqua, pro potu, soluto conualuit, alterum grauius adhuc, in quo locis intertriginosis vermes molestissimi comparuerunt. Testem huius virtutis etiam producerem HAGENDORNIVM t), nisi tincturae additis vel praemissis aliis iterum effectus Catechu dubius redderetur.

§. 23.

Haemorrhagiarum internarum multiplicem caussam qui perpendat, non potest non temeritatem empiricorum vituperare, qui ab adstringentibus primam et praecipuam opem in iisdem curandis exspectant. Alia omnino sub plethora et orgasmo conducunt, alia, si spasmi subsunt, alia, si qua obstructio in alienas vias sanguinem determinat, alia si vasorum nimia relaxatio infestat, alia si resolutione sanguinis hic per vasa illi ferendo non destinata penetrat. Quae in vna specie iuuant, nocent manifeste in altera. Adstringentia, quae sub plethora et orgasmo febri comiti calcar subditura essent, summae tamen efficaciae sunt relaxato nimis tono vasorum et sanguine putredine resoluto. Et in aliis quoque profluuiorum sanguinis speciebus, roborandi scopo, sub finem haud parum conferunt. Horum e censu Catechu tanto iustius re-

I 3 putatur,

s) *Misc. nat. curios. Dec. 1. Ann. 2. Obs. 129.*

t) *L. c. p. 70.*

putatur, vtpote mucilaginosis partibus foetum. Eo, et eius quidem tinctura ad guttas 60 pro dosi propinata, haemoptysin absque tussi contingentem quidem compescuit WEDELIVS *u*), item HAGENDORNIVS, qui ipse, contra fluxum alui cruentum *x*), mictum cruentum *y*), nec non fluxum menstruorum nimium et haemorrhagiam in partu profusam *z*), Catechu varie vsus fuit. Sed quum vel anodyna vel martialia iunctim ab hisce cl. viris praecepta sint: oportet alia in priuam laudem Catechu experimenta practica accedant.

§. 24.

Cadit vero haec ambiguitas de virtute eius *stomachica*, quam VOLKAMERIVM, WILLIVM, WEDELIVM in tinctura nominatim magni fecisse auctor HAGENDORNIVS *a*) est, ipse huic praeconio ex sua experientia subscribens. Hinc et conualescentium prostrato in cibis capiendis appetitui eadem subuenit. Gallis haec succi Catechu ventriculum roborandi vis haud parum commendabilis videtur. Meminit eiusdem studiosius cel. IVSSIEV *b*). Et cel. CRANZ *c*) narrat Parisiis in substantia Catechu ore volutum et solu-

u) *Misc. N. C. Dec. 1. Ann. 2. p. 84.*

x) *L. c. p. 64.*

y) *L. c. p. 68.*

z) *p. 72. sq.*

a) *L. c. p. 61. sq.*

b) *Mem. de l'acad. R. d. sc. de Paris 1720. p. 345.*

c) *Mat. med. et chir. Ed. 2. P. 2. p. 41.*

ſolutum deglutiri in beneficium digeſtionis ciborum. In hac vi non auſteritatis vnice ſed et amaritiei ſucci huius rationem eſſe habendam, facile patet.

§. 25.

Experimentis ſupra relatis (§. 11.) quantum polleat in carnis putredine arcenda et corrigenda, conſtat. Sed et in viuo corpore vim *antiſepticam* egregiam exſerere, apud aegros exploratum eſt, etſi non diffiteor, vulgarem praxin magis in putridis morbis, in Camphoram, flores Chamomillae, Serpentariam, Contrayeruam, corticem Peruuianum, acida, praecipue Vitrioli ſpiritum, Alumen, ferri. Horum variis exemplis ſimul manifeſtum fit, quod et extra tribum adſtringentium vis iſta antiputredinoſa dominetur, et exſtare remedia, quae fomitem putridum eneruando potiſſimum putredinem coërcent. Attamen, qui putredine grauante et fluidas corporis animalis partes attenuari et ſolidas relaxari, diuelli, perpendat, hiſce nominatim inſigne pretium tribuet, quae principia iſta compagis animalis ad contactum arctiorem reducunt, qua laude adſtringentia clarent. Catechu vero tanto dignius eſt inter antiſeptica loco, quippe quum amaritiem cum auſteritate coniunctam habeat, et ſatis ſuperque conſtet ea quoque, quae ſola amaritie diſtinguuntur, vt herba Centaurii minoris, radix Gentianae, Abſynthium, Aloe, putredini efficaciter reſiſtere. Rarior, quam meretur, Catechu ſucci vſus in ipſis febribus pu-

tridis fit. Bene tamen HVXHAMVS *d*), quando ſanguis putrida reſolutione adeo laborauit, vt per inſolitas vias proflueret, roborantibus, acido et analepticis, Catechu addidit.

Tanto crebrior autem in practicis libris efficaciae eius in *ſtomacace* ſiue putredine oris mentio fit, cuius praeſentiam praeſertim gingiuarum retractio et cruentatio a leui etiamſi attactu, vacillatio item caries dentium, foetor oris, et vlcera eiusdem varia declarant. Mala iſta etſi topicis ſolis rariſſime vincuntur, ſiquidem plerumque radices ſuas in deprauatione humorum, ſaepe quoque in vitiis imi ventris habent, applicatio tamen ſcita antiputredinoſorum externa haud exiguas curationi ſymbolas affert. Non attinet, huc referre, quae in itinerariis de vulgari iſta fructus Arecae cum folio Betel et tantillo Calcis oſtrearum apud Indos maſticatione traduntur, quoniam ex fructu dicto vel plane non vel raro Catechu praeparari euictum eſt. Interim hiſce Catechu ſubinde addi auctor eſt GARCIAS *e*). Placentulae vero ſupra dictae Gitta gambir et Siri Gata Gâmbar pariter maſticantur ab Indis ad gratum oris halitum aſciſcendum et gingiuas roborandas. Harum autem etiamſi vera compoſitio nos lateat: vix dubium ſupereſt, Catechu illas continere. Subſtituuntur hinc inde in Europa ob dicta vitia oris Trochiſci de Catechu, ita

d) *Opera phyſico-med. T. 2. p. 70. Ed.* REICH.

e) *Hiſt. aromat. et ſimpl. apud Ind. p. 42.*

ita ſcilicet, vt horum aliquot ore retineantur, donec diffluant. Potior tamen vis tincturae Catechu ineſt, nec ſane ſpernenda tinctura gingiualis balſamica Wurtemb., quae commode mixta melle roſarum linteo carpto gingiuis relaxatis putreſcentibus applicatur, praegreſſa, ſi tartarus dentes obueſtit, eiusdem per inſtrumenta cauta ſeparatione. HAGENDORNIO *f*) in vſu fuit, tincturam Catechu cum tinctura Laccae vel cum melle roſato commiſcere. Placuit et illi linimentum vel electuarii genus ex puluere Catechu et melle roſato. Et quid opus eſt miſcela, quum ipſe puluis Catechu dentibus affrictus fidem ſuam abſtergendi mundandi et conſolidandi efficacia teſtetur. Meretur igitur omnino pulueribus dentifriciis vel electuariis eiusdem ſcopi, loco ſolitae iſtius vel inertis vel noxiae farraginis, addi. Perplacet mihi ſimplicitas methodi, qua exulceratio linguae antea pertinax in ſcorbutica foemina ſanata, miſcela nimirum ex Melle, Saccharo candi, Catechu et Tragacantha *g*), linguae illita.

§. 26.

Iam et elucet, quo iure inter *vulneraria* locum obtinuerit. Nec negari poteſt, Catechu eſſe ex praecipuis, quae linimentum quoddam in Bengalia vſitatiſſimum intrant *h*), quod ipſum componitur ex Vitrioli coerulei vncia dimidia, ſucci Catechu vnciis quatuor, Aluminis drachmis no-

I 5 vem,

f) *L. c. p.* 54.

g) *L. c. p.* 53.

h) KERR in *medical Obſervat. and Inqu. Vol.* 5. *p.* 158.

vem, Resinae albae vnciis quatuor; quibus in pulverem subtilem redactis et commistis olei Oliuarum vnciae decem adduntur, et aquae q. s. pro consistentia linimenti. Hoc ipsum a recenti vulnere ad venereum vlcus vsque ibidem adhibetur, tantoque plus laudis meretur, quum expertissimi ibidem Chirurgi Angli, ROBERTI HVNTER, spem in multis casibus grauibus non exaequauerit modo, sed superauerit.

XIV.

DE
DVLCIVM
NATVRA
ET
VIRIBVS.

DE

D V L C I V M

NATVRA ET VIRIBVS. *)

SECTIO PRIMA.

Dulcium indoles et varietas.

§. 1.

Dulcedinis *ſenſus* blande guſtus organon afficit et pleriſque gratiſſimus eſt; vnde et loquendi vſus hanc vocem in eiusmodi adeo res transtulit, quae vel alia organa ſenſoria recreant, vel ſolam mentem impenſius oblectant. Ad fidem b. HALLERI *a*) nonniſi lingua illam ſentit, in me quidem et palato ſenſus eius inprimitur. Sunt quaedam aetates, quae hoc ſapore magis delectantur, quam aliae, nimirum infantilis, ita vt infantes ad medicamenta capienda vel alia ſibi ingrata agenda ſacchari praemio promiſſo alliciantur; et ſenilis quoque plerumque. Sexum ſequiorem pariter dulcia magis appetere in cibis, potulentis, cupediis, quam alterum, nouimus. Reliquis hominibus vix niſi copia displicent,

*) Diſſertatio acad. ad finem a. 1779. me praeſide defenſa.

a) *Elem. Phyſiol. T. 5. p. 99.*

plicent, vel sub nimia consuetudine vel aliorum linguam fortius afficientium familiaritate, prouti fumo Tabaci sugendo indulgentes et potatores dulcibus plerumque aduersantur.

§. 2.

Ad *simplices* sapores quidem pertinet dulcis, vt amarus, acidus, nec nisi vnicum sensum imprimit Saccharum, Mel. Nonnunquam tamen hic sapor *copulatur* cum amaro, vt in Dulcamara, Polypodio, Glycyrrhiza; vel austero, vt in Alumine, succo Catechu, foliis Vuae vrsi, certe in hisce duobus proxime dictis exemplis austerum saporem dulcis sub finem gustationis insequitur; vel acido, in fructibus horaeis bene multis vinisque; vel viscoso, in Caricis, Passulis; vel oleoso, in Amygdalis seminibusque cucurbitacearum; vel aquoso, in oleribus et radicibus variis; vel acri, vt in Cinamomi cortice.

§. 3.

Dulcium simpliciter ea ratio est, vt gustata *mox sensum* suum organo impertiant, nec modo post aliquam moram, vt acria varia licet fortiora. *Non* vero *diu* in ore remanet, sed affluente saliua paullo post dissipatur.

Distinguitur dulcedo, sicut amarites, vix nisi sensu *specifico*, nec, vt alia varia sapida, tactu simul vel visu, vel reagentibus, vt vocantur, discernitur. Acidis enim e. c. ebullire cum alcali, colorem

colorem coeruleum vegetabilium in rubrum vertere rel. datum eſt, auſteris cum Vitriolo martis atramentum efficere, viſcoſis in mucilaginem reſolui, et ſic porro.

Si WILLISIO *b*) credere fas eſſet, dulcium discrimen, praeterquam ſapore, *cryſtallorum* ex iisdem eruendarum figura facile eſſet cognitu, haſce enim per particulas in molles aculeos ita figuratas deſcribit, vt leni affrictu ſenſorium titillent, non aliter, ac plumarum ſtriae hypochondriis ac pedum volis admotae. Sed perperam diuerſitatem ſaporum, qui mixtis corporibus inſunt, quaeri in ſalium diſcrimine, dubio vacat, poſtquam obſeruationibus conſtiterit, ſapida exiſtere, quae ſapore licet diverſiſſima, idem tamen ſal erogant, item alia, quae ſimilem quidem ſenſationem in lingua vel vicinis partibus producunt, ſed figura ſalis contenti valde diſſimilia. Nihil igitur ſupereſt, quam vt ſapor a partium miſcela ipſa varia, proportione, nexu, pondere, magnitudine, motuum gradibus, attractione rel. dependeat. Et quod ad particulas molliter aculeatas dulcibus adſcriptas nominatim attinet, errorem manifeſte demonſtrauit cl. LVCHTMANS *c*), vtqui ſub microſcopio in Sacchari ſolutione, poſtquam refrixerit, cryſtallos cubicas, item pyramidales variae baſeos vidit, in Manna autem cryſtallos oblongas, tenuiſſimas, radiatim ſparſas, quae ipſae cum cryſtallis ſacchari Saturni maxime congrue-

b) *De anima brutor. cap.* 12. in *Op. omn. Tom.* 2. *p.* 99.

c) In *Diſſ.* egregia *de ſaporibus et guſtu*, *p.* 37. *ſqq.*

congruerunt, in Caſſia et Melle autem nihil niſi particulas ſphaeroideas obſeruauit. Patet igitur vel hiſce exemplis figurae cryſtallorum diuerſitas, licet ſaporis ratio vna eademque ſit.

§. 4.

Dulcedini quidem in communi vita *acor* opponitur: non tamen haec vere contraria ſunt, nec hic ab iſta ſeparari poteſt. Ipſa natura vnum ex altero producit: fructuum enim immaturorum, Mali, Pyri, Vitis, Ribis rel. acidus vel acerbus ſapor ſolis calore in mitem dulcem mutatur. Dulcia praeterea, iuſta humiditate ſuoque calore et aëris acceſſu conſtituta, ſponte fermentationem acidam ſubeunt, et acetum fortiſſimum erogant, imo addita aliiis fermentationi opportunis inſtar fermenti operantur, et haecce in conſenſum trahunt. Experiuntur mulieres hancce in acorem mutationem quotidie in fructibus ſaccharo conditis. Mitiſſimus ex arundine ſaccharifera expreſſus ſuccus vix vltra diem acoris expers perſiſtit. Dulciſſima vina et blandiſſimam cereuiſiam triticeam aëre calidiori aceſcere nouimus. Quin conſtat, easdem ſubſtantias dulces, ex fructuum, ſuccorum et frumentorum tribu, quae ſpiritus ardentes nobis largiuntur, vel continuata vel renouata fermentatione acetum nobis ſuppeditare. Nolo hic iam multis commemorare acorem iſtum, quem dulcibus nimium indulgentes ſenſu ingrato ventriculi et eructatione acida, dentes obtundente, experiuntur. Tanto vero minus dubitandum eſt de

de acidi in dulcibus praesentia, quum et absque fermentatione, vel vi ignis vel additamenti cuiusdam, quod reliquas partes cum illo vnitas consumit, a compedibus suis liberari queat.

§. 5.

Saccharum nimirum per se in vase retorto vitreo leni initio igne, dein paullatim aucto, *destillatum*, primo phlegma pallide flauescens imbecillis odoris et saporis acidulo balsamici dimittit, cui succedit spiritus flauus, dein flauo rubicundus phlogistico acidulus, mobilissimus, qui olfactus instar Armoraciae nares pungit et illacrymationem excitat, quem excipit pauxillum olei bruno nigricantis, remanente in vase retorto nonnisi massa terrea nigra inerte *d)*. Sed hac encheiresi acidum, de quo hic sermo est, integrum et a reliquorum consortione disiunctum obtineri nequit.

§. 6.

Acidum igitur *saccharo inesse*, cui et substituere sine errore possumus alia dulcia, manifestum est. Aceto quoque illud esse potentius et cuti instillatum flauam maculam relinquere, quae aqua elui non possit, sed desquamatione modo cuticulae arrosae dispareat, iam dudum comperimus *e)*. Verum, *quale*

d) NEVMANN'S *Chymie Ed.* KESSEL. *Vol. 2. P. 4. p. 143. sq.* CARTHEVS. *Mat. med. T. 1. p. 413.* Conf. SCHRICKELII *Diss. de salibus saccharinis a §. 19-25.*

e) CARTHEVS. *de genericis quibusdam plant. princ. p. 64.*

quale ceteroquin ſit et quibusnam notis ab aliis acidis differat, recentius modo cognouimus experimentis, duobus diuerſis locis vno eodemque fere tempore in medium prolatis.

Primo loco paucis commemoranda iſta ſunt, ab Equite BERGMAN *f*), Profeſſore Chemiae Upſalienſi ſagaciſſimo, inſtituta, qui ipſe acidum ſacchari purum ab omni alia miſcela elicuit, quatenus ſcilicet id arte fieri poſſit, et numeroſis et operoſis experimentis peculiarem eius genium et niſus varios in alia corpora excuſſit. Cel. hicce vir ope ſpiritus nitri fortis, in quo ſaccharum repetitis vicibus coxit, noua per vices ſpiritus nitroſi portione adfuſa, acidum ſacchari forma cryſtallorum priſmaticarum quadrilaterarum eruit, quae ipſae iterata ſolutione et cryſtalliſatione depurari ſe ſinunt. Exigua autem modo quantitate eliciuntur, ita vt, ad comparandam vnam partem ſalis huius, ſacchari tribus et acidi nitri fortis triginta partibus opus ſit. Quoniam acidum nitri phlogiſti auidiſſimum eſt, illius ope oleoſum commodiſſime deſtruitur, vaporibus inter haec rubris exſurgentibus, et acidum ſacchari ſolum relinquitur, ſub refrigeratione cryſtallorum formam induens. Hiſce cryſtallis ſapor acerrimus ineſt, et tam acidus, vt grana earum viginti integrum aquae congium notabili acore impertiant, grato tamen linguae, modo diluatur.

f) V. *Diſſ. de acido ſacchari d. 13. Iunii a. 1776.* recuſ. in EIVSD. *Opuſc. phyſ. et chem. Vol. 1. p. 251. ſqq.* Cfr. et *Act. Upſal. nov. Vol. 2. p. 210.*

diluatur. Soluuntur in aquae destillatae feruidae pondere aequali. Purum hasce esse acidum, criteria acidis communia indicant, imo aetheris speciem cum spiritu vini constituunt, qui aether tamen nonnisi calefactus accendi potest, nec alba sed coerulea flamma ardet. Neque destillatione, nec alia tentata via, hucusque ill. vir hoc acidum ab oleosis admixtis partibus diuellere potuit. Crystallorum tamen forma, qua prodit, inflammabilis tantillum residuum in illo esse innuit, siquidem alia acida, eo priuata, fluida forma comparent; sed exiguum hoc valde esse, acidissima, quam prodit, natura manifestat. Calcem prae omnibus aliis corporibus appetit, vnde nihil efficacius est ad detegendam calcem aquis quomodocunque solutam; nam soluti eius minima gutta mox in calcem praesentem fertur, et haec puluerem album indissolubilem cum eo efficiens fundum petit *g*). Non attinet hic vlterius prosequi, quid cum aliis acidis commune habeat, quid peculiare. Sufficit modo hic indicasse, cel. BERGMANVM eadem arte ex Gummi arabico, Spiritu vini rectificatissimo, Melle et aliis corporibus, saccharum vehentibus, idem euocasse.

Alterum genus experimentorum nuperiorum, ad quod respicio, istud est, quod cl^mo SCHRICKEL *h*)

 debe-

g) Conf. BERGMANI *Diss. de analysi aquarum* in *Opusc. chem. et phys. T. 1. p. 98.*

h) *Diss. de salibus saccharinis vegetabilibus generatim et sacchari vulgaris albi analysi acidoque huius spiritu speciatim, Giessae m. Aug. a. 1776.*

debemus. Hic ipſe, ſicca deſtillatione vſus, ex ſacchari refinati vnciis ſedecim ſpiritus acidi phlegmate oleoque permixti vncias octo cum ſcrupulis quatuor obtinuit. Ab hiſce vnciam circiter olei ſeparauit et phlegmatis drachmas circiter ſex. Spiritum acidum bis rectificationi cum argilla ſubmiſit, ſub quo negotio olei drachmae duae cum aliquot granis adhuc ſeparatae, vnde ſpiritus aquae inſtar limpidus euaſit et acidior longe et purior. Ipſe tamen agnoſcit cl. vir, aliquam olei partem ſpiritui pertinaciter adhuc inhaerere. Vlterius vero adhuc ſpiritum concentrauit frigus, vt quo, reliqua tenuiori parte in glaciem verſa, in centro acidum perſtitit fluidum.

BERGMANI igitur acidum ſacchari cryſtallorum forma inſtructum, SCHRICKELII fluidum fuit. Vtriusque acidum qui inter ſe comparet, in multis eadem ſimilia inueniet, ſed in non paucis tamen momentis etiam diuerſa. Negat e. c. SCHRICKELIVS Violarum ſyrupum inde rubrum induere colorem, cryſtallos produci ex eiusdem cum alcali volatilis combinatione, ipſum aurum eo ſoluere illi ſucceſſit, vt alia taceam, quibus a BERGMANO differat *).

§. 7.

Praeter acidum *oleoſae partes* alterum primarium ſacchari principium conſtituunt. Qua proportione inſint, ex deſtillatione mox recenſita elucet.

*) Conf. de diſcrimine vtriusque huius acidi cl. HERMBSTÄDT in CRELL's *Chem. Entdeck. P. 9. p. 12. ſqq.*

cet. Lectu digniſſima ſunt, quae de huius natura nobis reliquit omnium auctorum pleniſſime clar. SCHRICKEL *i*). Sed eius praeſentia et aliis notis ſeſe manifeſtat. Nam ſaccharum carboni candenti immiſſum, non vero candelae admotum, flamma coerulea ardet. Igne funditur et ſpumeſcit ſub ſtrepitu, multis emiſſis halitibus empyreumaticis et relicto carbone. Porro viuidam detonationem cum nitro ſuper igne liquefacto ſubit. Addi poteſt pro oleoſarum partium in ſaccharo praeſentia demonſtranda, quod facile cum oleoſis liquidis ſeſe commiſceat.

Hiſce oleoſis partibus vna cum *mucilaginoſis*, quae combuſtae terram inſipidam relinquunt, *acidum* ita *obuoluitur*, vt ſentiri guſtatu nequeat, ſed in hac miſcela dulcedinis ſenſum linguae imprimat, prout acidiſſimum vitrioli oleum ſpiritu vini iunctum dulceſcit.

§. 8.

Reſpectu ad *originem ſacchari*, ſcilicet ex ſuccis vegetabilibus, habito, ſal eſſentiale merito illud habetur. In ſiccam formam condenſatum, nominatim illud ex arundine ſaccharifera, ſoluitur facile aqua, tarde vero, nec niſi caloris ope, ſpiritu vini rectificatiſſimo, et frigefactum in cryſtallos iterum concreſcit. Oleis ſubactum, praecipue aethereis, haec aqua miſcibilia reddit. Et haec quidem ſubſtantia latiſſime per regnum vegetabile diffunditur.

i) *Diſſ. cit.* §. 24.

§. 9.

Sed nec ab *animalium* complexu excluditur.

Mel huius cenſus eſt, licet rectius et hoc productum vegetabile pronuncies, ſiquidem illud, vt plerumque, vel enaſcitur ex ſucco aquoſo dulci in nectariis et fundo florum ſtagnante, ab apibus hauſto et partim pro earum nutritione conſumto, partim earum ventriculo vlterius ſpiſſato, deinque in cellulas fauorum, vbi porro denſatur, per os depoſito; vel verno tempore non ſuppetentibus floribus ex gemmis arborum, item ſucco dulci per rimas et aperturas quarundam arborum erumpente, colligitur; vel, licet rarius, ex dulcedine, ſiue ſic dicto rore melleo, qui feruidiori aeſtate ex foliis ramulis aliisque partibus quarundam ſtirpium exſudat *k*). Variae mellis ſpecies manifeſte genium plantarum, ex quibus collectum, ſeruant, vnde aliud mel aromaticum, aliud amarum, imo nocivum, prout mel ex Rhododendro pontico LINN. collectum, cephalalgiam, vertiginem &c. veterum iam obſeruatione, ſed recentius confirmata *l*), creat; vnde et color et odor mellis multipliciter variat. Partes eaedem ex melle ac ſaccharo elici ſeſe patiuntur *m*). Imo verum ſaccharum, forma cryſtallorum

k) Vid. inſtar omnium de rariori hac origine teſtis fide dignus ill. GLEDITSCH in *Betracht. über den Bienenſtand, p.* 52.

l) V. MODEL's *kleine Schriften, Vorrede p. XI.*

m) LEMERY in *Mem. de l'acad. R. des ſc. de Paris* 1706. *p.* 279.

lorum imbutum, ex melle parari poteſt, ea proportione, vt ex libris duabus mellis Narbonenſis circiter vncia dimidia ſacchari cryſtalliſati obtineatur *n*). Optandum maxime, vt chemici hanc artem vlterius perſequerentur, quo parceretur impenſis pro ſaccharo exotico et apiculturae noua incitamenta fierent. Digna igitur reſponſione quaeſtio de hoc argumento fuit, ab academia ſcientiarum Gedanenſi ante aliquot annos propoſita.

Lac pariter ſaccharina materie ſcatet, ita vt haud difficulter ſaccharum ſolidum inde conficiatur, cuius origo non obſcura eſt, mente modo pabulum animalium ſi concipias. Mutat quidem lactis naturam nutrimentorum diuerſitas; nec negari poteſt etiam ex iis brutis, quae ſolis vegetabilibus paſcuntur, lac emulgeri, in quo praeter vegetabilem naturam animalis veſtigia quaedam ſeſe produnt. Caſeoſa enim lactis pars, diremta a reliquis eius partibus, alcali volatile manifeſte recondit, putredinem facile intrat, foetet et deliqueſcit. Nec poſſunt non, quum in primis viis tum in ſecundis, tam ante ſecretionem lactis, quam ſub eadem, partes vere animalis naturae reliquis adſociari. Si quae vero huius conſociationis documenta adhuc in cremore lactis occurrant: ſerum tamen manifeſte herbarum ingeſtarum naturam retinet, et euaporatum ad nouam ſiue decimam ſui voluminis partem et loco temperato ſepoſitum, in cryſtallos coit, quae repetita ſolutione et cryſtalliſatione omni

n) BEAVMÉ *Elemens de Pharmacie, T. 2. p. 165. ſqq.*

flauedine exuuntur. Eſt igitur lactis ſaccharum ſal eſſentiale, ſaccharo vero vegetabili aemulum, a quo autem iſtud, copia maiori inflammabilis partis, differt; vnde a candelae flamma facile accenditur, nec ita dulce eſt. Analyſi chemica inſuper eaedem partes eruuntur, quae ſalibus plantarum eſſentialibus inſunt *). Addo, ſpiritum vini ex lacte, non ſolum equino apud Calmuccos et Tartaros *o*), praeuia fermentatione deſtillari, ſed etiam ex lacte bubulo *p*), poſſe; vnde nouum argumentum enaſcitur cognationis inter ſuccos vegetabiles et lac obuenientis.

Pauciſſima alia veſtigia de praeſentia ſacchari in corpore animali occurrunt. Non dubito hoc loco commemorare *ſputa* iſta *dulcia*, quae inſtante pulmonum ſuppuratione ab aegris ſentiuntur. Hinc iſtud HIPPOCRATIS *q*) "qui pus intro collecturi ſunt, iis primum quidem ſalſuginoſum ſputum expuitur deinde dulcius."

Huius

*) Deſtillatione ex ſaccharo lactis elici easdem partes, quae ſaccharo ex arundine ſaccharifera inſunt, et nominatim vtriusque acidum eſſe eiusdem naturae cel. SCHEELE (in *Vet. Acad. Handl.* 1780. p. 269. ſqq.) demonſtrauit. Comparari cum hiſce merentur, quae propoſuit cl. WESTRVMB in cel. CRELL *Entdeck. in d. Chem.* P. 10. p. 84. ſqq.

o) GMELIN'S *Reiſe durch Sibirien* P. 1. p. 273. PALLAS *Reiſen d. verſch. Provinzen d. Ruſſ. Reichs*, T. 1. p. 314. ſqq. T. 3. p. 404.

p) OSKRETSKOWSKY *Diſſ. de ſpiritu ardente ex lacte bubulo*, *Argent.* 1778.

q) *Praenot. coac.* p. 183. FOES.

Huius quoque loci eſt dulcedo lotii in *diabete*, quae male a quibusdam negatur. Memorabilis eſt hiſtoria *r*) de homine, qui intra nycthemerum lotii pintas 28 emiſit. Omiſſis reliquis ſymptomatibus apud eum obuiis, hic modo noto, ſub initium morbi ſenſum perpetuum famis eum moleſte habuiſſe, dein ſaporem ingratum acidum, lotium eius dulce fuiſſe et ſaepe turbidum inſtar aquae mellitae. Lotium ſtagnando in vaſe fermentationem ſubiit, et odorem vinoſum ſparſit, dein in acorem tranſiit, tandem computruit. Serum ſanguinis vena emiſſi opacum fuit, et retulit ſerum caſei commune, item dulce, etſi non adeo dulce, vt lotium. Reſiduum lotii ſuper carbonibus exhalantis grumoſum fuit, haud abſimile ſaccharo bruno eiusdemque ſaporis.

In *calculis renum et veſicae* idem acidum ſacchari ill. BERGMAN *s*) detexit, putatque hoc cum glutinoſo iunctum renum et veſicae calculos conſtituere, cuius rei explanationem prolixiorem, quam promiſerat, mors praematura intercepit.

Quoniam vero materies ſaccharina apud animalia mammis inſtructa ſponte nunquam extra lac praeſentiam ſuam declarat: patet, ſi alibi obuiam venit, eam nonniſi morboſa de cauſa congeri, quae ipſa in *defectu debitae aſſimilationis* humorum quaerenda videtur, ſiue debilitas quaedam primas vias vel ſecundas corripiat, ſiue vitium quoddam reliquis corporis humoribus inſit, quo ipſo conſociationem cum ſaccharina materie repudiant.

r) DOBSON in *med. Obſerv. and Inquir. Vol. 5. p. 298.*

s) *Opuſc. phyſ. chem. T. 1. p. 254.*

§. 10.

Sunt et inter *mineralia* dulcis ſaporis exempla. *Saturninis acida* mitiora dulceſcere et ſal metallicum adeo inde redundare, ſacchari Saturni nomine, notum eſt. Sed an verum hic acidum ſacchari ſubſit, experimentis ſaltim nondum euictum. Credidi olim demonſtrari id poſſe ingenioſo chemici apud Suecos verſatiſſimi, cl. SCHEELE, experimento, qui, quum lithargyrium cum oleo Oliuarum et aqua coqueret, poſt huius miſcelae ſ. emplaſtri refrigerium ſenſit aquam in ſuperficie ſubſiſtentem dulcedine impraegnatam, et ex hac aqua in ſyrupi ſpiſſitudinem denſata acidi nitri ope cryſtallos referentes acidum ſacchari obtinuit. Hanc dulcedinem exiſtimaui ex acido quodam in oleo latente et calcem plumbeam imbibente originem traxiſſe. Sed cl. vir poſtea hocce aliaque ſua experimenta ſimilia cum oleo Amygdalarum, Napi, Lini, oleo a ſapone ſeiuncto, butyro, axungia porcina, ipſe amplioribus recenſens *), refutare tentauit hancce explicationem ideo quod additis alcalinis vel acido vitrioli calx plumbi non praecipitetur, niſi oleum vetuſtum et rancidum fuerit.

Alumen ſenſum ex adſtringente et dulci mixtum linguae imprimit, imo dulcedinem eiusdem repetita ſolutione et phlegmatis ſeparatione ſeorſim haberi poſſe lego *t*).

Vitrio-

*) *Kongl. Vet. Acad. nya Handl. 1783. p. 384. ſqq.*

t) BORRICHIVS *de natura dulcedinis, p. 69.* citante b. HALLERO in *Elem. Phyſiol. Vol. 5. p. 119.*

Vitriolum martis gustans post stipticum saporem haud aegre subdulcem percipiet.

Admiscendo *acidis mineralibus spiritum vini* liquida dulcia emergunt.

§. 11.

Vberrimum vero sacchari prouentum et consuetissimum *vegetabilium* amplae cohorti debemus. Et in hisce vel sapore sese prodit, vel sponte exsudat per varias partes, vel expressione succi et coctione, vti et ope spiritus vini rectificatissimi, eruitur. Consistentia quidem, sub qua ex hisce elicita comparet, variat, pro maiori vel minori copia aquosarum, oleosarum vel mucilaginosarum partium admista. Omnium vegetabilium hac in re eminet gramen istud nobile, quod primo loco proponam, cui dein subiungam reliqua.

1. SACCHARVM OFFICINARVM; floribus paniculatis, foliis planis LINN. *Syst. veg. Ed.* mea 14. *p.* 103. Arundo saccharifera C. B. *Pin. p.* 18. Conf. SLOANE *nat. Hist. of Jam. Tom.* 1. *p.* 108. *Tab.* 66. quae vero paniculam modo exhibet. Integram autem stirpem delineat RVMPH. *Herb. amb. Tom.* 5. *Tab.* 74. *fig.* 1. et describit eam *p.* 186. — HVGHES *nat. Hist. of Barbados p.* 244. *Tab.* 23. *fig.* 1. Saccharum geniculatum et succulentum panicula spatiosa BROWNE *nat. Hist. of Jam. p.* 129. Crescit perenne hocce gramen sponte in Africa et vtraque India locis plerum-

plerumque inundatis. Sed naturae ars ſubvenit plantationibus, praecipue inter tropicos Americae lucroſis, vbi in noua Hiſpania, Braſilia, Guadeloupe, Martinique, St. Domingo, et omnibus fere coloniis Hiſpanicis Gallicis Anglicis, colitur.

Quale *cultus* genus, et quaenam *ſacchari conficiendi prima initia* ſint, multi tradiderunt intelligentes viri, in Indiis commorati, quae tamen ex fontibus in compendium, vltra cuius limites euagari hic non datur, redigere plus faceſſit negotii, quam absque tentamine aliquis exiſtimet. Optimis hac de re auctoribus accenſendi PISO *u*), LABAT *x*), BROWNE *y*), HVGHES *z*) qui ſtudioſius in ſtirpis morbum, a vermiculis prouenientem (yellow Blaſt), inquiſiuit, et AVBLET *a*). Pro cultura eius eligitur plerumque ſolum aquoſum et fertile et calida ſatis ſtatio, ſed interdum quoque in ſiccis imo arena laete creſcit (AVBLET). Propagatio fit ope gemmae culmorum in partes diſſectorum et terrae immiſſorum. Requiruntur plerumque quatuordecim ad ſedecim menſes, antequam culmi ad illud robur ſiue maturitatem peruenerint, vt ſaccharum erogent, niſi

u) *Indiae vtriusque res nat. et med. p. 108. ſqq.*

x) *Nouv. Voyage aux Isles de l'Amerique, Tome I. p. 224. ſqq.*

y) *Loc. cit.*

z) *L. c.*

a) *Hiſt. des plantes de la Guiane Françoiſe, T. 2. App. p. 57.*

nisi terrae genius maiorem moram iniungat. Sed pluries ex vna eademque radice culmi auferri possunt.

Culmis ope falcis prope radicem praecisis et panicula cuiusuis vna cum foliis ablata, plures in fasces vinciuntur, qui ipsi in molendinum transferuntur, vt circumactis per equos, ventum, vel vi irruentis aquae, tribus cylindris perpendicularibus ferreis conquassentur, et succum effundant, qui cisterna colligitur, vel, quod frequentius, mox per canalem in ahenum deriuatur. Coquitur hic addita calce vel lixiuio saponariorum vel cineribus puris et alumine. Deriuatur postea in alia ahena vnum post alterum et nouo additamento dictorum et despumatione depuratur et coquitur, donec syrupus inter digitos receptus illos quasi conglutinet, tumque in modulos pyramidales apice terram spectante et perforato immittitur, quo siccetur vel crystallisetur. Foramen hoc primo clauditur, dein aperitur, vt syrupus effluere possit. Hac ratione *Saccharum, crudum, thoraeum, s. rubrum* Pharm. Lond. et Edinb., vulgo Moscouade dictum, paratur, quod adhuc multis cruditatibus scatet, et brunum ideo colorem habet, consistentiae fere arenae. Sub hac forma magnis doliis in Europam transfertur, vt ibidem vario gradu depuretur et panibus pyramidalibus vendi possit. Saccharum crudum pro diversa depuratione, quam sustinuit in Indiis, vel plus vel minus sacchari albi largitur. Impuritates ad superiora tendentes auferuntur in modulis superficie

perficie operculo ex limo griseo tecta. Optimum crudum ⅔ adeo facchari albi probi erogat. Quo clarius hoc crudum est, quo albidius siccius duriusque, eo purius censendum; carere et debet sapore empyreumatico vel acido. Quomodo in officinis Europaeis vlterius depuretur s. vt vocant, refinetur, non attinet hic prolixius commemorare, optime hac re perfuncto illustri DV HAMEL DE MONCEAV *b*). Assentior tamen lubenter ill. BERGMANO *c*) facchari refinationem multum adhuc perfectionis admittere, chemia facem praeferente. Noua solutione, coctione, additione calcis, sanguinis vel albuminis ouorum, et despumatione haec depuratio fit, multique gradus facchari sic depurati existunt, vnde nomina eius, quod conicis formis induruit, deinque vlterius exsiccatum fuit, varia, *Cassonade*, *Melis*, *Refinade*, *Canariense* s. *finissimum*, aliique gradus et nomina. Species proximo loco dicta albissima, durissima, sonora, copiam scintillarum ad chalybem excitat. Distingui et potest saccharum in *pyramidale*, de quo nouissime sermo, *farinaceum*, instar farinae contrectandum, et *tabulatum*, quod crustae instar aheni latera obducit. Sub omnibus hisce diuersis processibus defluit copia *syrupi* per apertos modulos, qui ipse non minus gradu puritatis multipliciter differt, vnde et nomina varia. Impurus iste brunus *Molasse* dici solet. Ex isto, qui in Indiis defluit, aqua cocta praeuia fermentatione

b) *Art. du rafiner le Sucre 1764.*

c) *Anledning til Föreläsningar öfver Chemien, §. 83.*

tatione ſpiritus ardens, *Rum* ſ. *Taffia* dictus, deſtillatur. Vilior eſt ſapore iſte ſpiritus, qui ex ſpuma ablata paratur. Puriſſimus ſyrupus Germanis *Syrupus candi* dicitur. Si ſyrupus vel ſaccharum aqua ſolutum coquitur, donec ſpiſſeſcat, deinque in vas terreum defuſum per vnam vel plures hebdomades loco calido retinetur, vel cruſta vas obducit ex cryſtallis maioribus conflata, vel, ſi bacilli ſiue fila ſuſpenduntur, haecce iisdem circumveſtit; haec origo *Sacchari candi*, quod pro diuerſo depurationis ſacchari gradu, et *brunum* et *album*, habemus, et bellariorum varia forma.

Non locus hic eſt, multis rationem reddere encheireſeos multiplicis, quam ſaccharum ſubit, antequam album obtineatur. Coctio prima accelerari debet, ob ſucci expreſſi nimium in acorem niſum, quem tantum dixi eſſe, vt vix moram nychthemeri perferri poſſit (§.4.). Sine calce vel alcali addito, cum quo ſuperfluum acidum iungitur, nunquam in ſolidam compagem redigi poſſet.

Vtrum huic ſtirpi, an potius ARVNDINI BAMBOS L. *d*) veterum Σακχαρ ſ. Σακχαρον, Μελι το καλαμινον, *Mel cannae* ſ. *arundinaceum*, vel, vt et dictum, *Sal Indum*, adſcribendum, dictu difficile eſt. Deſcribitur ab iſtis vel inſtar mellis fluidum, vel magis ſiccae conſiſtentiae, ad internodia ex medullari ſubſtantia per fiſſuras erumpens, tandem concre-

d) Conf. Tabaxir GARCIAE AB HORTO *in aromat. et ſimpl. Ind. Hiſtoria, p.* 46.

concrescens. Certe concretum nostrum saccharum eos latuit *). Huius in locum creberrime melle vsi sunt.

Sequantur iam duae *arbores*, saccharinae materiae matres, *calidissimis regionibus* pariter propriae:

2. BORASSVS FLABELLIFORMIS; frondibus palmatis cucullatis, stipitibus serratis LINN. *Syst. veg. p.* 984. Palma coccifera folio plicatili flabelliformi, mas; foemina RAII *Hist. plant. T.* 2. *p.* 1366. Lontarus domestica, Palma vinaria prima siue Iagarifera, Lontar. RVMPH. *Hist. Amb. T. I. p.* 45. *Tab.* 10. Palma Indiae.

Ex hac incidendo racemum elicitur succus, qui si saccharo destinetur, excipitur olla intus calce oblita, dein coquitur in saccharum rubrum, quod vel in panes vel baculos exsiccatur. Iauanis frequenti in vsu.

3. COCVS NVCIFERA; inermis, frondibus pinnatis, foliolis replicatis, ensiformibus LINN. *Syst. veg. p.* 985. Palma indica nucifera BAVH. *Hist. T. I. p.* 375. Calappa RVMPH. *Herb. amb. T. I. p.* 1. *Tab.* 1. 2. Palma Indica.

Ob nucem clarissima, nec non ob spiritum vini *Arrac*, qui ex succo per racemum incisum exundante

*) Idem iudicium haud ita pridem tulit cel. JO. BECKMANN in *Historia sacchari*, inserta *Comment. Societ. scient. Gotting. a.* 1782. *p.* 56. *sqq.*

vndante paratur. Ex eodem ſucco, olla pauxillo calcis oblita excepto, ſyrupus craſſior vel mel excoquitur, quod apud tales gentes Indoſtaniae vſurpatur, apud quas arundo ſaccharifera non obuia eſt.

Ea vero numinis benignitas eſt, vt, cuiuslibet regionis felicitati proſpiciens, quod boni alicubi deficiat, id alio ſimili beneficio reſarciat. Sic et, vbi climatis vel ſoli defectu arundo ſaccharifera deeſt, ſubſtituit alias ſtirpes dulci ſucco foetas. Harum e genere variae ſunt *arbores Americae ſeptentrionalis*, etiam *aliae apud nos* obuiae, quae verno tempore, antequam folia emiſerint, perforatae, copiam grate dulcis lymphae fundunt. Maxime inter haſce claruit

4. ACER SACCHARINVM; foliis quinquepartito-palmatis acuminato-dentatis, ſubtus pubeſcentibus LINN. *Syſt. veg. p.* 911. EIVSD. *Spec. pl. p.* 1496. Conf. DV ROI *Harbkeſche wilde Baumzucht. Vol. I. p.* 14. *ſq.* KALM'S *kårta Berättelſe om Norr-amer. Växter p.* 3. Anglis Sugar-Maple, Sugar-tree; Gallis Erable à Sucre. Florum huius vera ratio adhucdum botanicos latet. Arbor creſcens in Canada et Penſylvania abundanter.

Verno tempore ſcatet ſucco et tanto copioſius, quo plus niuis per hiemem ceciderit, et quo dirius frigus praeceſſerit. Hinc tunc temporis caeſim vel terebrando in lignum vsque arbor vulneratur,

 plagae

plagae canalis ſubmittitur, per quem in vicinum vas defluit, aliquando per tres hebdomades. Coquitur dein ſuccus in amplo aheno ſub continua agitatione et deſpumatione eousque, donec cochleari, quo circumagitur, obſtaculum ſiſtatur et ille grumeſcere incipiat, refrigerio facto ſaccharum concreſcit. Succi huius canthari quatuor ad octo ſubinde per diem promanant, et ſedecim nonnunquam etiam quinque eius canthari libram vnam ſacchari praeſtantis erogant.

Bruni hoc coloris eſt, referens ſaccharum Moſcouade ſupra deſcriptum, funditur et nonnunquam in placentas craſſitie duarum manuum transuerſarum, vel in maiores maſſas aliasque formas pro diuerſa magnitudine et figura vaſorum, in quibus concreſcit, redigitur. Atque hoc ſaccharum non ſolum ab Americanis barbaris, ſed et a vulgo in coloniis Anglicanis pro cibo potuque et ad fructus varios condiendos adhibetur. Syrupi quoque eius vſus fit *e*). Sed ſaccharinum ſuccum vehere, non huic vni Aceris ſpeciei datum eſt, ſed et plerisque aliis. Sequantur igitur

5. *Acer rubrum;* foliis quinquelobis ſubtus glaucis, pedunculis ſimpliciſſimis aggregatis LINN. *Syſt.*

e) Conf. ill. KALM in *Kgl. Vetenſk. Acad. Handl.* 1751. *p.* 147. Arbitror hanc ipſam ſpeciem ſub nomine Erable blanc ou Erable mâle intellexiſſe clum GAVTIER in *Mem. pref. à l'ac. des ſc. de Paris T.* 2. *p.* 376. vbi ample artem ex hoc et ſequenti Acere ſaccharum parandi deſcripſit.

Syst. veg. p. 911. DV ROI *Harbk. Baumz. T.* 1. *p.* 16. *sqq.* KALM's *Berätt. om N. Americ. Växt. p.* 4. et EIVS *Resa til N. America T.* 2. *p.* 288. Icon: MILLER's *Figures of Plants Tab.* 8. *fig.* 2. CATESBY *nat. Hist. of Carolina Tab.* 62. Arbor crescens per totam Americam septentrionalem abunde, vbi multiplex eius in oeconomia commodum.

Succus promanans aquosior longe praecedente est, vnde maior eius pro saccharo conficiendo iactura. Saccharum quoque obscurius et nigricans, attamen copiose apud Americanos praeparatur. Cf. nota subiecta *e*.

6. ACER PSEVDO-PLATANVS; foliis quinquelobis inaequaliter serratis, floribus racemosis LINN. *Syst. veg. p.* 911. Acer montanum candidum C. B. Cfr. DV ROI *Harbk. Baumz. Vol.* 1. *p.* 4. Icon: CRAMER's *Anleit. zum Forstwesen Tab.* 6. Arbor, in Heluetia et Germania hinc inde reperiunda.

Verno tempore post terebrationem succus dulcis effluit, qui inspissatus dictos aemulatur. Vide quae de hoc LISTERVS *f*) et GRÜNERVS *g*) memoriae prodidere.

7. ACER PLATANOIDES; foliis quinquelobis acuminatis acute dentatis glabris, floribus corymbosis

f) In *Phil. Transf. abridg. T.* 2. *p.* 686.

g) In *Fränk. Samml. T.* 4. *p.* 36.

bosis LINN. *Syst. veg. p.* 912. Acer montanum tenuissimis et acutissimis foliis C. B. Conf. DV ROI *Harbk. Baumz. p.* 12. Icon: MILLER'S *Figures of Plants Tab.* 8. *fig.* 1. Arbor Europae borealis. In nostra vicinia montem Pleis occupat.

Ad hanc praecise refero quae cl. DALMAN *h*) de saccharo in Suecia ex Aceribus parato tradidit, nam Acer Pseudoplatanus ibidem non crescit. Ex Platanoidis autem arboribus octo, quarum quaelibet triginta annis non inferior fuit, intra quatriduum vno experimento viginti cantharos succi elicuit, qui inspissatus libras duas cum dimidia sacchari bruni exhibuit saporis non ingrati.

ACER CAMPESTRE L. f. Acer camp. et minus C. B. succum fere saccharinum dulciorem largiri lego *i*).

8. IVGLANS ALBA; foliolis septenis lanceolatis serratis, impari sessili LINN. *Syst. veg. p.* 859. Conf. KALM in *K. Vet. Acad. Handl.* 1769. *p.* 119. *sqq.* Ad hanc speciem etiam retulit b. A LINNÉ illam, quae Hickery-nut Anglis in America dicitur. Sed KALMIVS nouissime in *K Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 263. *sq.* demonstrauit, pro specie diuersa habendam, cui quidem

h) *Kongl. Vet. Acad. Handl.* 1754. *p.* 232.

i) GRÜNER in *Fränk. Samml. aus d. Naturl. Arzn. T.* 4. *p.* 40.

quidem varietates tres tribuit, forſitan ideo vnice, quod in America Hickery nomen ſingulis hiſce tribus arboribus conferatur. Arbor in America ſeptentrionali oeconomico vario vſu celebrata.

Hic autem memoranda vnice ob ſuccum album, ſpiſſiuſculum, vere ex plagis caeſis promanante. In Canada et Albania coquitur inde ſaccharum, quod dulcius fertur iſto ex Acere ſaccharino. Ob parciorem eius prouentum tamen illi pro hoc fine cedit *k*).

9. BETVLA NIGRA; foliis rhombeo-ouatis acuminatis duplicato ſerratis LINN. *Syſt. veg. p.* 849. DV ROI *Harbk. Baumz. T.* 1. *p.* 91. Sugar-Birch, Black-Birch Anglis. Arbor Virginiae, Canadae.

Ex hac etiam in America ſeptentrionali ſaccharum paratur, quod tamen amaricantis ſaporis eſt *l*).

Item ex BETVLAE ALBAE L. ſucco euaporatio ad ſpiſſitudinem ſyrupi ſal dulce obtinetur, ad Mannam accedens *m*).

k) KALM in *Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 272.

l) KALM *l. c.* 1751. *p.* 145.

m) MARCGRAF in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Berlin* 1747. *p.* 89. Conf. MODEL *chym. Nebenſt. p.* 230.

10. GLEDITSIA TRIACANTHOS; caule ſpinis triplicibus axillaribus LINN. *Syſt. veget. p.* 918. Gleditſia ſpinoſa DV HAMEL *Arbr. Tom. I. p.* 265. *Tab.* 105. *Hort. Angl. Tab.* 21. Honey-Locuſt Anglis. Arbor Virginica.

Legumina longa, enſiformia, plana, pulpam vehunt melleam, quae a quibusdam hydromellis inde parandi cauſa coquuntur *n*).

Tranſeo ab arboribus, quae largiorem copiam ſaccharinae materiae variis gentibus ſuppeditant, ad *ſtirpes herbaceas* eo fine clariores:

11. ALOES cuiusdam americanae, Braſilienſibus Caraguata, Mexicanis Magues ſeu Metl dictae meminit MARCGRAFIVS *o*) peregrinator, ex cuius ſurculis ad latera prodeuntibus Nouae Hiſpaniae incolae ſuccum exprimunt et coquendo ſaccharum parant. Vinum quoque et acetum hic ſuccus ibidem ſuppeditat. Eſt ſine dubio AGAVE AMERICANA LINN.

12. ASCLEPIAS SYRIACA; foliis oualibus ſubtus tomentoſis, caule ſimpliciſſimo, vmbellis nutantibus LINN. *Syſt. veget. p.* 259. *β exaltata.* Perennis Virginiae, vulgare hodie hortorum ornamentum et florum odore placens, ſed luxuriando moleſtum.

Mitto

n) KALM in *K. Vet. Acad. Handl.* 1751. *p.* 146. LAWSON's *nat. Hiſt. of Carolina, p.* 97.

o) *Hiſt. nat. Braſil. Lib. I. cap.* 18. *p.* 38.

Mitto hic ſerici ſpeciem, ſeminum apicibus adhaerentem, quae mixta alia materie textis commoda eſt, vnde la Soyeuſe Gallis; nec non filamentoſam caulium compagem, filis textisque inde parandis pariter idoneam. Nam huius praecipue loci flores ſunt, ex quibus rore madidis mane ſuccus exprimitur, etiamſi ex venenata familia ſtirps ſit, qui ſuccus praeuia coctione ſaccharum brunum grati ſaporis et ſalutare erogat *p*).

13. ZEA MAYS; LINN. *Syſt. veg. p.* 841. Frumentum indicum Mays dictum C. B. Annuum Americae gramen.

Non grana vnice huius farinacea magni in alimentum hominum et brutorum momenti ſunt, ſed et ſuccus culmis inditus ſacchari materiem continet, quod quidem Americani ſeptentrionales ſubinde in vſum trahunt *q*). Probo quoque ſucceſſu in Hungaria experimenta in hunc finem repetita ſunt *).

Verum nec *maxime boreales gentes* ſuas cupedias deficere, duo ſubſequentia exempla docent:

14. HERACLEVM SPHONDYLIVM; foliis pinnatifidis laeuibus, floribus vniformibus LINN. *Syſt. veg. p.* 282. Sphondylium vulgare hirſutum C. B. Icon: RIVIN. *Pent. T.* 4. Pl. perennis vulgaris in pratis praecipue.

p) KALMS *Reſa til Norra America, p.* 260.
q) KALM *Vet. Ac. Handl.* 1751. *p.* 146.
*) V. cel. CRELL *chem. Annalen* 1. *Stück, p.* 96.

A Kamfchadalenfibus petioli foliorum radicalium, poftquam cortex eorum derafus fuerit, in fafciculos colliguntur, qui flaccidi facti per tecta diftribuuntur, vt faccharum farinaceum exfudet, conquaffatione et allifione ad corpus durum facile feparandum. Quadraginta librae petiolorum quartam circiter librae partem facchari fubminiftrant. Spiritum gratum eadem materies huic genti impertit *r*).

15. FVCVS SACCHARINVS; fronde fubfimplici enfiformi, ftirpe tereti breuiffima LINN. *Syft. veg. p.* 970. Fucus longiffimo latiffimo craffoque folio C. B. *Prodr. p.* 154. Alga faccharifera BORRICHII in THOM. BARTHOL. *Act. med. Vol.* 1. *p.* 119. *Vol.* 4. *p.* 165. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 416. GMELIN. *Hift. fuc. p.* 194. *Tab.* 27. 28. Alga in oceano feptentrionali lapidibus plerumque adhaerens.

In Iflandia praecipue in pretio eft, vbi maris fluctibus in terram proiicitur, vel dedita opera antea colligitur. Pabulum conftituit pecoris, et acetarii inftar in menfas quoque transfertur. Saccharum tamen nominatim eam memorabilem facit, quod fponte granulofa forma exfudat, dum folia folis calori exponuntur. Macerantur ifta etiam aqua, iterumque ficcata in tonnulas ligneas collocantur,

r) V. GMELIN *Flor. Sibir. Tom. I. p.* 214. *fqq.* CHAPPE *Voyage en Sibirie par* KRASCHENINIKOW *Tom.* 2. *p.* 364.

cantur, nec prius in vſum culinarem trahuntur, donec per totam ſuperficiem ſaccharum eruperit *s*).

Hae hucusque enumeratae *plantae* praecipuae ſunt, quae materiem ſacchari conficiendi ſerio ſuggeſſerunt. Sed multae *aliae* ſunt, quae illam comprehendunt. Ex radicibus BETAE RVBRAE item BETAE CICLAE vel SII SISARI tam ope ſpiritus vini rectificatiſſimi, quam ſola ſucci expreſſione, depuratione, coctione, ſaccharum verum euocari ſe patitur, et tam larga quantitate, vt ſecundum primam encheireſin libra dimidia exſiccatarum radicum Betae Cicla vnciam dimidiam, Siſari drachmas tres, et Betae rubrae drachmas duas et dimidiam ſacchari eroget *t*). Syrupi quidem ſpeciem multipliciter vtilem, elicere datur ex DAVCI radicibus *u*), ſed in ſacchari duritiem hucusque coadunari non potuit. Pauxillum modo veri ſacchari ineſt PASTINACAE radicibus. — Fructus ſunt varii, quorum ſiccatorum ſuperficiem ſponte farina dulcis obducit, quorſum CARICAE, PASSVLAE, PRVNA DAMASCENA, IUIUBAE, SILIQVA DVLCIS, DACTYLI. In fructibus MVSAE PARADISIACAE maturis ſuccoſis ſaepe granula dulcia pellucida cortici adhaerere vidi, ſeminis coriandri nonnunquam magnitudine, quae

L 5 hinc

s) BORRICH. *l. c.* Cfr. et BIORNE PAVLI *Obſſ. circa plantas quasdam maris Iſland. et ſpeciatim algam ſacchariferam, Hafn.* 1749.

t) MARCGRAF in *Mem. de l'ac. R. des ſc. de Berlin* 1747. *p.* 79. *ſqq.*

u) V. compendii cauſa MVRRAY *Appar. medicam. T. I. p.* 209.

hinc inde in tam duras cryſtallos concreuerant, vt inter dentes ſtridorem excitarent. Alios rurſus fructus nouimus, in quorum medulla vel pulpa materia ſaccharina reſidet. Pertinet huc fructus caſtaneae, cuius extractum mucilaginoſum digeſtum ſpiritu vini ſyrupum euaporatione ſubminiſtrat, qui calido loco ſeruatus copiam cryſtallorum generat, quas verum ſaccharum eſſe depuratio ſubſequa omnino demonſtrauit *). Rob BACCARVM IVNIPERI etiamſi absque ſaccharo paratum in ſacchari moleculas grumeſcit — MANNA ex Orni aliarumque Fraxinorum cortice trunci ſponte ſub coelo calido praecipue in Calabria et Sicilia exſudat, vberius vero inciſionibus elicitur. Suppetunt et multae aliae arbores, quae ſimilem ſuccum vel ex cortice vel foliis transmittunt, de quibus alio loco fuſius expoſui **). — Dulcedo praeterea ineſt notabilis radicibus APII DVLCIS ſ. Celleri, LIQVIRITIAE, DVLCAMARAE, POLYPODII, TRITICI REPENTIS, RAPIS item PVLPAE CASSIAE, BRASSICAE, GVMMI ARABICO, CERASORVM rel. — Flores pariter exſtant, in quibus tanta copia liquidi nectarei ſecernitur, vt guttatim deſtillet, exemplo FRITILLARIAE CORONAE IMPERIALIS, MELIANTHORVM. In PROTEA MELLIFERA florum capita ſaepe ad dimidium, tempore quo vigent, ſucco melleo replentur, qui ab inſectis filtratione depuratus et leui igne inſpiſſatus ſyrupum eximium praebet. Eadem copia

*) PARMENTIER *Traité de la Chataigne, p. 41.*

**) *Appar. medic. Vol. 3. p. 542. ſq.*

copia et bonitate eundem erogat PROTEA SPECIOSA *v*). Glandulas iſtas tres, quae in labio inferiori calycis ERYTHRINAE CORALLODENDRI occurrunt, vidi ſecernere viſcum dulcem, qui primum guttarum inſtar limpidarum adhaeret, dein ſenſim opacus euadit et in ſaccharum concreſcit. Liquor nominatim ex floribus AGAVES AMERICANAE collectus verum ſaccharum continere obſeruatum *x*). Imo in nectariis florum BALSAMINAE IMPATIENTIS tam ſimplicium quam compoſitorum in durum perlucidum ſaccharum, granulum referens, iſte indureſcit *y*).

Non vero exiſtimandum, ex omnibus dulcibus vna eademque encheireſi, ſaccharum verum parari poſſe. Pro natura enim et proportione admiſtarum partium proceſſus variet, neceſſe eſt. Non ſucceſſit res, vt dixi, in Daucis, nec duplici ſpecie radicis Graminis *z*). Memorabile etiam eſt, Glycyrrhizae radicem difficile fermentationem ſubire *a*), ad quam alias dulcia prona ſunt.

v) THVNBERGII *Diſſ. de Protea, p. 61. ſq.*

x) MARCGRAF in *Mem. de l'acad. d. ſc. de Berlin, Tom. cit. p. 89.*

y) ODHELIVS in *K. Vet. Ac. Handl. 1774. p. 359.*

z) MARCGRAF *l. c.*

a) V. MVRR. *Appar. med. T. 2. p. 375.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Dulcium virtutes medicae.

§. 12.

Inde iam *difparitas* elucet *dulcium*, nifi alia criteria, fapor, confiftentia, chemica analyfis, eam fignificarent. Dulcedini fubinde mucilago, vel oleum craffius, gummi, refina, item multum aquae vel terrae admiftum eft. Vnde aliquando effectus redundant, quorum ratio non a folo principio faccharino petenda. Non omnino igitur idem eft, vtrum faccharo lactis, melle, caricis, an faccharo ex arundine faccharifera, vtaris. Quoniam tamen fapor dulcis in hifce per omnem reliquam mifcelam dominatur, et acidum facchari oleumque, quae in dulcibus primaria funt, exceptis forfitan corporibus quibusdam mineralibus, vbiuis adfunt: non poffunt non horum omnium vires quaedam communes effe, quas iam perpendere meum eft. Plerasque ideo vires generales affequutus eft PAVLLVS AEGINETA *b*), dum dulce, ait, laxat, foluit, digerit, mollit, ac denique rarefacit. Quid peculiare hoc vel illud dulce habeat, ex natura admixtae partis, fiue fit mucilaginofa, fiue oleofa craffior, aquofa &c. eiusdemque proportione, facile conftabit.

§. 13.

b) *De arte medendi, Lib. 7. cap. 1.*

§. 13.

Iam vero *Saccharum commune* praefertim tanquam exemplum in medium producam, ad quod reliquorum dulcium vires exigantur. Id quod tantò iuftius eligere me poffe arbitror, quum vulgare conftituat ciborum et potulentorum condimentum, et bafin quafi tot bellariorum, confectionum, rel., et tot medicamentis conferuationis, virtutis, item gratiae, caufa addatur.

§. 14.

In frequentiffimo autem ifto facchari vfu, qui poft detectam Americam inualuit, non defuerunt tamen viri docti et inclyti, qui tam argumentis fpeciofis, quam experientia *nociuam* eius *naturam* demonftrare annifi funt. Horum ex numero commemoro HELMONTIVM *c*), RAIVM *d*), DOLAEVM *e*), LEONARDVM DE CAPVA *f*), auctorem quendam anonymum *g*). Plurima *argumenta* eo redeunt, calcis, qua praeparetur faccharum, particulam illi adhaerere eaque illi vitium quoddam adfpergi, et faccharum ipfum in fua mifcela acidum acre comprehendere. Magis a fana ratione alienum eft, nocere fpirituofa materie, quae praeuia fermentatione euoluitur. Quod ad calcis additae ignominiam

c) *Ortus med. p. 463.*

d) *Hift. pl. T. 2. p. 1279.*

e) *Encyclop. med. theor. pract. p. 271.*

f) *Ragionamenti fopra incertezza delle medicina, p. 500.*

g) In *Raccolta d'Opufcoli fcientifici et filologici, T. 6. p. 441. fqq.*

niam attinet, non licet a nociuis vaporibus iſtis, quos parietes recens conſtructi vel dealbati ſpargunt, vel ab iniuria calcis viuae ſine vllo velamento ingeſtae, concludere ad ſimile detrimentum calcis exſtinctae vel debite obuelatae et dilutae. Serior calcis contra calculum vrinarium et aquae calcis contra idem et alia mala frequentiſſimus vſus ſatis ſuperque docet, timorem, olim de calce in corpus noſtrum, quomodocunque intrante, conceptum, fuiſſe vanum. Tanto minus autem a terra calcarea aliquid mali metuendum eſt, quum illa in ſacchari praeparatione, poſtquam acidum iuſto abundantius abripuerit, fere omnino cum hoc fundum petat vel ſpumae inhaereat, conſequenter etiamſi calx non omni noxa careret, in tam exigua copia, qua terra calcarea ſaccharo ineſt, vim valetudini inferre nequeat. Nam licet ſint, qui negant vlla omnino eius veſtigia in ſaccharo rite praeparato ſupereſſe, ingenioſiſſimis tamen cl^mi HJELM *) nuperrime inſtitutis experimentis de errore conuincimur, ſiquidem, vt alia eius documenta omittam, vitrioli acido addito verum gypſum enaſcitur. Difficile autem dictu eſt, an calcis huius veſtigia ab ipſa arundine repetenda ſint, an a praeparatione, qua conſtat calcem vel ſub primam ſucci coctionem et antequam in ſaccharum crudum ſ. rubrum concreſcat, admiſceri. Quodſi autem fruſta adeo calcarea in ſaccharo offendantur, haec modo caſu fortuito acceſſerunt, vel arte male docta. Id et verum eſt, quo rudius ſaccharum eſt,

*) *K. Vet Acad. Handl. 1783. p. 227. ſqq.*

eſt, tanto plus terrae illud recondere, et in hac calcaream maxima proportione ineſſe. Acidum vero ſacchari, quod accuſant tanquam vehemens acre et erodens, non niſi quando purum et ſuis compedibus ſolutum habetur, huius indolis eſt. Quam difficile vero ſit illud a reliqua miſcela ſegregare, ſupra ſatis indicatum eſt. Vnde apparet illi euoluendo non ſufficere primarum viarum vires. Aſſerere autem velle, quod vſu ſacchari ſanguis nimium commoueatur et incaleſcat, ideoque officiat in febribus, quod generentur inflammationes ventriculi &c., ideo quod fermentatione ſpiritum eroget, vt ſuſtinuit auctor anonymus *h*), ridiculum fere eſt, vtpote quum neque ad eum gradum intra corpus noſtrum fieri poſſit fermentatio, nec ea vaſa illi competant, quae pro ſpiritu vini deſtillando requiruntur.

Nec magis pro ſacchari effectu, ob eius acidum noxio, militant *experimenta* quaedam cum animalibus inſtituta. Reſpicitur hic ad illa cl. REDI *i*), quibus conſtitit, Lumbricos, Scolopendras marinas, Sanguiſugas, ſaccharo vel conſperſas vel in aquam ſaccharatam immerſas, intra breue temporis ſpatium necari. Imo maiora animalia, Ranae aliquot per ſaccharum inſperſum, et Columba et duae Anates per intruſum eius fruſtum ab anonymo dicto occiſa feruntur *k*). Sed quam diuerſa vermium

h) *Racolta d'Opuſcoli ſcientifici l. c. p. 459.*

i) *De animalc. viv. in corpor. animal. viv. p. 166. ſqq.*

k) *Racolta l. c. p. 467.*

mium primo loco dictorum natura a noſtra; et quod ad reliqua ſignificata animalia ſpectat: experimenta tam parca cum hiſce capta ſunt, vt hactenus ſacchari laudi nec detrahant aliquid nec addant.

§. 15.

Nolo tamen haecce ita intelligi, ac ſi nullum omnino *abuſui* ſacchari locum admitterem. Prout enim omne nimium, vel ſalutaris quaeuis res intempeſtiue capta, in vitium vertitur: ita et ſacchari et dulcium quorumuis largior iuſto copia, vel ſub mala corporis diatheſi vſus, officit. Nimia quantitate ingeſta, fermentatione in primis viis orta, quae efficax flatuum mater eſt, et acore ſuo omnino moleſtias afferunt. Hic etiamſi non in acido puro ſacchari, ſed inuoluto ad partem reliquis partibus conſtitutiuis, conſiſtat, ſenſu tamen ingrato, ructibus acidis, dentium adeo ſtuporem inducentibus, eneruando bilis in chylo praeparando vim et ſanguinem ipſum per acorem deprauando, grauat. Caueant igitur a ſaccharinis infantes, virgines chloroticae, foeminae hyſtericae et quicunque rachitide vel malo hypochondriaco laborent, in quibus ipſis malis acidum iam antea dominatur, et ſaccharinis nouum pabulum adſciſcit. Nec negauerim, nigrorem iſtum dentium, quem, qui ſaccharum nimis in deliciis habent, experiuntur, acido huic ad partem imputandum eſſe, quod tanto magis deprauare dentes poteſt, ſi ſubſtantia eorum vitrea, comminuendo inter dentes durum ſaccharum, vel calidis ingeſtis, rimas agit vel confringitur. Solvendi

vendi ſua efficacia, qua tot in morbis prodeſt, nocet quoque auidius captum. In gelatinoſam partem ſanguinis hanc ipſam ſeſe praecipue exſerere videtur, ſaltim ſi experimentis cum carne varia, cui ſaccharum inſperſum, fidendum, ſub quibus ſcilicet diffluxit ſerum in notabilem ponderis carnis reſiduae iacturam, adeo vt ſicca inde et dura euaderet *l*). Eousque haec reſolutio humorum ex abuſu ſacchari aliquando proceſſit, vt ipſa nutritio turbaretur et emaciatio corporis ſuccederet. Poterit tamen tabis huius culpa ad partem in ſacchari relaxandi inſigni vi quaeri, quae nimietate et tonum ventriculi et pulmonum et reliqui corporis vitioſe labefactat. Hinc et apparet, debilitatem iſtam, quam potus calidi vſitati Theae et Coffeae pariunt, haud parum a relaxante vi ſacchari dependere.

§. 16.

Nocendi vero poteſtatem ſacchari, etiamſi largius conſumti, a corporum praeprimis habitu et natura deriuandam, exempla docent hominum quorundam, qui, licet *indulgentes liberiori vſui ſacchari*, ad grandaeuam tamen eamque vegetam ſenectutem peruenerunt. COSTERVS *m*) iurisconſultus Batauus bene olim meritus, tantum ſacchari absque vllo incommodo conſumſit, vt quinque vel ſex aliis hominibus ſufficeret, nihilominus tamen vltra nonageſi-

l) *Raccolta l. c. p. 471. ſqq.*

m) VAN SWIETEN *Comment. Tom. 5. p. 586.*

nonagesimum annum vixit, senio demum confectus. DVX BEAUFORTII libram fere sacchari quouis die per quadraginta circiter annos ingessit, mortuus denique septuagenarius, sine vlla vel viscerum vel dentium labe *n)*. FRIDERICVS HOFFMANNVS, lumen istud Germaniae medicorum sui temporis, prout multis scriptorum suorum locis, quantum faueret saccharo, declarauit, ita per vitam suam longaevam fertur saccharum mirifice in deliciis habuisse, ita vt omnes fere cibos saccharo conspergeret omniaque vina caeterosque potus eodem edulcaret. Addendi sunt hisce ex TRILLERI *o*), qui huius rei meminit, auctoritate BERGERVS, Professor medicinae Wittebergensis, et LEYSERVS iurisconsultus. Notum quoque satis heic loci est, quantum etiam post fata venerabilis senex, GEORGIVS GOTTLOB RICHTER, primum istud ordinis medici in hac academia decus, dulcibus indulserit, sub quorum vsu tamen copioso aetatem 79 annorum attigit, molesta quidem stranguria per plures annos sed ex alia causa detentus.

§. 17.

Experimentis extra corpus humanum institutis constat, saccharum oleosa cum aquosis coadunare. Idem beneficium praestat cibis pinguioribus ingestis; hinc optimo consilio placentis pinguioribus iusto insper-

n) SLARE'S *Vindication of Sugar.*

o) *Thesaur. medicam. Tom. I. p. 204.*

inſpergitur liberalius, ſine quo additamento ventriculum longe magis labefactarent malaque varia gignerent. Nutriendi facultas, quae ſaccharo á quibusdam tribuitur *p*), dubito an ad illud depuratum, quo vtimur, transferri poſſit. In India quidem mancipiis reliquias, quae a ſecunda ſacchari ſucci ebullitione remanſere, in victum cedere noui, et porcos quoque a craſſioribus ſacchari foecibus pingueſcere, ſed hiſce reiectaneis multum adhuc nutritiae materiae inſidet, quod vlteriori depuratione conſumitur. Prout vero in menſis quorundam condimentorum acrimoniam mitigat, quod conſtat e. g. in Armoracia vel Sinapi fieri: ita et acres humorum ſtimulos inuoluit, et vel *diaetetico vſu* morbis variis hoc vitio enaſcentibus, obuiam it. Si hiſce additur, quantum lenocinium palato afferat, cibis potulentisque adiectum, vel arte piſtorum dulciariorum ſubactum et mixtum, quantumque valeat ad integritatem tot fructuum, ſuccorum rel. ſeruandam: quilibet fatebitur, etiamſi nullius in morbis virtutis ratione habita, ſaccharum pretioſiſſimis naturae donis eſſe annumerandum.

§. 18.

Sed iam et agite, quid in multiplici *morborum* genere praeſtet, conſideremus. Multos egregios dulcium effectus vel vnice *ſaponaceae* eorum ſiue reſoluendi inſigni *efficaciae* debemus. Hac ipſa ſaccharum, ſi lacti admiſcetur, eius coagulum impedit.

p) FR. HOFFMANN *Diſſ. ſacchari hiſtoria, p. 20. 21.*

pedit. Paullo ante eius in ſero diſſoluendo vim deſcripſi (§. 15.). In *acutis* igitur et nominatim *inflammatoriis* febribus tenacem vel ſtagnantem in minimis vaſis ſanguinem attenuat et liquat; quo fine ſaccharum in ſubſtantia, vel robis, ſyrupi, trochiſcorum, variaque alia forma, pulueribus, mixturis, ptiſanis, admiſcemus. Frequentior ſolet mellis in febribus dictis vſus eſſe, niſi vel ſapor eius diſpliceat, vel illud, vt in quibusdam fit, flatibus ſiue colico dolore moleſtum ſit. Dulcia autem tanto magis febribus ob acorem, quem ſecum vehunt, accommodata ſunt, quo ipſo temperant.

Eadem vi dulcia pituitam, in *tuſſi* et *aſthmate* vias aëreas grauantem, attenuant et ad ſcreatus diſponunt.

Oleoſas partes ſoluendo haud parum ad obeſitatem minuendam ſaccharum prodeſt *q*). Hac vi nominatim maciem ciere, ſibi perſuaſit ſummus BOERHAAVIVS *r*).

§. 19.

Sed et concrementa duriora a dulcibus ſubigi ſeſe patiuntur. Ad cauſas diminuendas et remouendas, ex quibus *calculus* et *podagra* proueniunt, ſaccharum nominatim LOBBIVS *s*) commendauit. Calcu-

q) LOBB *de diſſolv. calc. p. 273.*
r) *Chem. T. 2. Proc. 38.*
s) *Loc. cit.*

Calculus aquae mellitae immiſſus bullas eiaculatur, molleſcit et ponderis iacturam patitur *t*), vt iam inde concludi poſſit, non ſpernendam eſſe in calculo ſoluendo medicinam. Aſt et haud ita pridem innotuit ill. PRINGLE *u*) felix in ipſis hominibus, calculo vel ſabulo afflictis, cum melle experientia, cuius quidem libram vnam cum quadrante quauis hebdomade ſumi ſub longa continuatione iuſſit. An aceſcente ſua natura, an fermenteſcibili, quae aërem fixum euoluit, ſaccharum vel mel calculum ſubigit? Poſterius ſuadet ſucceſſus experimentorum PRIESTLEYI, PERCIVALII, HVLMII, aliorum, cum aqua aëre fixo impraegnata, eidem malo oppoſita.

§. 20.

In dictis pectoris morbis (§. 18.) non tamen negandum, *relaxando* ſimul dulcia prodeſſe, quae vis tanta eſt, vt ſub exceſſu valetudini iniuria inferatur. Hinc eorum abuſus iam dudum inter cauſas phthiſeos collocatus. Hinc et male proſpiciunt aegris, qui tuſſi conuulſiua vel alia pertinaci dulcibus praecipue indulgent, quae protractiori vſu eadem debilitandi noxa, qua oleoſa, mucilaginoſa, infeſta ſunt.

§. 21.

Abſtergendi ſacchari potentia in *vlceribus internis* ſeſe declarat eximia, nominatim in pulmonum vl-

 ceribus

t) LOBB *l. c. p. 41. ſq.*

u) PERCIVAL'S *philoſ. med. et experim. Eſſays. p. 232.*

ceribus. Placuit in primis connubium eiusdem cum Rosis in conserua, iam antiquitus ab AVICENA et MESVE vsurpatum, et serius commendatione FORESTI, RIVERII, CRÜGERI nobilitatum, et nouissime BVCHANI *x*), cui accedit propria mea *) experientia. Vel sola capitur ad aliquot vncias quotidie, vel et vtiliter decoctis siue infusis pectoralibus loco sacchari albi additur, vel vna cum ptisana hordeacea ingeritur. Lacti quoque admiscetur eximio successu, si aluum laxat. Si rationibus insistimus, vix potest remedium aliud vllum phthisi vlcerosae esse accommodatius hoc ipso, quippe quod non solum egregie abstergit, sed, vt mox amplius tradetur, ad vulnerum consolidationem facit. Febrem praeterea temperat, nisum humorum ad putredinem ex absorpto pure refraenat, si labes vero pulmones speciatim occupat, screatum leuando iuuat. Ne vero nimium relaxet, praecauet Rosarum additamentum, quod insuper debilitati pulmonum subuenit. Gloriemur argumentis tam egregie experientiam respondere. CRÜGERVS supra nominatus ipse se, ex mesenterii apostemate hecticum, conseruae huius ope in viuis seruauit *y*).

§. 22.

x) *Domestic Medicine, p. 198.*

*) Vid. *Appar. medic. Vol. 3. p. 167.*

y) V. *Act. nat. curios. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 9.*

§. 22.

Verbo vnice nouiſſime libandum dedi, ſaccharum eſſe *antiſepticum*: ſed praeſtantiſſimae huic et reliquorum dulcium virtuti fas eſt diutius immorari.

Fauent huic bene multa experimenta extra corpus humanum capta *z*). Memorat iam IO. IOACH. BECHERVS horum aliquot, nempe integras refrendes (vt eius voce vtar) ſaccharo ſub coctione eius intinctas et quaſi in momento extractas, ita penetrari ſaccharo, vt nunquam amplius putreſcerent, et carnem ceruinam ſaccharo ita condiri, vt ſumma aeſtate putredini reſiſtat. — Ita caro vitulina et alia vice cor veruecinum, puluere ſacchari conſperſum, cum inſigni ponderis decremento immune a putredine manſit et exſiccatum *a*). — Eadem immunitas contigit vitello oui, ſolutioni ſacchari immiſſo, in qua miſcela fermentationis plura ſigna ſeſe manifeſtarunt *b*). Sanguis recens, in eandem ſolutionem translatus, ne exacto quidem ſeptimo die notas putredinis exhibuit *c*). — Quod vero ill. PRINGLE *d*) obſeruat, exiguam quantitatem ſacchari carni bubulae admixtam non ſufficere ar-

z) *Phyſ. ſubterr. Lib. 1. Sect. 4. cap. 1. p. 143.*

a) ANON. in *Racolta d'Opuſcoli ſcient. T. 6. p. 471. ſqq.*

b) MESNY in cl. TARGIONI *Racolta di Opuſcoli medico-pratici, Vol. 3. p. 32.*

c) *Loc. cit. p. 36.*

d) *Diſeaſes of the army, App. p. XL.*

cendae putredini, fermentatione autem orta illam iterum vinci, confirmat auctor anonymus libri gallici eximii de putredine *e*). Ratio hifce redditur, cur Babylonii, tefte HERODOTO, cadauera fua humana melle fepeliuerint.

Indos, quibus copia facchari fuppetit, nunquam fcorbuto laborare, fcite iam notauit BECHERVS *f*). Similem caufam agnofcit PRINGLE, quod lepra e. g. ifta Arabum, fcorbutus putridus, dyfenteria, febres putridae hodie rarius incidant, quam olim, vbi cibis carneis, praecipue falitis, vefcebantur. Hinc et fuadet fagaciffimus MACBRIDE *g*), vt pro itineribus maritimis ad fcorbutum arcendum nautis quotidie tantillum facchari exhibeatur. Qui perpendit, quantum valeant vegetabilia recentia, decoctum malti, braffica fponte acefcens, ad arcendum et fuperandum fcorbutum, et qui recentiffimas curationes eximias in morbis putridis ope aëris fixi factas, et a cll. WARREN, DOBSON, HEY, PERCIVAL, ROTHERAM, PRIESTLEY, aliis, memoriae proditas apud animum reputat, fubtiliffimo ifti liquido acidulo, quod fub fermentatione facchari euoluitur, vim eius antiputredinofam magna ex parte adfcribet.

§. 23.

e) *Effay pour fervir à l'hiftoire de la Putrefaction*, p. 98.

f) *L. c. App.* item p. 334.

g) *Experimental Effays*, p. 181.

§. 23.

Vulgo creditur, ex vſu ſacchari diatheſin generandis et fouendis *vermibus* aptam apud infantes fieri, vnde a parentibus admoneri ſolent, vt ab eo abſtineant. Sed alia docet experientia. Iterum duplicem iſtum tutiſſimum omnis veritatis in ſcientia medica fontem cito, experientiam extra corpus humanum factam, dein alteram in homine ipſo. Prioris cenſus ſunt experimenta *h*) cum Lumbricis capta, qui ipſi ſaccharo in puluerem redacto conſperſi paucis momentis periere, aquae autem ſaccharatae immerſi intra vnam vel duas horas viuere deſierunt, item in melle Hiſpanico aqua diluto intra tertiam horae partem interierunt: quum contra ea in decocto Abſynthii 20, 24 ad 30 horas, in ſolutione autem Aloës 24 horas vitam protraherent. Egregie reſpondet huic experimento obſeruatio *i*) de puero, qui confectione ſaccharata abundanter ingeſta copiam vermium per aluum deiecit. Saccharum roſatum eandem efficacitatem in multis, qui Lumbricis laborarunt, praeſtitit *k*). Commoda igitur maxime eſt miſcela mellis vel ſacchari cum reliquis vermium hoſtili cohorti vel necandae vel expellendae dicatis remediis, tanto magis apud infantes probanda, quum dulcia in deliciis habeant.

h) REDI in *Obſſ. circa animalia viuentia in animal. viv. p.* 156. 159. 165. 166.

i) ANDRY *generation des vers, p.* 164.

k) ZAPATA in *ſecret. med. chir. a* SPLEISSIO *edit. p.* 155. Non crederem, miſcelam ex argento viuo, ſaccharo roſato etc. quam paullo poſt auctor tantopere contra vermes commendat, in vniuerſum fuiſſe intellectam.

§. 24.

Trutinandae iam ſunt vires, quas in *vitiis* variis *externis* ſaccharo debemus et quae reſpiciunt vel ad eius abſtergendi, et conſolidandi, vel ad diſcutiendi, item leuiter ſtimulandi, potentiam.

In *fiſſuris papillarum mammarum*, moleſto iſto lactantium vitio, res vulgaris eſt, ſaccharum candi inſpergere. Eidem fini inſeruit, ſaccharum ad flammam candelae fuſum, et in cella ad deliquium redactum, applicare *l*). — In *aphthis* dulcia quaevis penicillo affricta, vel linctus ſiue collutionis inſtar adhibita, eximie conducunt, ad easdem ſeparandas, mundandas, conſolidandas. — Vtile abſtergens eſt, in *aurium foetido profluuio* mucoſo ſubpurulento aquam ſaccharatam ſyringa iniicere. Fiſtuloſis quoque vlceribus ſaccharum thomaeum (rubeum vocat SPIGELIVS) ſubuenit *m*). — Hic iterum virium cognatio egregia inter ſaccharum et mel animaduertitur; quod proxime dictum digerendi et abſtergendi *vlcera* ſcopo multis modis in cataplaſmate, vnguentis, et contra aphthas et fiſtuſtulas praecipue in melle Roſarum, applicatur.

§. 25.

Haud ſpernenda ſacchari candi laus in delendis cicatriculis vel *maculis corneae*; quo fine per calamum ſcriptorium paruis portiunculis oculo inflatur. Eo maculam in ſiniſtro oculo poſt variolas ſuper-

l) LANGE *miſcell. verit. med.* p. 24.

m) CVMANVS in WELSCH. *Obſſ. med.* p. 185.

ſuperſtitem ſublatam teſtatur vir fide dignus, FR. HOFFMANNVS *n*). Non arbitror, commode ſaccharum referri inter ea remedia poſſe, quae mechanica vnice vi, hoc eſt per aſpredinem partium, prout Cryſtalli montanae ſiue oſſis Sepiae puluis, maculam abſumerent, quae vis irritando ſana oculi vicina ſaepe nocet, et plerumque, obſtaculum lucis non tollit, quum opacitati corneae ſubiectae diſcutiendae non par ſit. Stimulus a duris et aſperis ſacchari candi particulis non nimius eſſe poteſt, quum a confluente lympha oculorum paullo poſt illud deliqueſcat. Aliquem tamen aſſumo eumque ſalutarem, cui ſoluens ſacchari efficacia ad opacitatem corneae diſſipandam egregie obſecundat. Eatenus non improbo eorum morem, qui pulue-rem quendam terreum cum ſaccharo in hunc finem commiſcent. — Diſcutiendi hacce efficacia coryzae infantum ſacchari puluis naribus inflatus medetur. — Aufert et aliquando carnem vlcerum fungoſam illi inſperſus.

Saccharum rarius *ſollicitandi aluum* ſcopo clyſmatibus, quam mel, additur, quod ſi vero fit, thomaeam ad vnam vel alteram vnciam eligitur. Non carere ſtimulo in hunc finem, globuli ſaccharini pro ſuppoſitorio demonſtrant.

Carbonibus autem candentibus *inſperſum* ſaccharum aërem depurat, et in coryza diſcutienda vaporibus receptum ſubinde ſufficit.

§. 26.

n) *Diſſ. ſacchari hiſtoria, p. 39.*

§. 26.

Amplae igitur dignitatis saccharum esse in morbis tam praecauendis quam curandis, quis negabit! Ast et ideo medico haud parum adiumenti affert, quod multa medicamina, quorum sapor displicet, *gratiora* reddat, alia *subigat*, vt miscelam cum humoribus nostris tanto certius ineant, nec in intestinis alicubi stagnando incommoda pariant, aliis, quae valde exigua dosi magnam vim exserunt, commodum *excipiens* praebeant; quae diuersa commoda adhuc superest, vt exemplis demonstrem.

Iucunde curare, si id quidem fieri possit, ad medici officia omnino refero: sed caueat, ne palato dulcibus seruiendo medicinam sua efficacia defraudet, vel fibrarum iustum robur relaxante eorum vi pessundet, id quod facchari vel syruporum iusto liberiori additamento facile fit. Caueat, ne iure ignominiam contrahat, Galenicis medicis a Chemicis olim illatam, qui posteriores priori loco dictos Syrupiastros vocarunt.

Jalappae puluis tritura sollerti cum saccharo opus habet, vt resinosae partes iuste subigantur, quod nisi fiat, molesta saepe tormina subsequuntur. Item Camphora, quae sola in puluerem redigi nequit, tritura adiuuante saccharo obsequitur. Vlterius mellis vis soluendi corpora quaedam, non facile alias subigenda, experimentis explorata est. Constitit tamen hoc, in soluendis resinosis, haud parum

parum mucilaginosis cedere *o*). Mercurii vero viui connubium cum melle crudo successit, licet paullo aegrius, dum et syrupi facchari et mellis despumati vnionem inire detrectaret *p*).

Indigemus quoque saepe in medicamentis heroicis additamento quodam, ea vnice de causa, vt in exiguam valde dosin redigi possint, pro qua definienda nec vulgaria pondera nec vulgaris partitionis modus sufficit. In siccis ideo vel absorbens quoddam vel saccharum eligimus. Ita ad $\frac{1}{8}$ vel $\frac{1}{16}$ vel minorem quantitatem granum vnicum opii, tartari emetici rel. partiri valemus, sic vt vna dosis alteri omnino pondere aequalis sit. Quodsi vero et paullo maior quantitas, grani integri, duorum, trium, rel. pro dosi subministranda: ea tamen de causa eiusmodi additamento opus est, vt ne ob exiguum pondus iactura fiat medicamenti, cuius efficaciam desideramus: exemplo florum Zinci, Vitrioli martis, Ipecacuanhae parua dosi exhibendae.

§. 27.

Quod reliquum est, nemo spero, a me exspectabit, vt numerosissimam *praeparatorum* ex saccharo cohortem et *composita* quaeuis, quae saccharum vel gratiae vel virtutis vel conseruationis causa

o) V. cel. BVCHHOLZ experimenta in *Nov. Act. nat. cur. T.* 5. *p.* 46. *sqq.* narrata.

p) PLENCK's *Art das Queckfilber in d. Lustseuche zu geben, p.* 31. *sq.*

causa ingrediatur, Conseruas scilicet, Rotulas, Trochiscos, Bacillos, Confectiones, Condita, Morsulos, Species, Rob, Syrupos, &c. designem, quippe quum hac in re Dispensatoria pharmaceutica cuiusuis desiderio facile respondeant. Vtilius longe negotium obirem, si quaedam horum specialius necessariis *stricturis* persequerer. Sed hasce addere tam angustia temporis, qua praestringor, vetat, quam nimia prolixitas, in quam inciderem, si huic rei pro dignitate satisfacere conarer.

XV.

XV.

SPINAE BIFIDAE

EX MALA OSSIVM CONFORMATIONE

INITIA.

SPINAE BIFIDAE

EX MALA OSSIVM CONFORMATIONE

INITIA. *)

§. 1.

Spina bifida licet, computo ad aliorum morborum numerum exacto, rarum omnino numinis benignitate malum ſit: haud exigua tamen hiſtoriarum ſingularium hinc inde diſperſarum copia exſtat, quae vel curatius vel oſcitantius eiusdem naturam perſequuntur. Dubio quoque vacat, crebrius longe illam obuiam veniſſe et multo praecocius, quam ſcite et pro dignitate conſideratam ab hiſce, quibus ad id occaſio patuit, quum vel viuo adhuc infante pro alius generis tumore illam habuerint, vel ſubita mors indaginis vlterioris deſiderium vna cum vita infantis ſufflaminauerit. Multa tamen diſſuadent, ad hoc vitium locum ſpecioſum HIPPOCRATIS *a*), vti quidam volunt, transferre, modo ſua ſerie legatur, in quo haec verba: "Alius morbus oritur ex defluxione capitis per „venas in ſpinalem medullam. Inde autem in „ſacrum

*) Progr. conſcriptum a. 1779.

a) *De glandulis in Opp. omn. Vol. 1. p. 420. Ed.* LIND.

„ſacrum os impetum facit, quo medulla ipſa fluxio-
„nem perducit, et in coxendicum acetabula ſiue
„iuncturas deponit." Qui vero TVLPIO honorem primae huius vitii obſeruationis et deſcriptionis tribuunt, meminerint, iuſtius ad FORESTVM *b*) pertinere, qui illud quidem, circa nucham occurrens, paullo obſcurius deſcripſit, vt ambiguum, vtrum cum cranio potius an cum ceruice communionem haberet, et poſt eum ad ſummum ſui temporis botanicum CASPARVM BAVHINVM *c*), qui illud ſupra vertebras lumborum vidit. TVLPIO *d*) nihilominus tamen pluries illud obuenit, vt vel inde vitae periculum ex eiusdem inciſione cognoſceret, et primus, cultro anatomico ad interiorem oſſium labem perquirendam vſus, icone illud adumbrauit, a quo et illud ſpinae bifidae nomen obtinuit, quod in hydrorachitidem nuperius SAUVAGESIVS *e*) mutauit. Rariſſimo exemplo ſimile quoddam malum in adultis emerſiſſe viſum eſt, vt in virgine hectica viginti annorum inter ſcapulas, et in foemina quinquaginta annorum in fine oſſis ſacri ex pondere maiori nixu eleuato *f*). Quoniam vero vertebras ipſas ſcrutari neglectum, quod quidem absque cultri adiumento vix fieri poteſt, dubium haud exiguum ſupereſt,

b) *Obſerv. chir. L. 3. Obſ. 7.*

c) Vid. caſus in SCHENCKII *Obſerv. medic. L. 5. p. 662.*

d) *Obſ. med. L. 3. c. 29. 30. c. Tab. p. 231.*

e) *Noſol. T. 2. p. 497. Ed. 4.*

f) HÖCHSTETTERI *Diſſ. de ſpina bifida in coll.* HALL. *Diſſ. pract. T. 7. P. 1. p. 491.*

supereſt, an verus hiſce, quibus ſacculus adhaeſit hydropicus, ſpinae hiatus contigerit. Rectius ad infantilis aetatis morbos reſtringitur, et eos quidem, quorum prima initia intra matris vterum concepta fuerunt, quamuis partu abſoluto, modo ſuperſtes vita ſit, incrementa plerumque noua patiatur miſeriarumque multiplex augmentum.

§. 2.

Scilicet cognoſcitur malum tumore ſpinae vertebrarum alicubi adhaereſcente, molli, renitente, initio profundius rubro vel liuido, dein cuti concolore, ſaepe pellucido, ſubrotundo, ex paruis principiis ad magnitudinem iuglandis, oui, vel pugni, vel inſigniorem increſcente, baſi ſubinde anguſta, vt pedunculum referat, plerumque autem lata. Pingitur tumor aliquando venis turgidis in ſuperficie, quae ipſa in aliis excoriata cernitur vel exulcerata, imo aliquando gangraena correpta. Nulla quidem totius columnae vertebralis pars eſt, in qua non poſtice prouenerit. Valde raro tamen collum occupat et ſupremum dorſum, frequentius dorſi inferiorem plagam, vtplurimum lumborum vertebras et ſacrum os, omnium autem rariſſime in infimo ſacro emergit. Ob hoc ſedis mali discrimen non incongruum eſt, ſpinam bifidam in ceruicalem, dorſalem, lumbarem et ſacralem diſtinguere. Quoniam vero ſubinde non vnum modo ſed plura vertebrarum genera ſimul vitiata ſunt, interdum opus eſt aliqua horum nominum connectere, e. c. nomen dorſali lumbaris, lumbari

ſacralis, rel. Non minor ſubeſt in interioribus tumoris diuerſitas. Inciſis enim integumentis communibus et ligamento vaginali, quod ſpecum vertebralem intus obueſtit, erumpit vel maiori vel minori quantitate aqua limpida, vel ſtagnatione viſcoſa, ichoroſa, rarius ſimul purulenta vel ſanguinea. Dura mater diſtenta pariter prominet, ſed a tubo mox dicto ſoluta; item pia meninx ſeiuncta a medulla ſpinali. Fatendum tamen plerosque auctores non ſatis diſtincte quantitatem aquae memoraſſe inter ſingulas haſce membranas collectae, eandemque multiplici modo variare poſſe. Medulla ſubiecta vel ſana eſt, aliquando anguſtata cum tenacitate *g*), plerumque tamen praeter naturam flaccida, imo et hydatidibus obſita, vel in liquamen verſa, vt defeciſſe viſa fuerit, niſi infra limitem medullae huius conſuetum, ſiue vertebram primam vel ſecundam lumborum, aqua collecta exſtiterit. Verum defectum medullae ſpinalis ſuperius ſubfuiſſe, dubito, niſi in monſtris, quibus ipſum cranium cerebro orbum fuit *h*). In quibusdam vel ipſa medulla vel nerui inde propullulantes ſua ſede dimoti et diſtorti intra tumorem offenduntur.

Et haec pauca quidem de mollium partium alienata natura praemittere opus fuit, vt, totius morbi

g) Ill. AB ACREL in *Vet. Ac. Handl. 1748. p. 290.*

h) Vt in obſeruationibus cll. LITTRE in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris 1701. p. 42.* et MORGAGNI *de ſed. et cauſ. morb. Lib. 3. Epiſt. 48. art. 50.*

morbi obtutu, iudicium, quod de ſpinae bifidae ortu feram, tanto aequiori lance librari queat.

§. 3.

Praeprimis autem in hac commentatione labi iſti immorandum eſt, quam ipſae vertebrae ſubeunt. Haecce hiatu conſiſtit, eo loco obuio, vbi in aetate prouectioribus apophyſes ſpinoſae obtinent. Hic hiatus cum iactura vel maiori vel minori vicinae ſubſtantiae oſſeae plerumque iungitur. Fuit puella tumore lumbari pugni magnitudinis foedata, qui ipſe tandem in gangraenam tranſiit, in quo tamen nonniſi apertura tam exigua vertebrae apparuit, vt vix ciceris granum admitteret *i*). Recentiori caſu ſimiliter vertebra tantum vnica eaque lumbaris infima hiauit *k*). Sed raro tam anguſto limite oſſis vitium terminatur. Legitur exemplum trium vertebrarum lumbarium, poſtice dehiſcentium *l*); aliud duarum dorſalium et totidem lumbarium *m*). In alio tres vltimae lumbares et omnes oſſis ſacri hiarunt *n*). Imo bifurcata exſtitit ſpina in omnibus vertebris dorſi, vsque ad ſextam vertebram colli *o*); alio caſu per colli vertebras tres et totum dorſi et

 lumbo-

i) RVYSCH *Obſ. 36.* in *Opp. omn. T. 1. p. 35. ſqq.*

k) PORTAL in *Mem. de l'acad. des ſcienc. de Paris 1770. p. 239.*

l) RVYSCH *l. c. Obſ. 34. Fig. 37.*

m) HEVERMANN in *verm. Bemerk. und Unterſuch. T. 1. p. 307.* RICHARD in *Journ. de Medec. 1768. p. 141.*

n) TREW in *Comm. Noric. 1741. p. 156.*

o) KERKRING *Spicil. anat. p. 57.*

lumborum tractum *p*); alio a ſexta vertebra dorſi vsque ad os coccygis *q*); iterum alio ab vltima vertebra dorſi ad oſſa innominata *r*); vel ab hoc initio vsque ad coccygem *s*). In ſceleto, quod coram habeo, infra amplius deſcribendo, hiatus iſte inde a tertia vertebra lumbari per totum os ſacrum animaduertitur.

Amplitudo vero huius hiatus varia: ſubinde latitudine corporum vertebrarum anguſtior eſt, aliquando eam ſuperat, et tota ſpecus hoc loco amplior apparet. Superſunt nonnunquam criſtae quaedam rotundatae ramorum iſtorum oſſeorum, qui ad apophyſes ſpinoſas formandas conferunt et tangi commode etiam viuo adhuc infante ſubinde poſſunt, non ita vero vtrinque conuergunt, ac ſi defectus vnice cartilaginis intermediae ſubeſſet, ſed vel ſitu obliquo vel perpendiculari proſtant, in aliis et hae ipſae deficiunt. Quin exſtitit, in quo tres procesſus ſpinoſi cum affinibus obliquis et transverſalibus vertebrarum trium inferiorum lumbarium omnino defuerunt, ſuperſtite ſolo corpore vertebrarum *t*). Memorabilis quoque caſus infantis eſt, in quo fiſſura ipſius corporis vertebrae tertiae lumbaris conſpecta, per quam vas quoddam lymphaticum

p) BIDLOO *Opp. anat. chir. Dec. 2. p. 193. Tab. 4.*

q) GILD in *Diſſ. de ſpina bifida* in HALL. *coll. pract. T. 7. P. 1. p. 517.*

r) TVLP. *Obſerv. p. 232.*

s) *Eph. N. cur. Dec. 2. Ann. 2. p. 364.*

t) HOCHSTETTER *l. c. p. 488.*

ticum transiit, liquidum tumori subministrans *u*). Ita et hiatum per ipsa corpora vertebrarum supponit exemplum, in quo pollex in ipsum cauum abdominis intrudi potuit, per quam fissuram vena haemorrhoidalis interna in tumorem transiit *x*). Tumoris vero ea etiamsi semper fere ratio sit, vt foras promineat: sunt tamen, in quibus vitiose distarunt vertebrae, vt digitus adeo immitti per interstitium posset, et tumor cum abdominis cauo communionem haberet *y*).

§. 4.

Ex tanta tam mollium quam durarum partium degeneratione non possunt non effectus multi molesti imo deleterii enasci, qui pro sede ipsa mali et destructione partium variant. In vniuersum infantes situm supinum ferre ob pressionem dolorosam non possunt, sed eiulatu, agitationibus imo conuulsionibus, eum permutare nutricem cogunt. Plerumque pedibus insistere nequeunt eo aetatis stadio, quo id alias permittitur, quod caue ne vbivis paralysi ex compressione medullae spinalis vel neruorum exinde ad artus inferiores tendentium per aquam tribuas, quum ex dictis manifestum sit, defectus saepe in vertebris notabiles incidere, quas ipsas fulcrum corpori necessarium subministrare inter omnes constat. Accedit, deformitatem in pedum

 ossibus

u) SALZMANNI *Diss. de tumoribus quibusdam serosis externis, p. 10.*

x) *Loc. cit. p. 11.*

y) *L. c. p. 26.*

ossibus aliquando subesse, et vitiose istos introrsum verti. Vera crurum resolutio vel atrophia combinari solet. Sunt qui pedum quidem officio satis libere vtuntur, sed neque lotium, neque deiectiones aluinas continere possunt. Finitur vero vita vi in dies magis redundantis et medullam spinalem comprimentis et resoluentis aquae, vel suppuratione exorta, quae subinde vertebras ipsas arrodit, vel gangraena. Alias mortis causas in affectibus quibusdam simul grauantibus quaeras, saepe satis manifestis, vt hydrocephalo, saepe autem visui sese subtrahentibus, quamdiu abdita corporis loca peruestigare vel non datur, vel a medico anatomiae ignaro non concupiscitur.

§. 5.

Rara igitur exempla superstitis sub hoc malo vltra hebdomades vel menses aliquot vitae. Tanto memoratu digniores sunt casus ab ill. Equite AB ACREL z) recensiti bini, quorum vnus ad puerum octauo anno mortuum, alter ad puellam anno decimo septimo adhuc viuum et libero artuum inferiorum exercitio gaudentem, spectat. Non minus notabilis narratio de puella quatuordecim annis maiori est, quae, licet hydrocephalo laboraret, mentis tamen sanae fuit, menstruum fluxum duodecimo aetatis anno experta, sed sexto anno pedum vsu cum eorundem tabe priuata, praegressis foedis inferiorum artuum vlceribus, tandem periit *a*).

Alius

z) *K. Vet. Acad. Handl.* 1748. p. 291. 292.

a) TREW in *nov. act. nat. cur.* T. 2. p. 394. sq.

Alius infans poſt quintum adhuc annum malo ſuperuixit *b*).

§. 6.

Quum vero iam ad indaginem cauſae, quae primam huic miſerando malo originem dedit, devoluor, expendendum primum breuiter pondus variarum ſententiarum, quas de hac re fouerunt.

Sunt, qui peruerſae matris imaginationi ſpinam bifidam tribuunt, dum iſta viſu obiecti horridi perterrita fuerit, vel ira vehementiori ſuccenſuerit, vel, vt caſum ſingularem afferam, ceruo lanionis arte ad ſpinam diuulſo obſtupuerit. Hancce vero cauſam ſi refutare vellem, in vniuerſum levitas argumentorum de vi imaginationis matris in foetum demonſtranda eſſet. Sufficit repetere, tantum non ſemper nonniſi poſt labem infantis iamiam obſeruatam inter multas de ea coniecturas matrem ſubſtitiſſe ad cauſam ſuo iudicio probabilem, multasque perperam de forma foetus metuiſſe, vtpote, quum in lucem ille ederetur, integerrima. Dabo commotiones animi fortiores vim inferre valetudini grauidae et foetum ſimul labefactare, quid vero poteſtatis commotio iſta in monſtroſa fabrica condenda habeat, non video. Haec vero praeciſe labes tanto minus imaginatione matris in foetum transferri poteſt, quum eiusdem ideam formare ſibi ob abditam naturam et raritatem mater non poſſit.

 Alii

b) TITSING in SWIET. *Comment. T. 4. p. 127.*

Alii accuſant iniuriam quandam externam, cui mater vtero gerens obnoxia fuit, ex lapſu in dorſum, cui plurimae matres inhiarunt, quin tum, quando ne vlla quidem cutis laeſio apparuit, percuſſione lumborum manu ipſius matris repulſam quandam aegre ferentis peracta, vel ictu improuiſo abdomini applicato, alliſione eiusdem ad corpus quoddam durum, item nixu intenſo ſub ponderis eleuatione, rel. Quicquid harum aliarumque iniuriarum ſit, naturae prouidentiam non ſatis mirari poſſumus, quae tenello foetus corpori eiusmodi munimenta praefixit, quae niſi vehementior accedat vis, vel abortum ciens vel ipſam infantis mortem intra vterum concitans, leuiores impetus eludant et obtundant. Etenim, praeter muſculoſa membranacea et adipoſa ſtrata, ſuapte natura mollia et continuo mucilaginoſo et pingui halitu oblita, quae vterum antrorſum et ad latera ambiunt, ipſe vterus nouum tutamen praebet, tum et amnii liquidum foetui circumfuſum, tanto vberius, quo exilior foetus ſit, et conſequenter obtundendis iniuriis tanto aptius. Poſtice et ipſa oſſea vertebralis columna et craſſior caro tanto firmius incidenti violentiae obſtaculum praetendunt. Fac vero haecce omnia clauſtra non frangendae iniuriae illatae ſufficere et ita ſpinam foetus eſſe collocatam, vt in hanc praecipue ſeſe exſerat; ratio non ſatis idonea concipi mente poteſt, cur ſpinae cartilagine media iunctae violenter potius diuellantur, quam apophyſium transuerſalium a corporibus vertebrarum dimotio fiat, quibus cartilago pariter in foetu in-

terſeri-

terſeritur. An muſculi et tendines lateralibus hiſce partibus affixi plus obſtaculi ponunt? Nec vnquam labes, quae violenter ſolidis inducitur, ſpeciem tanti ordinis prae ſe fert.

Regeri eadem iis poſſunt, qui violentiam quandam infanti partu difficiliori illatam pro cauſa ſtatuunt. Quae aſſertio, ſi quid fulcri habeat, primum demonſtrari oportet, non ante enixum iam malum exſtitiſſe. Augeri vi vrgentis lymphae ſub partum difficilem, lubenter dabo.

Magis ſpeciem veri argumentum habet, quod ſpina iſta bifida a ſitu foetus minus opportuno in vtero proueniat. Decantatae heic de thoracum et veſtimentorum grauidarum ſtricturis querelae redeunt, quibus praecipue ſpina vertebralis vltra ſolitum limitem incuruata per lentam muſculorum ſpinoſis et transuerſalibus apophyſibus affixorum contractionem diuellatur. Inter recentiores in hac cauſa defendenda HEVERMANNVS *e*) in primis multus eſt. Sed iterum non patet ratio, cur diuulſio oſſium poſtice, nec ad latera prope corpora vertebrarum, contingat; nec iactura ſubſtantiae oſſeae, quae ſaepe manifeſta eſt, vt ſupra ſignificaui, inde declarari poteſt.

§. 7.

Aſt quoniam tota natura mali conſiderandi duplici momento continetur, accumulatione ſcilicet lymphae

c) *L. c. p.* 308.

lymphae in loco affecto et vitio ipſorum oſſium: praecipue diſpiciendum, vtrum illa hoc ipſum produxerit, an obuerſa ratione hiatu oſſium iam enato hic modo affluenti a tergo lymphae et expanſioni membranarum, quae illam continent, locum conceſſerit. Fontem huius lymphae non vnum eſſe experientia docuit, nempe vel intra ipſum canalem vertebralem iſta exſudat, vel ex capite hydrocephalo vitiato defluit, vel rariſſimo exemplo per vas lymphaticum ipſum corpus vertebrae perforans illuc deriuatur *d)*.

Fauet hiſce, qui plurimum virium aquae morboſe collectae adſcribunt, connubium iſtud hydrocephali cum ſpina bifida haud infrequens, ſub quo preſſio capitis aliquando tumorem ad ſpinam auxit, et aperto illo decreuit mole caput, quin collapſum eſt. Imo PLATNERVS *e*) "haec tenerior, inquit, cartilago, (ſcil. ſpinae vertebralis in foetu media) in pueris et vt videtur etiam in nondum maturis ac in vtero haerentibus partubus ab increſcente humore ita premitur, vt illa teneriora ac cerea oſſicula inter ſe diducantur, cutis vero ab humore, qui ſubeſt, attollatur." Nec diſcrepare MORGAGNI *f*) ab ea ſententia videtur, quae deſcenſum aquae ex hydrocephalo primam mali cauſam aſſignat. Perpetuum vero non eſſe illum deſcenſum, ſed in quibusdam e contrario aſcendiſſe lympham ad caput et

d) Vid. hiſtoria §. *3. p. 198.* ad finem cit.

e) *Chirurg. p. 471.*

f) *De ſed. et cauſ. morb. Lib. 1. Epiſt. 12. Art. 9.*

et in amplam molem illud commutasse legitur *g*). Sed etiamsi, praesente vtroque malo simul, de alterutrius origine lux aliqua peti omnino possit: non satis tuto asseritur ideo, quoniam duo mala simul incidunt, vnum esse caussam alterius. Et noua omnino difficultas enascitur, si spinae bifidae absque dicto comitatu exorientis initiis insistendum est. De quo tamen casu pariter pronunciatum, lympham specum vertebrarum occupantem distentis fibris circumpositis vel ex toto ruptis cauum dilatasse cum apophysium spinosarum solutione *h*). Similiter sensit b. HALLERVS "in hoc malo, inquiens, dura meninx ab humore distenta molles spinas lumborum et sacri ossis aut non sinit coire, aut male glutinatas diuidit et obliterat" *i*). Si vero aqua morbose congesta tantum ossa diducendi nisum habeat, mirum eo praecise loco columnae vertebralis tumorem hydropicum rarissimum esse, quo expansionis summa libertas, scilicet inferiori ossis sacri sede. Haec scilicet per naturam in foetu etiam absque cartilagine hiat et saccus durae matris minus ibi firmamenti habet, vtpote quum ligamentum istud robustum denticulatum dictum, quo pia meninx cum dura in canali vertebrali nectitur, ad duodecimam dorsi vertebram iam desinat, nec pinguedo postice cauum claudens obstaculum redundanti aquae struere possit. Non descendere duram membranam

g) *Loc. cit.*

h) Sunt propria verba cl. GILD in elegante *Diss. loc. cit. p.* 509. obuia.

i) *Elem. Physiol. T.* 4. *p.* 87.

branam vsque ad finem offis facri innuit quidem MORGAGNI *k*): contrarius vero eft HALLERVS *l*). Et quodfi etiam eo non pertingeret, notum tamen eft, in quam molem vsque expanfioni membranae aufcultent, prout et vere ibidem aliquando haud mediocres tumores enafcuntur. Et quoniam liberae viae funt inter cerebri caua et fiftulam fpinalem et in foetu cranii offa futuris nondum iunguntur: longe minus refiftentiae cranium accumulationi lymphae ponit, quam theca vertebralis, cui infuper foetus ad ima vergens capitis fitus fauet. Vnde confequeretur, hydrocephalum indiuiduum fpinae bifidae comitem effe debere, quod tamen connubium non raras exceptiones admitttere, obferuationibus conftat.

§. 8.

Sub hifce anguftiis vero propius longe accedere mihi videor, fi vitium in prima offium, quae fpinam bifidam fingunt, conformatione, pro caufa tumoris accipiam, potiusque caufam naturam fuo in opere turbantem et impedientem, quam foluentem in vnita, reprehendam. Quam ideam me non temere et feftinanter arripuiffe, fed grauibus argumentis ductum effe amplexum, ex fequentibus patebit. Nec crediderim, in vlla aliarum recenfitarum a me fententiarum approbanda tam faciles futuros fuiffe auctores autoptes, nifi plerique in fcrutanda ipfa labe loci affecti acquieuiffent, vel parum de

k) *De fed. et cauf. morb. Epift. 12. art. 9.*

l) *Elem. Phyf. T. 4. p. 88.*

de reliquis corporis aegri partibus ſolliciti, vel ab harum inueſtigatione ſuperſtitione parentum prohibiti, et niſi de valetudine parentum, matris praecipue, negligentius longe ſciſcitati fuiſſent hoſce, qui de ea reſpondere poſſent, quam de infantis exſtincti. Ad hancce diſquiſitionem primum compulſus ſum conſpecto ſceleto infantis hiante ſpina vitiati, quod ſubtiliſſimus, vt multis ſpeciminibus egregiis comprobauit, anatomicus, WRISBERGIVS, collega honoratiſſimus, mecum, ſub initium anni inter reliquos infantum morbos ſuper ſpina bifida coram auditoribus commentante, illuſtrationis cauſa communicauit. Huius ſceleti praecipua, quae hoc argumentum feriunt, capita primum deſcribam, dein alia quaedam ſimilia exempla ſubminiſtrabo, nec non argumenta, quantum iudico ad ſententiam, quam ſuſtineo, confirmandam idonea.

§. 9.

Ore mihi expoſuit cel. vir, infantem hunc, puellam, a matre natum fuiſſe, venerea lue adeo contaminata, vt et eo morbo exſtingueretur, attamen partu facili, et hunc miſellum absque hydrocephalo ſomnolentum, ſtupidum, pedum vſu omni deſtitutum vixiſſe poſt partum menſes ſeptendecim.

§. 10.

In ſceleto ſicco, in quod mihi inquirere vnice datum fuit (infans enim iam ante aliquot annos in lucem prodierat), id mox attentionem mouit, quod

quod longe exilius esset, quam pro ea aetate solet. Dein facile apparuit, naturam, in osteogeniae negotio turbatam, non parum a solita sua lege deflexisse. Etenim quaedam ossa, quae distincta esse et in adultis solent, vitioso concremento coaluerant, alia, consueto ordine solida, vel membranacea exstiterunt, vel aperturis praeter naturam perforata.

A capite initium vt faciam, moneo, hydrocephali nulla vestigia me deprehendere. Fons pulsatilis anterior non, vt solet, angulo acuto in suturam sagittalem ossium frontis antice terminatur, sed inaequali margine sensim ampliatus in mediam frontem vsque fine obliquo et ad latera varie exsecto descendit. Versus nasi radicem frontis ossa, ea aetate alias adhuc disiuncta, tam inter se perfecte coalita sunt, vt nonnisi linea eleuatior limitem faciat, quam cum ossibus nasi et processibus nasalibus maxillae superioris et ossibus vnguis. Simile concrementum vtrinque regione temporum os frontis cum angulo anteriori et inferiori ossis bregmatis et alis maioribus sphoenoidei superficie aspera nectit. Ne a coalitu isto ossium capitis praeternaturali discedam, mox addo, simile tam antice quam postice inter os squamosum vtrinque et os bregmatis obtingere, item inter os petrosum et angulum lateralem ossis occipitis, et inter hunc et vicinam ossis bregmatis partem. Concrementum vero hocce eius naturae est, quasi materies quaedam ceracea vel gypsea solidescens statu fluido in-

interstitiis

terſtitiis fuiſſet infuſa, nam eiusdem ſuperficies aſpera et inaequalis eſt, nec cum iſta vicinorum oſſium continua, mox profundior iſta, mox vltra eam quaſi exorbitans, coloris flaueſcentis, non, vt reliqua, albi, imo hinc inde loca quaedam exigua in hiſce interſtitiis membrana modo clauſa conſpiciuntur. Defectus vero eiusmodi oſſei longe plures ſunt in ipſis oſſibus. Scilicet praeter ſontis pulſatilis ſupra deſcriptam propaginem os frontis tredecim locis eiusmodi membrana translucet. Facies ſaltim membranacea eſt; an vero cartilago potius vacuum repleuerit, non dixerim. Harum lacunarum ſex antice et inferius in fronte ſuper naſi oſſibus prope ſuturae ſagittalis limitem colliguntur ad piſi magnitudinem vsque, vna maior cum duabus capitulum acus magnis ſiniſtrorſum ſupra orbitam haud procul a ſutura coronali, duae oblongae eo loco marginis orbitae, quo foramen orbitale ſuperius alias occurrit, duaeque aliae maximae oblongae in ſuperiori orbitae pariete pone arcus ſuperciliares. In vtroque oſſe bregmatis prope ſuturam ſagittalem, quae nondum coaluerat, poſtice iterum duae lacunae pellucidae et in ſiniſtro oſſe ad latus haud procul a ſutura lambdoidea iterum alia oſſeſcentiae proxima. In ſquamoſa parte oſſium temporum pariter eiusmodi loca conſpicua ſunt, ſiniſtro tamen latere magis quam dextro. Siniſtro in vniuerſum latere labes oſteogeniae maior videtur quam altero; imo vbi infra angulum oſſis occipitis ſiniſtrum hoc ipſum os et petroſum ſeſe contingunt, lamina oſſea ſubtriangularis ad notabilem profunditatem vi quaſi

intropreſſa cernitur, et paullo poſterius irregulare foramen, cui interius membrana praetenditur. Sed et multa alia inſuper in oſſe occipitis, quod quidem, vt in infantibus tenerioribus ſolet, quatuor partibus conſtat, aliena ſunt. Nam ſupremus eius angulus non acutus, ſed acuminatus eſt, ſutura lambdoidea inſigniter hiat per totam longitudinem figura ſigmoidea et margine obuerſorum oſſium pectiniformi, apophyſis oſſis occipitis baſilaris cum oſſe ſphoenoideo conferruminata. Quicquid praeterea ſubſtantiae oſſeae inter foramen magnum occipitis et proceſſus pterygoideos continetur, vndiquaque glutine oſſeo ita oblitum cernitur, vt et ſuperficies aſpera inde euaſerit, et foueae pterygoideae omnino nullae adſint, nec alia foramina ibidem quam carotica et iugalia appareant. Adiicio modo de capite mentionem interſtitiorum membranoſorum in media ſuturae ſquamoſae parte, quae reliquiae fontis pulſatilis huius loci in foetu ſunt.

Progredior ad pectus, quod praeter naturam inſigniter prominet, ita vt ſterni ſitus haud multum a linea horizontali deflectat, niſi ſuſpicio, ſub iſta cartilaginum flexilitate ſitum naturalem aliquantiſper fuiſſe turbatum. Sternum, plurimam partem cartilagineum, inſulas ſex oſſeas format, quarum illa ad baſin maxima, lenticularis, nonnihil compreſſa, ceraſi nuce maior, diremta notabiliter a ſubſequente, oblonga; quam excipiunt duae aliae inter ſe contiguae, altera ſcil. diametri et figurae

lentis

lentis ex eruo, altera paullum anterior oblonga et minor; tum denique paullo remotius conſpicua ſunt oſſicula duo alia oblonga minora eadem vicinitate, fere inter cartilagines coſtae verae quartae vtriusque lateris. Reliquum omne ſterni cartilagineum eſt. Oſſicula omnia dicta conuexa inſigniter ſupra planitiem cartilaginoſae partis prominent, quod ipſum ſine dubio nonnihil aliter in ſuccoſo ſceleto quam ſicco ſe habet, cuius cartilagines diſperſo liquido extenuentur neceſſe eſt. Nec absque metu hancce ſtructuram ſterni ad eandem cauſam, quae capitis oſſa corrupit, refero, quippe quum naturam in primordiis oſſeis ſterni mirifice ludere notum ſit *m*).

Columna autem vertebralis flexura laterali manifeſte deformis. Curuaturam praecipuam vertebrae colli paſſae ſunt, quae arcum notabilem, vbi vertebris dorſi iunguntur, conſtituunt; alter arcus in nexu harum cum lumborum vertebris paullo planior. Maximam vero attentionem meretur poſtica vertebrarum lumbarium et oſſis ſacri pars, vtpote lato hiatu praeter naturam diremta. Vertebra prima lumbaris vtrinque per cartilaginem prominentem, vt in ſuperioribus reliquis, iuncta eſt; in ſecunda, oſſa, quae ad ſpinam formandam faciunt, dimota ſede ſua, attamen cartilagine latiori connexa; in tertia cartilago haec ſurſum modo ſuper-

O 2 eſt

m) ALBINI *icones oſſium foetus*, *p*. 75. *ſq*.

eſt itidem iuſto latior, et latior quam modo dicta, et arcu terminata deorſum deficit. In reliquis vertebris lumbaribus et duabus ſupremis oſſis ſacri deeſt omnino cartilago, et oſſa ſpinae deſtinata ad duas tertias pollicis, media parte latiſſime, diſtant. Reliquae oſſis ſacri parti a dimidio tertiae vertebrae ſacralis membrana denſa praetenditur. Oſſium vero lateralium, hiatum dictum formantium, breuitas maior obtinet, quam ſi in medio inter ſeſe coiuiſſent, ita vt non ſufficiant tubo vertebrali formando, ſcilicet decremento eorum verſus inferiora aucto, ſic tamen, vt et obliqui proceſſus et transuerſi ſuperſint. Prominent vtrinque haec oſſa criſtarum inſtar, in vertebris lumbaribus oblique et cartilagine veſtita, in ſacro autem perpendiculariter et nuda.

§. 11.

En igitur plura vitiatae oſteogeniae in hoc ſceleto veſtigia, non in columna vertebrali modo, ſed in capite quoque, inſignia forſitan et in ſterno; vt inde pronum fiat colligere, eandem cauſam, quae vertebras vitiauit, et capitis oſſibus hoſtilem vim intuliſſe.

Similes aliae labes oſſium diuerſarum partium, in quibusdam cum haud exigua degeneratione mollium partium coniunctae, et aliis exemplis ſpinae bifidae comites ſeſe adiunxerunt. De hydrocephali cum eadem ſodalitio, quod haud raro obuenit,

iam

iam mentio facta eſt. Aliis caſibus vtrique malo *), vel et ſpinae bifidae ſoli **), vel hydrocephalo ſoli, ſeſe aſſociauit hernia cerebri, ſiue tumor ex cerebro vel lympha vel vtrisque per foramen praeternaturale capitis protruſis, qui ipſe licet, plerumque in occipite, rarius in vertice vel lateribus, proueniat, rariſſime in fronte, eius tamen proximo loco dicti exemplum et quidem inſignis molis haud ita pridem notabili hiſtoria conſtitit *n*). Subinde ſtructura capitis valde monſtroſa in eodem homine vna cum ſpina bifida obuiam venit, cuius generis caſus, etiam icone illuſtratus a KERKRINGIO *o*) memoratur, et alius a MORGAGNI *p*), in quo nihil aderat ſubſtantiae cerebri, deficiebant oſſa ſincipitis et frontis occipitisque fere integre, oſſa temporum de ſuo loco dimota exiſtebant, tres deerant colli vertebrae, reliquis inter ſeſe conſtipatis et ad partem concretis, quod idem accidit in corporibus ſupremarum dorſi vertebrarum, cum incuruatione ſpinae, cui adhaerebant dextro latere vndecim modo coſtae, alia vt taceam. Stupendam iſtam ſpinam bifidam, quam BIDLOO *q*) deſcribit, quot in capite deuiantis in

 oſſium

*) *Eph. N. cur. Dec.* 2. *Ann.* 2. *p.* 363. *ſqq.*

**) SALZMANNI *Diſſ. de tumoribus quibusdam ſeroſis externis, p.* 11.

n) FAXE in *K. Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 182.

o) *Spicil. anat. Obſ.* 23.

p) *De ſed. et cauſ. morb. Epiſt.* 48. *Art.* 50.

q) *Loc. cit.* et *Tab.* 3. 4.

offium formatione naturae veftigia comitabantur, vitiofae offium complicationes, dehifcentiae, impreffiones, deformitates, defectus! quot in trunco, diftortione columnae vertebralis, complicatione, coalitu, dislocatione, deformitate coftarum et fterni! In alio homine, fpina bifida detento, feptima cofta vera cum quatuor fpuriis coalita cernebatur *r*). Si a magnis et portentofis vitiis ad exigua tranfire operae pretium: notari meretur, aliena varia alicubi in fonte pulfatili obferuata, et vna clunes contractiores, anumque prominentem *s*); et alio cafu tarfi offa ita a confueta figura deflexiffe, vt pedes deformiter introuerterentur *t*). Plura eiusmodi vna cum fpina bifida tam in mollibus quam duris incidentia vitia in medium proferri poffent, fi opus cenferetur.

§. 12.

Ad fententiam, quam tueri aggreffus fum, fuffulciendam et hoc facere arbitror, quod exftiterint foeminae, quae pluries infantes hoc affectu vertebrali deturpatos enixae funt. Fuit vxor mercatoris, quae primo partu edidit filiam faniffimam, nulloque modo deformem, fecundo peperit filium in dorfo fpina bifida correptum, biennio poft iterum enixa

r) GILD *Diff.* et *loc. cit. p.* 517.

s) *Comm. Noric.* 1741. *p.* 155.

t) AB ACREL in *K. Vet. Ac. Handl. l. c. p.* 291.

enixa eſt puellam omnibus notis integram, quam autem abſoluto biennio puſio dicto vitio deformis ſubſequutus eſt *u*). Minus fini deſtinato commoda forſitan videbitur cuidam haecce narratio, quum duo infantes integri omnino manſerint, totidemque rurſus hiatum huncce ſpinae experti fuerint, nec hi quidem duo ſeſe immediate exceperint. Quidni vero accipias, in matre cauſam, quae ſemel oſſa vitiauit, per tempus effoetam iacuiſſe, dein vero rediuiuam? Alia autem foemina bis puellam ſpatio quindecim menſium interiecto peperit, quarum vtraque hoc vitio laborauit *x*).

§. 13.

Si praeterea per gradus a vitio ſpinae vertebralis minimo ad maximum, quod tumorem deſcriptum comitatur, aſcendimus: affinitatem cum monſtroſis fabricis ſummam inueniemus, quarum origines a foetus tenerrimis primordiis deriuare maxime procliue eſt. Incipiendo ab exemplo *y*), quo nonniſi exiguum valde foramen poſtice in vertebra apparuit, deuehimur ad hiatum vnicae modo vertebrae; tum ad fiſſuram quatuor, plurium, in collo, dorſo, lumbis vel oſſe ſacro, vertebrarum; ſucce-

 dit

u) BVRG in *Eph. nat. cur. Dec. 2. Ann. 6. p. 141.*

x) SALZMANNI *Diſſ. cit. p. 9. ſq.*

y) Conf. §. 3. quae obſeruationes, quibus haec ſcala nititur, comprehendit.

dit hiatus per totum dorſi tractum et partem colli obſeruatus; et in hiſce aliquando iactura proceſſuum obliquorum et transuerſalium ſimul adfuit, vt nihil praeter corpora vertebrarum ſupereſſet; vel fiſſura ipſorum horum corporum. Cur eiusmodi diſtantia vitioſa partium ſiue iactura oſſium notabilis minori iure monſtroſae compagis nomen mereatur, quam diſpendium oſſium quorundam caluariae nuperrime ex KERKRINGIO et MORGAGNI deſcriptum? Quidni ſi ſpina hiat in ſodalitio deformitatis capitis, vtrique cauſam eandem aſſignabimus tempusque idem ortus ſui? Nouum pondus eo accedit, quod et in mollibus horum aegrorum partibus varia naturae conſueto ordini aduerſa ſint, et in iis nominatim ſubinde, quae cum ipſo ſpinae tumore commercium habent (§. 3.).

§. 14.

Omnibus igitur hucusque dictis inter ſe collatis, me iudice, diuulſionem proceſſuum ſpinoſorum eo tempore contingentem, quo cartilago media oſſeae eorum parti intercedit, a lympha intra cauum vertebralem congeſta accuſare non licet: ſed e contrario manifeſtum fit, oſſium vitium praeceſſiſſe, nec, ſine hoc praegreſſo, accumulationi aquae locum vllum exſtitiſſe. Quae vero ſi ſenſim, vel ante partum, vel poſtea increſcat, membranasque, quibus includitur, in ampliorem molem expandat: nihil fit, quam quod in hydropica intumeſcentia conſuetum eſt.

Aſt

Aſt exſtant duo argumenta, quae hiſce videntur contraria. Alterum hoc eſt, quod in infimo ſacro poſtice ſpina per ſe in foetu pateat; nam non totum os hiare, ſed duas vel tres ſuperiores eius vertebras, inſtar vertebrarum verarum, cartilagine poſtice ad ſpinae locum in foetu claudi, ex anatome conſtat z). Significaui vero iam, rariſſime in ima ſede ſacri tumorem hydropicum gigni, nec ſimplicem in ſpina bifida reprehendendum eſſe hiatum oſſium, ſed varios defectus in magnitudine et directione oſſium lateralium ſimul obtinere; in quos velim obſeruatores circa hanc ſedem curatius in poſterum inquirant. Si et hi deſint, tanto inconcinnius nomen ſpinae bifidae vſurpatur, quando nihil praeter naturam dehiſcere dici poteſt. Altera obiectio eſt, quod aliquando poſt partum modo tumor iſte hydropicus prouenerit. Meminit eiusmodi caſus, aliquot modo dies poſt ſupra vertebram lumbarem ſecundam exorti, JO. MAVR. HOFFMANNVS *a*), et alius, ad quartam et quintam vertebram lumb. paullo ſerius emergentis, MAVCHARDVS *b*). Sed fac verum fuiſſe ſeriorem iſtum proventum, quem narratione aliorum modo comperunt, quid vetat credere, malam iſtam oſſium conformationem praeceſſiſſe quidem, ſed poſt partum eam modo quantitatem lymphae fuiſſe congeſtam, quae cutem in notabile volumen expanderet.

 Magis

z) ALBINI *Icon. oſſ. foetus fig.* 54.

a) *Miſc. nat. cur. Dec.* 2. *ann.* 5. *p.* 431.

b) *Eph. nat. cur. Cent.* 9. *p.* 92.

Magis aduerſari videtur caſus a LANCISIO *c*) deſcriptus pueri quadrimuli ex contuſione capitis hydrocephalum paſſi, quem ipſum poſt menſem tumor ad coccygem excepit. Si quis exemplo eiusmodi rariſſimo naturam a vera ſpina bifida diuerſam adiudicari cupiat, non repudiabo.

Atque ſic ambiguitas tollitur, ill. A ROSENSTEIN *d*) ſubnata, vtrum aqua congeſta ſola tumorem huncce gignere queat, an vitium in oſſium conformatione vna adfuerit, qua ipſa aqua tanto facilius oſſium complemento obeſſe potuerit. SALZMANNVS *e*) plerumque ſubeſſe vitium fabricae in vtero contractum agnoſcit. TREWIVS *) hoc quidem culpae reum facit, interim tanquam cauſas remotas imaginationem vel percuſſionem grauem matris grauidae accuſat. Nemo vero apertius morbum hunc conformationis effectum et particulare monſtroſae fabricae exemplum, niſi prima conceptione certe paullo poſt exortum, declarauit, quam MAVCHARDVS *f*). Defuit tamen hactenus omnium argumentorum, quae huic ſententiae robur ſuppeditant, iuſta et exacta pro dignitate ponderatio.

§. 15.

c) MORGAGNI *l. c. Lib. 1. Ep. 12. art. 9.*

d) *Barnsjukd. p. 420.*

e) *Diſſ. cit. p. 25.*

*) *Comm. Nor. l. c. p. 163.*

f) *Eph. nat. cur. Cent. 9. 10. p. 95.*

§. 15.

Etiamſi vero concedas ex mala oſſium conformatione primam ſuam originem duxiſſe tumorem iſtum ſpinae hydropicum et ad monſtroſas fabricas vel naeuos eſſe referendum: multa tamen ſuperſunt circa eius natalia obſcura et ambigua, prout prima hominis primordia, et tanto magis monſtrorum, ſpiſſis adhuc tenebris obuoluuntur. Cauſas monſtroſarum fabricarum non vbiuis easdem eſſe aegre negari poterit, multaque repugnant, quicquid figura, magnitudine, numero, ſuperficie vel colore in foetu alienum eſt, vbiuis a primae conceptionis initiis repetere. Quaedam vitia omnino in tenello embryone ſerius ſubnata videntur, vel aucta ſuperſtite eadem cauſa, quae primum foetui infeſta fuit.

Vt in labe iſta, de qua hic agitur, ſubſiſtam, vel penuriam localem vel coagmentationem labefactatam materiae glutinoſae, ex qua oſſa conflantur, accuſo, quae ipſa in culpa ſunt, vt ne oſſa iuſte perficiantur. Subeſt omnino aliquando in matre vitium quoddam, in infantem tranſiens, et oſſium formationem completam impediens. Ita obſeruatum, eandem matrem aliquando plures foetus ediſiſſe, labio leporino in maxillari oſſe ſuperiori deturpatos g). Et ſupra quoque exempla attuli foeminarum bis foetus enixarum, ſpina bifida correptos. Circum-

g) HALL. *Elem. Phyſiol. T. 8. p. 141.*

Circumſpicienti mihi vero, quantam vim corruptela humorum, nominatim venerea, ſcorbutica, arthritica, rachitica, in emolliendis et deformandis oſſibus infantum imo adultorum hominum habeat, iuſta ſuſpicio enaſcitur, horum fomitum tanto nocentiorem eſſe potentiam in primo oſteogeniae negotio turbando. Lucem de venereo miaſmate accendunt, quae ſupra de ſceleto infantis a venerea matre prognati eiusque praeprimis multiplici capitis oſſium degeneratione expoſui. In hoc manifeſtum eſt, et ſerius formatis iam plerisque oſſibus liquantem potentiam acris venerei perrexiſſe. Quod enim inter oſſa cranii, ſuturis apud adultos iungi ſolita, effuſum concretumque gelu oſſeum deſcripſi, ex margine vicinorum oſſium multis locis pectiniformi liquato originem traxiſſe videtur, niſi exiſtimes, vberius iuſto ad haecce interſtitia ſuccum oſſeum ex ſanguine redundaſſe. Si ex eodem fonte deriues faciem iſtam ſcabram, quaſi ex glutine ruditer illito, variis locis obuiam, per me licet: iactura vicinarum aliquot partium oſſearum prius potius ſuadet. Eadem de feneſtratis iſtis aperturis cranii oſſium deſcriptis ſentio.

§. 16.

Haec ipſa de curationis moliminibus in ſpina bifida aliqua addendi anſam praebent. Quicquid hucusque artis adhibitum, vix vnquam tollendo malo ſuffecit, ſed vitae modo prolongandae et miſeriis minuendis. Strictura per filum, tumoris exſtirpandi

ſtirpandi cauſa iniectum, fatum praecipitari nouimus; nec minus infauſtus euentus inciſionem lanceolae ope factam fere ſemper excepit. Mira igitur a MORGAGNI *h*) recenſita hiſtoria de eiusmodi tumore ſupra coccygem lanceola feliciter aperto. Verum magis mira alia JO. MAVRITII HOFFMANNI *i*), ob maiorem medullae ſpinalis vicinitatem, de felici tumoris ſimilis lymphatici, ad vertebram ſecundam lumbarem enati, per lanceolam decliuiori loco intruſam punctura, qua facta lympha ſenſim per immiſſam turundam euacuata, et emplaſtrum ſiccans impoſitum. Noxia eſſe quaeuis emollientia et pinguia extus applicata, item fortiorem compreſſionem ob ſuppurationem, imo gangraenam, facile ſubſequuturam, inſciorum chirurgorum temeritas crebro edocuit. Nihil igitur ſupereſt auxiliorum, quam quae aquam congeſtam deriuare in remotiora loca, eliminare vel diſſipare, poſſunt, cuius generis diuretica et purgantia mitiora ſunt, et extus appoſita diſcutientia, cum molli ſpleniorum et faſciarum conſtrictione, quae tumorem ſuffulciunt et nimiae aquae accumulationi reſiſtunt. Obturare fontem lymphae roborantibus vix datur. Ita per annos adeo protrahere aerumnoſam vitam aliquando contigit (§. 5.). Sed hiſce oſſa in ſpina diſtantia non vniri, nec membranas expanſas, quae, vt ſolet in membranis diſtentis, craſſitudine quoque creſcunt, contrahi, vtne de labe varia ipſius medullae dicam, quis

h) *De ſed. et cauſ. morb. l. c.*

i) *Miſc. n. cur. Dec. 5. A. 5. p. 431.*

quis non videt? Quod ad oſſa attinet, tentari meretur, anne, quando corruptela venerea matris culpa ſubeſſe videtur, mercurialibus ſcite per lac infanti exhibitis increſcenti oſſium vertebralium labi praeuerti poſſit, eaque, quibus oſſa remotiora ſaepe afficiuntur, vitia, quae miſeriarum augmentum haud exiguum creant, vitamque ipſam impetunt, minui vel vinci omnino poſſint.

XVI.

DE MEDENDI TINEAE CAPITIS RATIONE PARALIPOMENA.

DE

MEDENDI TINEAE CAPITIS RATIONE PARALIPOMENA.

§. 1.

Exanthema iſtud chronicum, quod infantum praecipue caput capillata parte ſub varia forma haud raro occupat, non ob foeditatem vnice ſuam et cruciatus, quos excitat, ſed et ob obſtinatam ſuam et medicamenta pleraque alias efficaciſſima eludentem indolem, boni cuiuslibet medici ſollertia et auxilio indigentiſſimum eſt. Quem non miſereat infantis, venuſtate, obſequio, innocentia animi, cuius dotes in dies laetius euoluuntur, amabilis, et quoad aſpectum ceteroquin ſani, qui ob tetrum rancidum putridum foetorem capitis, ſqualidum profluuium ichoroſi ſubpurulenti cruenti liquidi, pruritum intolerabilem, quem acrimonia et animalculorum crebra pullities vel excitat vel auget, nec ſcalpendo leniendum, ob horridam corii capitis faciem, vlcuſculis, foueis, materia grumoſa lutea ſcatentibus, furfuribus, colliculis, decoloratione vel iactura capillorum, lendibus, foedati, et lorica

quaſi ſubinde incruſtati, et ſibi et aliis taedio eſt, indeque plerumque ab hominum mundorum et moratorum commercio ſemotus per plures ſaepe annos ambiguae famulitii curae et conſortioni traditur; ſub qua cultioni corporis pariter ac animi quam male proſpiciatur, facile quilibet intelligit. Apparet itaque morbo huic non infantes modo hominum infimae ſortis, ſed et lautioris conditionis eſſe opportunos. Et hic ipſe morbus ob contumaciam et curationis inconſtantiam omni fere tempore in medendo plurimum difficultatis peperit, adeo vt GVIDO DE CAVLIACO et PARAEVS, paullo a religione alienius, chirurgis iniunxerint, ad quos curationem vitii huius praeſertim pertinere crediderunt, abſtinerent ab eadem in ſeſe ſuſcipienda, et adhuc hodie, locis bene multis mulierculis ſuas in eodem auerruncando vires experiri a medicis committatur, non alio conſilio, quam quo medicus ſubinde in pertinaciori morbo, a cuius exitu exiſtimationi ſuae timet, ad acidulas thermasue proficiſci aegrum vel peregrinationi indulgere, vel in patriam redire, iubet. Sed eheu! effectus anilis huius exanthematum dictorum medicationis creberrime deplorati ſunt, quippe quae plerumque vel externis repellentibus et ſiccantibus fortioribus, vt gallis, alumine, vitriolo, imo ſaturninis, vel cathaereticis, quorſum mercurialia corroſiua, cobaltum, arſenicum ipſum, plerumque conſtitit, vnde vel vi in nobilia viſcera teter fomes conuerſus tuſſim ferinam, aſthma, catarrhum ſuffocatiuum, tabem, epilepſiam, oculorum varia vitia, indurationem glandularum

item

item acutos morbos contraxit, vel reſorptione veneni applicati poſt diriſſimos cruciatus et conuulſiones ipſa mors conſequuta eſt. Minus quidem vitae inſidioſa eſt ſueta mulierculis mitrarum pice oblitarum applicatio, quas poſt biduum vel triduum firmiter adglutinatas forti manu auellunt, vnaque ipſorum capillorum bulbillos exſtirpant. Sed quis non horreat carnificinam iſtam, et non miretur, noſtra aetate, qua principes doloroſum quodlibet verum in delicti ſuſpectis eruendi auxilium abrogare coeperunt, non lege eiusmodi atrox tentamen coërceri! Quod ipſum medendi genus tanto atrocius, quum vix ac ne vix quidem fini deſtinato obtinendo par exiſtat.

§. 2.

Sed fateor, etiamſi obſtinatum valde et immorigerum malum capitis hocce vitium per ſe ſit, in medicos ipſos non parum culpae cadere, quod ſucceſſus curationis hactenus tam imbecillis lentusque fuerit. Non parum ſcilicet reprehendo ſubtilitatem iſtam, cui in diſtinguendis variis eiusdem ſpeciebus indulſerunt, quarum cuilibet ſuum nomen aſſignantes, peculiare quoque medendi genus adiudicarunt. De cauſa pariter multa ſententiarum diuortia enata, pro cuius diuerſitate, quam ſibi mente conceperunt, varia, medelam quoque in varias vias diduxerunt. Et quum tantum non omnes inquilinum quoddam humorum vitium accuſarint, huic per interna vincendo operam praecipue impenderunt, quum contra ea ex externis

praecipue opem quaerere consultius longe fuisset. Denique et hoc reprehendo, quod multi, specie curationis delusi, id pro efficaci medela venditarint, quod ad tempus tantum malo tollendo suffecit, quod ipsum autem vires sensim colligens paullo post pristina violentia effloruit.

§. 3.

Vix aliud quoddam morbi genus noui, tot diuersis nominibus a medicis insignitum, ac exanthema illud, quod capitis corium sub variis formis foedat, quorum quaedam originis Graecae, aliae recentioris. Inter haec nomina vulgatissima sunt Faui s. *κηρια* item *μελικηρις* apud Galenum, Achores, Porrigo s. *πιτυριασις*, Furfures, Lactumen, Crusta lactea, Tinea, Lepra in capite, Ficus s. *συκωσις*, Serpigo, manantia capitis vlcera. Characteres horum omnium et limites constituere tanto difficilius, quum ne auctores quidem ipsi inter sese in significatu conueniant, et alii synonyma agnoscant, dum alii diuersas species. Quod vitium de ipsis antiquis valet, de serioribus vero et recentioribus medicis multo adhuc magis. SENNERTVS *a*) e. c. sollicite a crusta lactea, fauis et achoribus, tineam distinguit, per ista exanthemata intelligens vlcera humida, per hanc vlcera crustacea. Alii vocem tineae, qua STEPHANVS, interpres HALY ABBATIS, primus vsus est, recepta dein a subsequente omni aeuo, tanquam genericam adhibuerunt, variaque

a) *Oper. T. 4. p. 768.*

que ſub ea complexi ſunt mala, quorum nomina ſeorſim indicaui, tanquam ſpecies; quod compendium cognitionis horum vitiorum, ipſa antiquitate ponderoſum, vtinam ſeruaſſent ſerioris aetatis ſcholae. Ita apud HALY ABBATEM *b*) vno nomine quinque ſpecies comprehenduntur, furfuribus ſeparatim indicatis, et cuilibet ſingularis et ingenioſa denominatio tribuitur, quae nomina ſeruat GVIDO DE CAVLIACO *c*), addens modo tineam furfuroſam tanquam peculiarem ſpeciem. Veſtigiis horum inſiſtens SAUVAGESIVS *d*) ad nouem vsque ſpecies eam extendit; achores contra, cruſtam lacteam, fauum, tineam vt totidem genera proponit VOGELIVS *e*). Miror, quod cl. CVLLEN *f*) in contrahendis morbis alias ſtudioſior, achores tamen a tinea ſeparet, ſub qua ſine dubio et fauum ſubintellexit. Et ſi, poſthabita quauis ſyſtematica diuiſione, definitionibus vnice, quae ad diagnoſin in praxi faciunt, inſiſtimus, nouas diſcrepantias offendimus. Cruſtae lacteae e. c. quum faciem aſſignent ſedem VOGELIVS, STRACKIVS *g*) alii: SENNERTVS contrario vniuerſam fere cutem ea inquinari poſſe indicat, et LORRYVS *h*) e contrario eam vnice in cute capillata quaerit. Vero quoque propius me iudice accedunt, qui

 pleros-

b) *Lib. 8. Theoricae* Verſ. STEPHANI *fol. 98. pag. alt.*

c) *Chirurg. Tract. 6. Doctr. 2. c. I. p. 339.*

d) *Noſol. T. 3. P. 2. p. 466. ſqq.*

e) *Diſſ. definit. gen. morb.*

f) *Synopſis noſol. method. p. 161. 250.*

g) *Diſſ. coron. de Cruſta lact. infant.*

h) *Tract. de morbis cutan. p. 445.*

plerosque horum affectuum non specie sed gradu morbi differre sustinent. Etenim ipse vidi in variis infantibus sensim ex porrigine, seu dissolutione cutis in squamas vel furfura, in achores siue vlcuscula plurima per exigua foramina saniem fundentia, ex hisce in crustam densam siccam griseam transitum fieri. Quin si ampliori campo caput vitiatum fuerit, plagas conspexi, quarum vna hocce, alia alio vitio correpta vno eodemque tempore constitit.

Historiam horum vitiorum ab initio ad finem vsque concinnare, quoniam chronici genii sunt et lentum valde augmentum lentamque mutationem subeunt, rem taediosam et difficilem esse, quisque fatebitur. Hinc facile fit, vt accedens hoc vel illo morbi gradu infestante descriptionem morbi adornet, quae potius ad stadium vnum vel alterum morbi pertinet, quam ad totum eiusdem decursum, eique peculiare nomen imponat. Commodissime igitur et certissime in orphanotrophiis vel in familiis prole numerosa instructis obseruationes in vitia ista instituuntur. Placet mihi quidem, quod in curatione horum SENNERTVS compendium offert, dum crustam lacteam, achores et fauos, quoad causam non multum discrepare et curationis rationem quoque eandem esse innuit, prout restringenda esse nomina in pathologia censeo, quoties eorum diuersitas nihil neque in diagnosi nec curatione adiumenti affert. Sed pari sollicitudine cauendum, ne compendiaria hacce notitia nimis delectantes morborum species,

tam

tam decurſu quam medendi methodo diuerſas, vna comprehendamus. Non poſſum igitur ſubſcribere BÜCHNERO *i*) cum variis, quos citat, auctoribus, CAPIVACCIO, INGRASSIA, CARDILVCIO, fauum a reliquis exanthematibus capillatae capitis partis, quae iunctim tineam vocat, nonniſi ſecundum maius et minus differre, et pro aetate modo formam vtriusque mutari. Fauo enim ſ. *τω κηριω*, ſiue, vt cum HALY ABBATE loquar, Tineae fauoſae, id quoad faciem peculiare eſt, quod puſtulas gignat initio lenticulares, dein varia forma ampliatas, materia albo flaueſcente inſtar mellis grumoſi vel pultis repletas, quae ſi eximitur, vt facile poteſt, relinquit foueas fauis apum non abſimiles. Hae puſtulae etſi plerumque capillatam partem vnice occupant, aliquando, quod vidi, in vicinam cutem ad tempora, ſupercilia, ſolitariae deſcendunt. Et hocce exanthema reliquis omnibus curatu longe difficilius eſt, vt ex hiſtoria apparebit, quam poſtea ſubnectam, nec iis remediis cedit, quae in aliis tineae ſpeciebus ſaepe vſum praeſtant.

§. 4.

Quam ſpiſſae praeterea tenebrae cauſam huius polymorphi vitii, tineae, circumfundunt! Cauſa vero morbi cuiusque ignota vacillare curationem eiusdem et difficilem et ambiguam euadere, in patulo eſt. Id quidem quilibet agnoſcit in tinea, vt vitio quouis alio externo, partem affectam praecipue labefactari; vtrum vero in ſolo corio capillato labes

 reſideat,

i) *Diſſ. de fauo capitis*, §. 7.

resideat, an potius inquilinum quoddam humorum inquinamentum in hunc locum, qualicunque de causa debilem, vim suam conuertat, et quasi per fonticulum sui partem eructet, alia maximi ponderis quaestio est. Non rara alias sunt moliminis naturae, per corporis superficiem in chronicis affectibus morbi seminium expellendi, exempla. Sic sponte erumpunt saepe ex corruptis humoribus in cruribus vlcera, in aliis aures manantes funestiorem morbum anticipant, in scorbuto quoque, lue venerea, scrophulosa labe exanthemata crebro emergunt. Qualis autem sit acrimonia ista, vel quale aliud seminium, quod quidam in tinea humores contaminare sustinent, hactenus non liquet. Cui enim satisfaciet recrementum biliosum, pituitosum, melancholicum, quod pro causa achorum accusat ALEXANDER TRALLIANVS *k*); vel nitrosa salsaque pituita, cui originem tineae tribuit AEGINETA *l*); vel origo eius secundum SYLVII *m*) mentem ab humore acri acido ex sanguine ad superficiem capitis delato et a pituita glutinosa; vel FR. HOFFMANNI *n*) de sero salso viscido corrupto, in glandulis et tubulis cutaneis stagnante, querela? Nec magis mihi quidem satisfacit cl^mi^ LORRY *o*) explicatio natalium achorum et fauorum ex muco infantilis aetatis vberiori, tenaciori, acido. Acidam degenerationem humo-

k) *Oper. Lib. I. cap. 8. p. 13.*

l) *Ars med. p. 106.*

m) *Prax. med. p. 614. sq.*

n) *Supplem. med. rat. syst. p. 95.*

o) *De morb. cut. p. 436.*

humorum iam accuſauerat ETTMVLLERVS *p*) et, vt mox innui, SYLVIVS; cui degenerationi quantum in morbis infantilibus generatim tribuerit HARRISIVS *q*), inter omnes conſtat.

Quum vero animaduerteretur, tineam ſaepe ex fomite venereo oriri; ſuſpicio a quibusdam concepta eſt, huncce plerumque delitescere, et ad mercurialia potiſſimum confugerunt. Etenim Neapoli inter 400 infantes, in noſocomio tinea laborantes, 283 numerantur, quorum vel pater vel mater ob luem veneream inunctionem mercurialem ſubiit *r*). Nutrices pariter ſubinde reas eſſe habendas, ſponte apparet. Facilis quoque eſt mali ex hacce cauſa ſubnati per velamina capitis vel pectinem propagatio. Haec ſi fiat, intelligitur, difficilius longe dignoſci originem, quam ſi per alias vias venenum conceptum fuerit, quum ſic per alia ſymptomata iuncta non poſſit non ſeſe declarare. Profundius vero tinea ex hac cauſa genita depaſcitur capillatum corium, magis dolet et noctu pruritum moleſtiſſimum ciet, quin in oſſa ipſa vim ſuam defert. Frequentius tamen marginem capillitii, quam ipſum capillitium, occupat. Nolim vero cum cl. ODHELIO *s*) in quolibet infante tinea correpto fomitis

p) *Coll. pract. in Oper. T. 3. p. 1098.*

q) *De morbis infant.*

r) Cl. KAEHLER *in libro* ROSENSTEINII *om Barns Sjukd. p. 485.*

s) *Underrättelſe, huru man kan bota ſig ſielf för veneriſka ſjukdomen, p. 8.*

mitis huius latentis suspicionem fouere; prouti ill. Eques AB ACREL t) raram adeo tineae verae cum aliis symptomatibus venereis consociationem declarat.

§. 5.

Hi igitur de caussis tineae conceptus quum labe sua non destituantur, et vel nihil in medendo adiumenti afferant, vel ad peruersam medelam ducere facile possint, in plerisque praeterea tinea affectis reliquum capite excepto corpus sanum appareat: in aliam sententiam deuehimur, topicum illam esse malum, et medicamenta, ipsi loco vitiato applicata, internis longe antistare. Qui longinquitatem viae perpendit, per quam medicamenta ore sumta tendere saepe debent, antequam ad locum destinatum perueniant; iacturam virium, quam per alluentem laticem primarum viarum et alia ibidem contenta admixta, et sub ipso humorum circulo patiuntur, nisi vis praecipua in neruos exseratur: haud aegre dabit, in externis malis medicaminum extus applicatorum praecipuam efficaciam esse. Hinc scabies tetra sola inunctione vnguenti rosati cum mercurio praecipitato albo saepissime feliciter tollitur, hinc herpes saepe vesicatorio imposito, cancer vel illi simile vitium Cicuta, aliquando et Phytolacca, Sedo acri, Arsenico applicato, hinc vlcera rebellia, quae efficacissimis alias mundificantibus vel roborantibus resistunt, saepe ex voto fasciis membro iniectis curantur, hinc iniectio aquae calcis in

t) *Litt.* EIVS in *Bibl. mea pract.* *T.* 3. *p.* 485.

in ipſam veſicam per vrethram tam laetum effectum in calculo promittere viſa eſt. Nec ſane fefellit ſpes tineae medendi in externa praeſidia collocata.

§. 6.

Ante omnia autem ipſa ſtructura capillati corii eſt ſcrutanda, quod ipſum ex pluribus partibus componitur. Sub epidermide nimirum tenella, poris innumeris inſtructa, qui ſudorem et ſmegma pingue capillosque transmittunt, cutis ſiue tela celluloſa compactior et durior, quam ſolet vllo alio corporis loco, deprehenditur, quae deorſum in laxiorem compagem reſoluitur. Hanc telam multa vaſa ſanguifera, item liquidum aquoſum vehentia, percurrunt, et praeter adipem, qui cellulas farcit, folliculi numeroſi membranacei pinguedinem mollem complectentes et per ductum ſuum excernentes et bulbilli capillorum illi immerguntur. Horum bulbillorum, quae oblongi et colore coeruleo albi ſunt, ea ratio eſt, quod ipſe nucleus ampulla quaſi membranacea extenſili circumdetur, quae ſuis inſtructa neruis et vaſis ſanguiferis in cauum, quod format, liquorem quendam tenuem in filamenta tenuia ductilem flauo album exſudet. Ampullam dictam reticulum Malpighianum extus cingit, vt cuticulae detractione apparet, quae ſi apta manu perficitur, bulbilli adhaereſcunt, relictis foueolis in ſubſtrata cute. Vlterius proſequi hocce capitis tegumentum heic non opus eſt.

§. 7.

§. 7.

Non vna igitur in eodem pars eſt, quae vitiari in tinea poſſit. Qualis vero ſpeciatim corripiatur, dici ne tum quidem fortaſſis ob ſubtilitatem partium poterit, quum cultri ope in tineae peculiarem ſedem poſt mortem inquiritur, quod hactenus neque a ſummo MORGAGNI, nec ab ill. LIEVTAVD, factum eſt. Pro ſimplici vitio bulbilli capillorum non poſſum illam cum cl^{mo}. DVNCAN *u*) agnoſcere. Nam licet et ipſe illos in tinea laborantibus, quum crines euellerem, ſolito turgidiores liquido dicto repererim: manſerat tamen et locis maxime ceteroquin tinea infeſtatis priſtina bulbillorum quoad figuram et colorem integritas, nec aliquid in hiſce arroſum vel deſtructum vidi. Si euulſio capillorum, qualicunque arte, per volſellam vel picem, rel. perficiatur, fidem expleret, haud exiguum dictae hypotheſi fulcrum ſubderetur: ſed non tollit malum absque metu reuerſionis, etiamſi immane hocce tentamen pluries repetatur. Obſeruaui hoc ipſe in quibusdam aegris, quorum curam geſſi iis in locis, quibus ſtudio deditaque opera exſtirpandos capillos curaui. Nequeo igitur in partes SAUVAGESII *x*) qui "neceſſariam in tinea humida pilorum eradicationem" pronunciat, transgredi, licet adſentian-

u) Cuius propria verba ſunt „There is little doubt, that „tinea is one of thoſe cutaneous affections, which „is to be conſidered as a diſeaſe of the roots of the hair" in EIVSD. *medical Caſes and Obſervations, p. 159.*

x) *Noſol. meth. T. 3. P. 2. p. 471.*

ſentiantur cl. IOSEPHVS DIMSDALE *y*), "nulla alia arte", inquiens, "praeterquam exſtirpandis capillorum bulbis capitis tineam tolli", cl. DVNCAN *z*), multique alii. Cautius ill. CVLLEN *a*) tineam definit per vlcuſcula in cute capillata ad radices capillorum humorem in cruſtam albam friabilem abeuntem fundentia. Nam ea inter ſingulas dictas partes communio et vicinitas obtinet, vt contractum in vna vitium aliam pariter afficiat. Potiorem tamen ſedem mali in folliculis dictis pinguedinoſis vel ipſo textu celluloſo quaerendam arbitror. An et in tineoſis muci Malpighiani vberior prouentus? Iisdem enim locis, quo bulbilli capillorum immutati fere omnino et illaeſi comparent, copia materiae mucoſae purulentae circa hoſce ſtagnat vel effunditur, quae pro varia natura et vario acrimoniae gradu vel cutem in cauernulis depaſcitur, vel in ſquamas reſoluit, vel exundans in cruſtas ſiccas condenſatur.

§. 8.

Quamuis vero valde probabile ſit, in tinea peculiare inquinamentum humorum totius corporis locum non habere, ſed, quicquid mali ſucci adſit, coaceruari intra ipſum capitis corium: aliquando tamen extra locum conſuetum veſtigia occurrunt varia fomitis affinis vel eiusdem. Idem poterit eſſe ſemi-

y) *Diſſ.* rec. in WEBSTERI *med. prax. ſyſt. T. 3. p. 143.*
z) *Loc. cit. p. 159.*
a) *App. ad noſol. meth. p. 250.*

feminium, licet diuerſas ſcenas ludat pro diuerſitate partis, quam occupat. Erumpunt ſubinde ſimul exanthemata cruſtoſa, eleuata, humorem ſpiſſum limpidum fundentia circa os, narium pinnas, in genis, auribus. Veros fauos non vidi tam profunde deſcendere, ſed viciniam modo marginis capillitii tueri. Cuticula praeterea faciei valde aſpera ſubinde in tineoſis ſentitur, verrucae generantur multiformes, tam in facie, praecipue in palpebris, quam manibus, palpebrae ipſae aliquando rubent. Obuenit quoque mihi puella inſigni deformitate et decoloratione vnguis digiti minimi manus ſiniſtrae correpta, quem, quum cultro corrigere aliquando tentarem, emittere eundem glutinoſum ſuccum vidi, quem caput ſtillabat, nec liberata aegra hocce vitio, antequam ipſum caput ſanaretur. Hactenus vitia dixi, quae cutem vtramque modo vel productionem epidermidis, vngues, vna afficiunt, ſiue haec ibidem a communione humorum retrogradorum ſiue contrectatione per digitos improuiſo facta contingat. Aliquando vero in vetuſtiori malo profundius ſaeuit labes, colli glandulas tumefacit, emaciat corpus, vt alios tranſitus taceam diriores, hinc inde memoratos, quorum ſpectator equidem non fui. Noxa vero multiplex, quae in retropulſa tinea exoritur, non magis pro origine eiusdem ex vitiato in vniuerſum ſanguine militat, quam quaelibet alia metaſtaſis, quae nouum morbi genus in loco, in quem materia defertur, generat.

§. 9.

§. 9.

Multiplex eſt remediorum internorum varietas, quam tineae curandae idoneam iudicarunt, ex claſſe mundificantium, incidentium, purgantium, diaphoreticorum, potiſſimum, petita, quorum vero quaedam iuſto debiliora ſunt, alia iuſto fortiora, et, quum non contra mali cauſam directa, ſaepe aliam labem inducendo noxia. Saponaceae ſtirpes, vt iſtae ex ſemifloſculoſarum cenſu, antiſcorbuticae. Fumaria, Bardana, Lapathum, Sarſaparilla, in ſucco vel decocto ſumta, tanto nodo non ſufficiunt. Magis omnino penetrant et in ſubigendis tenacibus humoribus et corrigenda eorum cacochymia valent antimonialia et mercurialia, quorum haec praecipue in tinea venerea aptiſſime eliguntur. Inter diaphoretica in ſubſidium vocata ſunt Guaiacum, aromaticae variae ſtirpes, ſulphur, varia ex cornu cerui vehementiori igne elicita ſimiliaque alia, in quorum ſane pluribus non vnice ratio virtutis ſudorem pellendi habenda. Ex toto vero horum internorum remediorum complexu plurimum purgantibus tribuo, quae ipſa tam reuellendo quam colluuiem primarum viarum, quae in morbos tantum non omnes imperium exercet, ſubtrahendo haud mediocrem efficaciam praeſtant. Sed de inertia omnium horum auxiliorum, niſi efficax externa medicina accedat, quilibet, cui ſanatio eiusmodi aegrorum committitur, facile iudicabit. Et qui curationem per haecce ſola admittunt, hiſce, vereor, ne impoſuerit vel ſpontanea in hominibus egenis, quae aliquando per aetatem et labores contingit

tingit ſanatio, vel anni tempus; nam ipſe expertus ſum decrementum cepiſſe malum, quin diſparuiſſe omnino per vernum vel aeſtiuum tempus, recruduiſſe appropinquante autumno et hieme.

§. 10.

Externa vero ſelecta ea, quae quilibet pro conceptu, quem ſibi de mali natura formauerat, exiſtimauit idonea: abſtergentia, exſiccantia, cathaeretica, imo fortiora iſta, quae venenorum merito nomine veniunt, de quibus et malignis ſequelis, quae ſaepe contraxerunt, ſupra p. 226. iam dixi. Horum vero omnium adminiſtratione ſcopus fuit, malum deuincere absque capillorum iactura. Haecce autem ſiue non efficacia ſatis ſiue noxia agnoſcerentur, in euulſione pilorum cum ipſis bulbillis, vtpote in quibus vitii cauſam latere crediderunt, alii auxilium quaeſiuere, quae curatio quam iucunda, quam fida, iam expoſui.

§. 11.

Nec deſunt eximii viri, qui interna remedia cum externis ſcite copularunt; quod connubium praecipue in mundificantibus ſiue abſtergentibus probo, quippe ſub quo hoſtilis fomes, duplici via, inuaditur et tanto certius ſubigitur. Ita ill. Eques AB ACREL *b*) de ſequenti methodo, quam ſua experientia comprobauit, certiorem me reddidit. Euulſis capillis, decocto herbae Centaurii minoris, in

b) In *litt.* rec. in *Bibl. mea pract. T. 3. p. 486.*

in quo mercurius ſublimatus corroſ. ſolutus, caput lauari curat; ſimul vero aethiopem antimonialem, vel ſolutionem dicti praeparati mercurialis ſyrupo edulcatam, per os ſumendam praecipit.

§. 12.

Verum absque violenta iſta et doloroſa crinium exſtirpatione externis potiſſimum curari poſſe etiam annoſas et rebelles contra plurima remedia celebrata tineas, ſucceſſu, quem ipſemet in pluribus infantibus exploraui, perſuadeor.

§. 13.

Duplici eaque ſimpliciſſima medela vtor.

Altera inunctione mercurii praecipitati albi, Vnguento roſato excepti, abſoluitur, quae duo ea proportione miſcentur, quae WERLHOFIO contra ſcabiem placuit, ſcilicet vt mercurialis praeparati vna pars pro octo partibus pinguedinis ſumantur. Hocce vnguento oblinìri iubeo loca tinea vberius infeſtata ad quantitatem circiter piſi maioris quauis vice, initio per hebdomadem vnam vel alteram veſperi modo, dein in tenaciori malo etiam mane, inunctionis locum mutando, prout exanthematis reſidui neceſſitas ferit. Nec deſiſto ab inunctione, etiamſi veſtigia quaeuis mali diſparuerint, ſed continuari eam iubeo adhuc per binas pluresue hebdomades et redintegrari, vtprimum noua indicia ſeſe manifeſtent. Miratus aliquando fui celeritatem curationis mali, etiamſi per plures menſes durantis,

redeuntibus infantibus breui sanatis, qui antea vix ferri in consortione aliorum potuerant, et nunquam aliquid mali ex inunctione hacce percepi, ratio siue habeatur mercurii ipsius siue pinguedinis illum excipientis. Sed sensim delabuntur crustae, exanthema disparet, cutis fit pura, vt nonnisi squamulae supersint et tandem ad iustum robur et laevitatem peruenit. Sub vsu simul vidi exanthemata faciei crustosa euanescere et glandulas colli tumidas detumescere.

Quanti faciendum hoc vnguentum in scabie a contactu oriunda, et vix alia medela opus saepissime esse, satis notum, vnde et, licet proportione diuersa mercurii dicti praecipitati et pinguedinis, nomine vnguenti ad scabiem ZELLERI, in officinis Germanicis obuium est. Miror vero, quod WERLHOFIVS *c*) de tuta efficacia eiusdem in scabie tam ipse persuasus, quam aliis innumeris persuadens, ne verbulo quidem vsus eiusdem in tinea meminerit, nec, etsi in commentatiuncula sua mercurii meritum in vniuersum in variis chronicis cutis exanthematibus agnouerit, in quorum numero et tinea venit, de vnguento tamen hocce in tinea applicando nihil memoriae prodiderit. Attamen BOERHAAVIVS *d*), qui probe nouerat, conuenire in cutaneis morbis (ea proportione, vt mercurii praec. albi $\frac{1}{12}$ vnguenti efficiat), illud non solum in scabie

c) *Comm. Nor. 1735. p. 100. sqq.*

d) *Chem. T. 2. Processs. 196.*

bie sed et vlcerosa facie et vlceribus cacoëthicis tanquam optimum remedium proposuit. Magis rem ipsam tetigit LENTILIVS *e*), iuueni cuidam, tinea afflicto, vnguentum contra scabiem offic. etsi nonnihil mixtum capiti illinendum suadens. JO. HENR. LANGE *f*), sane non contemnendus scientia, dum viueret, medicus, solitus est huic vnguento oleum tartari per deliquium admiscere, sub qua forma non ad scabiem modo sed et ad tineam et vlcera sordida efficax deprehendit. Contra vlcuscula cutis scabiosa, et madorem pone aures apud infantes probauit vnguentum dictum, etsi parciori quantitate mercurii praecipitati albi instructum, cl. CHALMERS *g*), contra tineam autem mercurium viuum addidit, vna fonticulos in brachio parans, aluum purgante repetito eluens et aquae calcis potum iniungens (hunc quidem sine dubio ad infringendum acidum, quod fauere malo existimat). Mihi quidem pluries simplex dictum vnguentum satisfecit.

Iunxi vero purgantia, dosi largiori bis per hebdomadem data ex radice Jalappae, cum sale medio contrita, vel et sale mirabili solo aqua soluto. Caput bene obtegendum curaui, quo diaphoresis aleretur, et munditiem in velamine capitis mutando et crinibus pectendis sedulam inculcaui.

 Diffuasi

e) *Miscell. med. pract. p. 107.*

f) *Miscellae veritates med. Fasc. I. p. 6.*

g) *Account on the weather and diseases of South-Carolina, Vol. 1. p. 96. sq.*

Diſſuaſi porro ſeuere eſum carnis et pinguedinis ſuillae, quem victum mirifice in cutaneis morbis nocere perſuadeor, et quamcunque ventriculi nimiam repletionem.

§. 14.

Pro debellanda autem tinea fauoſa ſiue fauo nimis imbecilles ſunt hae ſuppetiae, cuius rei fidem faciet hiſtoria, quam iam proponam. Continet exemplum obſtinatiſſimi contra alia multa efficacia remedia interna pariter ac externa, nec parum moleſti mali, ſed per ſimplicem tandem medicinam breui et cum conſtantia ſublati.

Correpta hocce puella fuit per plures annos, primaque in illa ſeſe exſeruerunt veſtigia iam ipſo lactationis tempore, efflorescentibus partim ſquamoſis partim cruſtoſis exanthematibus in capite, et hinc inde in facie. Ex parentibus nulla in illam cacochymia tranſmanare poterat, quum hi ſaniſſimi eſſent, nutricum vero illud vitium fuit, quod vna nimis parcum lactis prouentum experiretur, hinc dimiſſa, altera ſubſequens pallidam ſemper faciem prae ſe ferret, cuius proprius infans, lac iam ex alius foeminae mammis ſugens, tinea diriſſima, cruſta alba totum caput obueſtiente, laborabat. Quod poſtea de ea conſtitit veneris multiuagae exercitium ſuſpicionem mihi initio iniecit, fomitem venereum ſubeſſe, hancque auxit incrementum vitii inſigne, vt quod in totam capillatam partem capitis foediſſimo aſpectu et foetore ſeſe ſparſit, licet,

licet, quicquid ad munditiem conducere poſſet, ſedulo obſeruaretur. Principio veri faui non adfuerunt. Hinc cum mitioribus initium factum, quae praeterea tenella aetas ſuaſit. Et praeter rhabarbarina et magneſiam aliaque antacida, iuncta cum victu animali, ſubſtiti in applicatione foliorum Betae rubrae vel Braſſicae malleo nonnihil conquaſſatorum, quae folia ſemper eam efficaciam praeſtitere, vt ſub inſigni capitis madore cruſtae emollitae vel ſponte ſeſe ſepararent, vel ope pectinis auferri poſſent, vt adeo ad ſpeciem ſanatum eſſe vitium videretur. Aſt foliis iſtis per aliquot dies neglectis eadem foeditate recruduit, quod poſtea pluries expertus ſum, et nouas ſenſim vires colligens in verum fauum tranſiit. Non inficior, me nondum diſcedere ab opinione fomitis venerei latentis potuiſſe, vnde puellae iam bienni per plures hebdomades poſt varia interualla relicta commodam doſin pulueris alterantis PLVMMERI ingeſſi, in quem tanto confidentius incidi, quum et in porrigine capitis aliisque cutaneis vitiis item in reliquiis venereis a PLVMMERO *h*) depraedicetur, imo in tinea chronica achoribusque et ſcrophulis ab HVGONE *i*), ſuffragante, vt videtur, ipſo WERLHOFIO. Vim huius remedii antiuenereain autem ſeriora quaedam experimenta in dubium vocant *k*). Quicquid ſit, nec

Q 3 hoc,

h) PLVMMER in *medical Eſſays et Obſerv. Vol. I. p. 46. ſq.*

i) WERLH. *Oper. Ed.* WICHM. *p. 665.*

k) TODE *med. chir. Bibl. T. I. p. 204.*

hoc, quod ſubinde puella euomuit, aliquid ad levandum malum efficere potui, nec vberiori potu ptiſanae ex radice Chinae et Bardanae loco potus conſueti. Spem tum in vſum vini antimonii Huxhami conieci, iuncta inunctione vnguenti dicti ex mercurio praecipitato albo, in quo connubio per multos menſes accurate perrectum eſt. Sed tenaciſſime malum continuauit ſub ſumma ſpurcitie, animalculis aucta, et foetore intolerabili. Subſtiti igitur inter crebras alui ſubductiones in commutatione dictorum remediorum, quae, dum nouaretur, aliquid plerumque leuaminis attulit, quod praecipue de impoſitis foliis Betae vel Braſſicae valet. Sed quale ſolatium ſub tanta inconſtantia! et durante iam per annos malo et autumno hiemeque ingraueſcente. Quum iam fere quinquennis eſſet puella, legens de curatione felici tineae, quam cl. DVNCAN *l*) mercurii ſublimati et dein aeruginis cauta applicatione, interpolatis purgantibus ſe perfeciſſe narrauerat et multis ſpecioſis argumentis in libro paullo ante edito commendauerat, iſta medicamina arripui, tanquam ſacram anchoram. Nimirum ſolutione ex mercurii ſublimati corroſ. grano vno et aquae fontanae vnciis duabus micam panis humectat, et hoc cataplaſmate partes tinea affectas obtegendas curat, repetens illud ter per hebdomadem. Hoc conſilium d. 13. Apr. a. 1779. primum ſequutus iam tertio die eam efficaciam percepi, vt loca varia capitis, cruſta antea ſicca denſa obtecta made-

l) *Medical Caſes and Obſervations, Ed. 3. p. 197. ſqq.*

maderent, et, quum pultem auferre miniſtrans conaretur, ſimul cruſta tineoſa tolleretur. Hic ipſe mador ſubſequente tempore pluribus in locis applicationem excepit, ſed in ſeparatione induratae paſtae multum difficultatis ſubfuit, quum puls tam firmiter pilis adhaereſceret, vt illi auferendo pultem euellerentur. Laxior quidem ſenſim horum inſertio euaſit, ita vt bulbilli pilorum hinc inde coacervatim vna cum ſicca pulte haud aegre poſtea auferrentur, ſed ſemper dolor intenſus hancce ſeparationem comitabatur. Idque et contigit praeciſis licet antea capillis forcipe. Praeter hocce incommodum illud haud exiguum adfuit, pruritus veſperi praecipue moleſtiſſimus, ad quem mitigandum ſcalpendo ipſum ſanguinem aegrota euocauit, ſuccedente doloris tormento grauiſſimo. Patienter tamen inſiſtere huic medelae generi auctor fui, quum plura capillitii loca ad ſpeciem iam integra eſſent, animalculorum crebra pullities necaretur, et hilaritas mentis cum cibi appetitu rediret. Spem inprimis incuſſerunt ea loca, in quibus bulbilli pilorum exciderant; credidi enim effectum eundum futurum, qui emplaſtris piceis adſcribitur. Verum vidi loca, quae antea apparebant ſanata, vel ſquamas iterum et furfures concipere, vel et valde madere; et licet hactenus ab hac redeunte labe liberae eſſent aliae plagae, in quibus bulbilli pilorum eradicati: eiulatus tamen miſerandi, quos puella ſub quauis noua ſeparatione pultis edebat, me poſt integrum menſem permouerunt, vt vnguentum ex aeruginis drachma dimidia et axungiae porcinae vnciis duabus,

quod cl. DVNCAN *m*) pariter vesperi et mane ad drachmam dimidiam inungendum, casu singulari ductus, suasit, inde a d. 13. Maii substituerem. Quum agendum mihi cum infirma puella esset, semel modo per diem inunctionem administrandam iniunxi per quatuordecim dies, eo effectu, vt crustae emollitae vel sponte vel pectinis ope sine bulbillis capillorum soluerentur, et tandem nonnisi cutis rubra tenella sed non madida cerneretur. Experiri iam volui, an haec sanatio constans esset; vnde alternis diebus modo, nonnunquam longioribus interuallis inuncta aerugo: sed reuertit paullo post malum, primo squamis distinctis dein crustis albis, vt iterum ad quotidianas inunctiones recurrere opus esset. Continuatae igitur hae per m. Iunium, Iulium, paullo inconstantius per Augustum et Septembrem, dein iterum curatius m. Octobri, quibus rursus coërcita tinea, adiuuante forsitan aestatis beneficio et vsu aëris liberiori. Verum autumno adolescente omnia in peius abierunt. Nempe rediit pruritus, materies grumoso melli similis totum fere capillitium obtexit, plorans sub attritu copiam ichoris, sanguinis vel purulenti liquoris, et ablata hac materie cutis substrata profunde rubra nitensque comparuit, sub minimo attactu sanguinem fundens, accedente squalido animalculorum satellitio. Exanthemata simul sub habitu cachectico in facie et praecipue ad pinnas nasi eruperant, crustas crassas brunas formantia, quibus delapsis maculae

m) *Loc. cit. pag.* 199.

culae rubrae ſucceſſerunt, vel hodierno die ad pinnas naſi ſuperſtites. De nouo igitur medio m. Nouembri, inter vſum vini antimonialis, pulte, ſolutione dicta mercurialis madida, obtegi caput iuſſi, eodem initio ſucceſſu, quem ſupra expoſui, itidem eodem doloroſo ſenſu, quoties ſicca puls auelli deberet. Quum ſenſim tota cutis eradicatis bulbillis capillorum grate roſea et munda conſpiceretur, me tandem voto potitum fuiſſe ſperans abſtinui ab externis quibusuis et in vini antimonialis continuatione et alternis purgantibus, quibus per omnes haſce curationes vſus ſum, vnice acquieui. Verum me iterum deludi hac ſpe iam hebdomade poſt cognoui, quippe maculis flaueſcentibus deſcriptis, in locis antea ſaniſſimis, comparentibus, quae ipſae initio magnitudinem aciculae prae ſe tulerunt, dein ſenſim latiores, quarum contenta grumoſa materies vngue facile eximi poterat, relicta fouea humida non cruenta. Idque contigit locis, vbi ne minimum quidem veſtigium ſuperfuit pilorum vetuſtorum, licet hinc inde noua pubes prorumperet.

Non nouitas rei, ſed inſignis fiducia, quam in narratione ſua declarat cl. DVNCAN, me ad tentandum mercurium ſublimatum corroſ. allicuit. Nam vt ne de variis cutis vitiis, tineae quodammodo affinibus et absque cauſa venerea grauantibus, dicam, in quibus praeparati huius mercurialis vel ingeſti vel applicati efficacia explorata, quor-

ſum ſcabies tam ſicca quam humida, herpes, lepra Arabum, purpura chronica, vlcera varii generis *n*), cancer ſanabilis *o*), vim, quam illi in tinea ipſa varii adſcripſerunt, iam ſatis cognoueram *p*). Et abſtergens et cathaeretica virtus aeruginis notiſſima facile ſpem poterat excitare cuiusdam in tinea praeſtantiae, vel ei, cui ignotum eſſet, variis vnguentis olim contra tineam tritiſſimis admixtam fuiſſe *q*). Sed quum hi omnes vocem tineae absque deſcriptione mali adhibuerint, dubio adhuc locus eſt, an fauoſam intellexerint, de qua ambigo, an vnquam hiſce ceſſerit. Certe nunquam in poſterum adducar, vt ſolutionem iſtam mercurialem pultis forma a cl. DVNCAN commendatam applicari curem, quae ipſa vel applicanti ſummam moleſtiam creat, adeo vt dum eandem auferat, ipſis ſuis vnguibus haud ſine dolore vim inferat. Inconſtantiam effectus mercurii ſublimati in lotione reprehendendi cl^mo^.

MOHREN-

n) V. de hiſce caſus varii medicis Argentoratenſibus obvii in J. MICH. HOFFMANNI *Diſſ. de mercurii ſublimati virtute in affectibus cutaneis*, *Argent.* 1776. BELL'S *Treatiſe on the Theory and Management of ulcers*, *p.* 298. WHYTT. in *med. Obſ. and Inquir. Vol.* 2. *p.* 213. *ſqq.* GARDANE in *Gaz. de ſanté* 1773. 1774. *p.* 37.

o) STÖLLER'S *Beob. p.* 157.

p) HOFFM. *Diſſ. cit. p.* 31. BELL *l. c. p.* 310. Ill. A ROSENSTEIN (*om Barnſjukd. p.* 485.) in tinea venerea lotioni ex ſpiritu mercuriali SWIETENII vna cum vſu interno mercurialium plurimum tribuit.

q) TVRNER'S *treatiſe of diſeaſes incident to the ſkin* Verſ. Germ. *p.* 363. *ſqq.*

MOHRENHEIM *) quoque caſus ſingularis anſam dedit.

Hiſce dictis igitur repudiatis ad Cicutam acceſſi, cuius quidem praeſtantia in cutaneis multis morbis latere me non poterat, qui, quotquot de ea conſtiterint vires, iam in *Apparatu* meo *medicaminum* r) excuſſeram. Et bene noueram in ipſa tinea iam a perill. L. B. A STÖRCK fuiſſe optimo ſucceſſu praeceptam et in puero quidem tredecim annorum ſic, vt decoctum radicis Lapathi acuti et extractum Cicutae ingererentur s) et totum caput bis quotidie decocto Cicutae lacte parato lauaretur, qua medela inter ſex hebdomades vitium ſanatum; in binis aliis ex eadem matre natis, iam fere a natiuitate turpiſſima tinea et ſcabie foetente laborantibus, ſub connubio interni vſus extracti cum lotione ſaturati decocti Cicutae t), iam quinta hebdomade ſpes curationis abſolutae affulſit. Haec exempla quum me ad Cicutam tentandam compellerent, tum vel maxime id effecit caſus ſingularis a cl. STÖLLER u) memoriae proditus de puella octodecim annorum egena, inde a prima infantia exanthematibus purulentis capitis afflicta, quae periodica incrementa ſub-

*) *Wienerſche Beyträge zur pract. Arzneykunde, Vol. 2. p. 168.*

r) *Tom. I. Art. 100.*

s) *Libell. 2. de Cicuta p. 173.*

t) STÖRCKII *Libell. quo continuantur experimenta, p. 61.*

u) *Beobacht. u. Erfahr. p. 139 ſqq.*

ſubierunt, ſed poſt praeuium purgans, Cicutae extracto ingeſto et cucupha impoſita ex eadem herba aqua cocta et lotione eiusdem decocti intra aliquot hebdomades diſparuerunt. Qua ipſa methodo et plures alios a tinea ſe liberaſſe cl. vir teſtatur. Nec auocari me paſſus ſum minus fauente cl. JO. HENR. LANGE *) teſtimonio, quod efficaciam Cicutae modo ad vim pediculos necandi reſtringit; iſte vero nonniſi folia eius conquaſſata tepide imponenda curauerat. — Die igitur 20. Ianuarii a. 1780. initium fecit aegra mea extracti granis duobus bis per diem forma pilularum captis, et ſenſim aſcendit ad ſcrupulum vnum vsque pro quauis doſi ter per diem ingeſtum. Cucupham quoque herba ſicca Cicutae repletam et aqua coctam die noctuque geſtari in capite iuſſi, et ſub quauis renouatione caput decocto lauari. Primis iam diebus cruſtae ſoluebantur et ad baſin pilorum hinc inde occurrebant abſceſſuli pure repleti, qui ipſi et tum et ſerius crepuerunt digito compreſſi. Inter haec colli glandulae molliter intumuerunt. Verno tempore appropinquante pilulas omitti paſſus ſum, et conceſſi, vt per noctem modo praeuia lotione cum decocto Cicutae ſacculus imponeretur, quum per diem foetor herbae praeſentibus moleſtus eſſet. Hac de cauſa et quoniam in tam longa curatione negligentius nonnihil praecepta data obſeruari ſolent, ſine dubio et ob vetuſtatem et propriam malo peruicaciam, lentior ſanatio contigit. Verum hiſce auxiliis,

*) *Diſſ. Dubia cicutae vexata, Helmſt. 1764. §. 16.*

liis, alternis purgantibus, ſummaque munditie eo peruenit, vt media aeſtate omnia ſere exanthemata diſſipata eſſent et ſine capitis velamine in publica loca prodire poſſet. Autumno deſquamatio cutis facta, crines quoque emerſerunt copioſi, denſi, initio quidem apice ruſeſcentes verſus baſin autem pallido bruni, iam vbiuis probum colorem prae ſe ferentes et egregios cincinnos agentes. Aeſtate in manibus, facie, praecipue autem palpebris copia verrucarum ſeſe exhibuit, quae ipſae in palpebris in lacinias quaſi ſciſſae comparuerunt. Praeciſae, etiamſi notabili a baſi diſtantia, ſanguinem ſuderunt. Quum quaedam in palpebris nimium grandeſcerent, haſce ſetae equinae ligatura ſeparaui, reliquae ſponte pedetentim exaruerunt, ita vt iam ne vlla quidem in manibus, vbi creberrimae antea fuerant, conſpiciatur. Deformitas quoque vnguis ſine vllo externo remedio euanuit.

Ita tandem ſimpliciſſima medicina liberata fuit puella vitio vetuſto et foediſſimo, parentibus et viuido ingenio chara, et iam omnibus numeris ſaniſſima. Cur haec Cicutae in curanda peſſima tineae ſpecie virtus a paucis in vſum conuerſa fuerit, eius non aliam cauſam reperio, quam quod meritis Cicutae laudibus aliae admixtae fuerint ambiguae fidei, quibus adnumeratam et hanc in tinea non mirum, donec experimenta plura errorem conceptum diſpellerent.

Conſe-

Confectaria ex hacce hiſtoria deducere non opus eſt plura, quam quae ipſi narrationi inſperſi. Id modo addo, haud exiguam curationis partem me iudice ſuppurationi enatae deberi, in qua excitanda quantam vim habeat Cicuta, ſatis iam conſtat.

XVII.

DE

TEMPORE
EXHIBENDI EMETICA
IN FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS
MAXIME OPPORTVNO.

DE
TEMPORE EXHIBENDI EMETICA
IN FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS MAXIME OPPORTVNO. *)

Prooemium.

In felici medicamentorum pro tollendis morbis administratione non exacta vnice morbi, quoad speciem, indolem, causam, complicationem, gradum, cognitione opus est, et selectu remediorum commodo, sed dispiciat simul medicus de eorum aptissima dosi, forma, vehiculo, subinde et de idonea miscela et corporis praeparatione. Plurimum insuper refert, tempus ordinemque probe perspectum habere, quo remedium exhibendum sit, non ratione tantum diei habita, sed et decursus habitusque morbi, quum horum neglectu saepe vel iners euadat efficacissima alias medicina, vel loco sperati inde leuaminis morbum exasperet et aegri vitam in periculum coniiciat. Id quum de plerisque valeat medicamentis, tum vel maxime de emeticis, in

*) Dissertatio a. 1782. Gottingae propugnata.

in intermittentibus febribus porrigendis. Mira circa tempus haecce capiendi apud medicos, eosque haud mediocris auctoritatis, obtinet discrepantia. Quam exponere hoc ipso specimine et diiudicare tanto minus dubitaui, quum emeticis in intermittentium curatione rarius carere possimus, et persuasum mihi habeam, aegros bene multos poenas ignorati vel neglecti iusti in emesi cienda temporis luere, ita vt, quae facile alias auerruncari possit febris, pertinaci suo tramite decurrat, vel contra efficacissima alias febrifuga rebellis euadat, imo, irritata male ingesto emetico, in febrem continuam grauem et ancipitem transmigret. Sic non facile vereor, ne quis peritior mihi obiiciat, in tenui me laborasse, quod de vsitatissimo remediorum genere differam. Nam in artis medicae exercitio minus longe interest, medicamina quoad nomen et historiam nosse, quam iustum eorundem vsum et applicationem scire; et idem saepissime in praxi nostra, quod in historia naturali, quin vita communi, contingit, quod in remotiora a nobis studiose inquiramus, quum in iis, quae nobis ante pedes sita sunt, longe amplioris vsus et praestantiae, coecutiamus.

---

§. 1.

Prout ars morbos sanatura in aliis morbis sapienter ciendis praecipue occupatur: ita et natura, quicquid vitii vel stimuli contractum in corpore fuerit, alium

alium morbum suscitando, agitat, subigit, concoquit, mutat, in minus periculosa loca transfert, vel ex corpore eliminat. Hoc beneficium febribus in primis deberi compertum est, quarum e numero et intermittentes sunt. Vnde multa exempla exstant obstructionum viscerum, icteri, epilepsiae, leprae, cephalaeae, palpitationis cordis, doloris diuturni fixi, aliorumque malorum, febre intermittente, praecipue efficaciori ista, quartana, sublatorum. Quis vero hancce naturae prouidentiam tantopere extolleret, quin confiteretur, magis nobis consuli deficientibus conditionibus, quae eiusdem necessitatem faciunt, et praestare, si alia nobis suppetant subsidia, istis a natura suppeditatis tutiora, mitiora, efficaciora, et citius iuuantia. Podagrae, haemorrhoidum, vlcerum in cruribus erumpentium, exanthematum chronicorum, in auertendis dirioribus malis praestantiam facile concedam, modo simul concedas, plena molestiarum, quin cruciatuum esse haecce naturae therapeutica molimina, et saepe haecce ipsa eo vsque cancellos, quibus ea circumscribi optabile esset, transilire, vt remedium ipso morbo atrocius et periculosius fiat. Idem saepe ex intermittentibus febribus redundat incommodum, quae ipsae, dum vitio inquilino, cui superueniunt, tollendo non sufficiunt, hoc ipsum potius vel fouent vel augent; subinde fomitem quiete sua innocuum expergefaciendo, eundem nocendi potestate impertiunt; nec raro frena soluentes, vel causa accedente epidemica vel ex vitio proprio corporis, hoc ipsum per alternas frigoris et caloris vicissitudines

 debili-

debilitant, humores eius attenuant, et liquidiſſimos per ſudores profuſos diffiant, ita vt ad alios concipiendos morbos procliue fiat, quorum indurationes viſcerum, hepatis, nominatim et lienis, hydrops, vulgatiſſimi ſunt, imo nouo paroxyſmo ferociente omnino corpus ſubinde conterunt, et nexu cum anima ſoluunt. Nec haec mala modo ex diuturna febris per plures menſes duratione conſequuntur, verum pauci ſaepe paroxyſmi emaciando corpori, proſtrandis ſub habitu cachectico viribus vel neci inferendae, ſufficiunt, tanto magis, ſi autumno febris grauat, vel ſoporoſi, ſyncopalis, ſudatorii aliusue generis maligni ſit, vel paroxyſmos duplicet.

§. 2.

Non fidendum igitur apparentibus febrium intermittentium blandimentis eſt, ſed, etiamſi ſuffocare eosdem primo ſuo initio imprudentis ſit, ſapientior tamen quilibet tempeſtiue cauſas impugnabit et remouebit, quae illis natales dedere, vel alere easdem queunt, coercebit earundem impetum et durationem, et roborando rite corpori ad rediuiuas inſidias febris auertendas intentus erit. Quomodo quidam tenui diaeta, alii ſudoriferis verſus tempus paroxyſmi exhibitis, alii ſtimulantibus efficacioribus vel per os datis vel extrinſecus applicatis, alii venae ſectione, alii euacuantibus, alii antiſpaſmodicis, opio adeo, alii ſpecificis ſic dictis, quorum pleraque adſtringentis ſaporis ſunt, item ſaepe amaritie iuncti, vt cortex peruuianus, qui primum inter haec locum ſibi vindicat, ad hoſce

ſcopos

ſcopos peruenire annifi ſint, meum non eſt hoc loco exponere. Sufficit indicare, male agere medicum, qui in morbo curando vni modo tramiti inſiſtit, nec medelam pro conditionum, quae in ſpeciali caſu incidunt, natura et varietate eligit, mutat. Hinc ſaepe neceſſe eſt, vt plura dictorum ſubſidiorum in intermittente febre iungantur, quorum quodlibet alias illi tollendae par eſt, imo, vt, febris ipſius quaſi nulla ratione habita, de tenaciori eiusdem cauſa ſubigenda cogitetur, quorſum ſpectat ipſe mercurius, ſi obſtructiones firmiores viſcerum vel glandularum febris cauſa exiſtunt. Ita et frequenter temerario auſu mox ad vſum febrifugorum proprie ſic nuncupatorum acceditur, ſed praemittenda ea, quae auferunt quidquid eorundem effectum retardet vel loco auxilii ſperati nociua eadem reddere poſſit. Multiplicis generis ſunt haecce febrifugorum efficaciae deſideratae impedimenta. Saepe peccat vaſorum ſanguine bono turgentium plenitudo, ſaepe orgaſmus eiusdem nimius, in aliis ſubeſt tenax glandularum vel viſcerum obſtructio, alios vlcus quoddam internum ab vſu horum remediorum arcet, aliis nocent eo, quod febris intermittens in continuam tendat, aliis complicatione febris cum fomite quodam inquilino, vel affectionibus conuulſiuis ſiue profluuiis ſanguineis vehementioribus. Omnium frequentiſſime autem ſordium in primis viis collectarum colluuies grauat, quibus praeſentibus, ſi ad ſpecifica febrifuga confugias, ferocienti febri pabulum addes, haud minus ac ſi ſub ipſo paroxyſmo iſta praebeas. Diluentia

igitur, digeſtiua, reſoluentia, temperantia, depurantia, deplentia, euacuantia, multis caſibus praemitti neceſſario debent.

§. 3.

Ob dictam vero cauſam nullo praeparantium remediorum genere crebrius opus eſt, quam quae vel per os vel per aluum euacuant. Vnde tantum hiſce tribuit medicorum vulgus, vt omnibus fere et ſingulis aegris, ſiue adſint ſiue deſint vera ſordium ſigna, horum alterutrum exhibeant. Quae conſuetudo quam noxia, quam parum fini aſſequendo opportuna, primum trutinabimus. Etenim veriſſimum eſt, innumeris vicibus ſanatas fuiſſe febres intermittentes neque ante nec poſt ſpecifica data euacuantibus ingeſtis. Fac vero haec ipſa ſubminiſtrari abſentibus cauſis, quae ad vſum eorundem inuitant, quin continuari vel tum, quum priora pericula irrita fuerunt, non poſſunt non labefactare et primas vias et reliquum corpus, praeſidia concoctionis ſubuertere, liquidioribus partibus corpus priuare, remanentibus ſpiſſioribus et ſi obſtructiones ſubſunt, hacce iactura easdem tanto magis rebelles reddere et vires ad vincendam febrem neceſſarias ſufflaminare. Quamobrem SYDENHAMVS variis locis intempeſtiuum euacuantium vſum pro cauſa protractae vltra ſolitum terminum et reſuſcitatae febris declarauit, adeo, vt vernales tertianae ſua natura alias ſalutiferae et faciles ſanatu inde in autumnum vsque perſeuerauerint et longioribus et duplicatis paroxyſmis aegros debilitauerint, imo ſecundum

eius

eius obferuationem mania, hydrops, diabetes, mors ipfa eorum abufum exceperint; fubfcribente de noxa fummo BOERHAAVIO. Maxime vero haec ipfa crebro repetita nocent, quando neglectis in principio febribus tumores ex obftructionibus gignuntur, et materia tenax et folutioni immorigera vel in fcirrhos cancrosue tranfit vel icterus niger vel hydrops fubfequitur. Nimirum vita, alias tolerabilis et diuturnior calamitofa fit et abbreuiatur *a*). Aliud, quod ex euacuantibus exhibitis fubinde emergit, hoc eft, quod hifce absque fructu tentatis tempus perditur, alia magis febri vincendae idonea fubminiftrandi; vnde haec ingenium fuum fequens altas radices agit, nec poftea efficaciffimis fuperabilis, fed in fecundarios morbos celeri paffu transgreffura. In ambiguo igitur cafu, quando praecipue euacuandi tempus ob apyrexiae breuitatem arctis cancellis circumfcribitur, praeftat fpecifico purgans admifcere vel fubiungere, quo vtrique fcopo fimul fatisfiat.

§. 4.

Quoniam autem fordium canalis alimentaris primum mentio facta tanquam indicis et monitoris euacuantium adhibendorum: figna earum praefentium fignificare mihi incumbit. Nonnulla eiusmodi funt, vt fuperiora verfus easdem magis inclinare pateat, alia, vt altius easdem defcendiffe cognofcatur. In vniuerfum vitae genus, quod ante morbum

 aeger

a) Vid. DE HAEN *Rat. med. P. II. p. 9. fq.*

aeger geſſit, lautius, vel ex cibis glutinoſis, pinguibus, difficulter concoquendis, conſiſtens, prout ad febres intermittentes diſponit, prauos putridosque ſuccos relinquens, ita ſigni inſtar praeſentis colluuiei haberi poteſt. Sed euidentior euadit ſapore ingrato, vappido, amaro lingua faucibusque muco albido flauo obductis, ructibus nidoroſis, halitu oris ingrato, appetitu proſtrato, nauſea vel vomitione ſpontanea, vertigine tenebricoſa, cephalalgia, anxietate et tenſionis circa praecordia ſenſu. Hiſce animaduerſis in ſuperiori praecipue primarum viarum ſede ſtabulari ſaburram cognoſcimus. Aluus contra obſtructa, tumidus venter, flatus, borborygmi, obtuſus ſed vehemens lumborum dolor, inferiora loca occupare iſtam docent. Non ſemper vero vnice ante febrem haecce congeritur, ſed ſaepe eiusdem ſignis initio vix manifeſtis ſub ipſo febris decurſu colligitur bilis, degeneratione, ſtagnatione circa praecordia, vel commeatu ad inteſtina vberiori, moleſta. Incidunt ſubinde febres intermittentes epidemicae, quae comitem habent eiusmodi bilis vitium, ſub quibus copia bilis viridis, craſſae, tenacis, redundat, nonniſi euacuantibus expedienda. Et haecce quidem quam citiſſime arripienda ſunt, ſiquidem fomes ille non ſolum multa iſta, quae dixi, incommoda parit, ſed febris ipſa, ſtimulo, quem ſuburra parit, et reſorptione eiusdem in ſanguinem, alitur et intenditur. Aliquando natura ſpontaneo vomitu vel alui ſolutione eiusdem partem excutit, quod vero molimen rarius ad eliminandum fomitem efficax ſatis eſt, ita, vt febris nihilo-

nihilominus valide vrgeat et ſtato tempore redeat, ſed viam modo, in quam tendit natura, nobis commonſtret.

§. 5.

Non vero perinde eſt, vtrum ſurſum an deorſum collecta colluuies extundatur. Verum quidem eſt, emetica ſimul aluum ſemel vel iterum ſoluere, et rurſus materia turgente purgantia ſubinde loco alui ſolutionis emeſin ciere. Aſt' ante omnia ad ſigna nuperius memorata attendendum eſt, ex quibus eruitur, quonam loco colluuies ſtabuletur, vt exinde tanto felicius euerri poſſit. Quo breuiori enim via e corpore eliminetur, tanto melius fine potimur. Vnde quidem generatim eluceſcit, vtrum emetica an purgantia eligere conducat. Emetica nimirum conueniunt, ſi ventriculum et ſuperiorem inteſtinorum partem onerari ſordibus ſigna docent, purgantia, ſi id inferius in inteſtinis contingere conſtat. Sequimur in hiſce ſapientiſſimum GALENI *b*) conſilium, qui, materiam turgidam, inquit, quum ad ventriculum repit, per vomitum educere oportet, quum vero vergit ad inferiora, per inferiorem excretionem.

Subeſt et ſubinde neceſſitas vtrumque euacuantium genus, vnum poſt alterum, ingerendi (nempe connubium vtriusque non ſatis ob effectum incertum probo) dum nimirum emetico iam dato reliquiae ſordium adhuc ſuperſunt, quas prae metu,

b) *De arte curandi ad Glauconem Lib. I. cap. 9.*

ne debilitetur corpus emesi continuata, nonnisi purgantibus expellere audemus. Sunt omnino conditiones praeter dictas, quae emeticorum vsum dissuadent, et purgantibus praerogatiuam assignant. Exstant scilicet homines, quorum ventriculus tam sensilis est, vt ab emetici vel minima dosi oblata mox in spasmos horrendos coniiciantur. Aliis ob vitium pulmonum emesis non tuta est. Obstat quoque inflammatio interna febri, vt nonnunquam fit, adsociata. Nec concedi potest, manifesta viscerum obstructione cum obduratione et tumore horum praesente. Omnium, quantum scio, accuratissime ex sua experientia cl. GRAINGER *c*) momenta ista significauit, quae catharsin emesi in febre intermittente praeferendam iubent, quae ipsa fere sequentia sunt: quando aluus constipatur, flatus cum borborygmis vrgent, lumbi dolore vexantur, aeger emesin auersatur vel ferre nequit, hypochondrium tensio dura et hepar vel lienem obstructio obsidet, paroxysmi nimis frequentes sunt morbusque inueterauit, intestina denique vermibus scatent, qui ipsi hospites subinde febres hasce generant vel sodalitio suo grauiores reddunt et anomalas, vnde iisdem excretis febris ipsa vel silet vel mitescit. *d*)

§. 6.

Dabo hisce casibus praeferenda esse purgantia, sed vbiuis praestare emeticis et horum vices agere,

CLEGHOR-

c) *Hist. febr. anom. bat. p. 91. sqq.*

d) V. hac de re VAN DEN BOSCH *Hist. const. epid. vermin. p. 71. sqq.*

CLEGHORNIO *e*) concedere non possum, contra cuius argumenta postea insurgam. Vniuersalior longe est virtus emeticorum, quam purgantium, vt quorum posteriorum efficacia, nisi de fortioribus sermo, quae tamen in intermittentibus merito excludimus, vel de iis, quae in ipsa febre subigenda aliquam vim habent, vnice fere in primis viis subsistit, et sordes praegresso morbo vel sub eodem congestas vna cum hospitibus animatis expellunt. Et si vim in saburra ista eliminanda vlterius consideremus, fatendum multo promtius illam efferri emetico quam purgante, modo mobilis ista sit; quodsi autem tenacius adhaeret, emetico refracta dosi erogato finem assequi iam nouimus. Haec ipsa effectus promtitudo non parum aegrum solatur et febris vim frangit, ita vt molestissimas nauseas, vertigines, cephalalgias, deliria, excitato sub febre vomitu, momento quasi fugatas obseruauerim, et paroxysmum tam breuiorem quam mitiorem euasisse. Efficaciorem quoque longe effectum debemus emeticis concussione, quam in neruos, vasa, viscera, liquida, exserunt. Motum peristalticum intestinorum non sursum vnice sed et postea deorsum emesi validius vrgeri ex solutione subsequa alui intelligitur. Quicquid in ventriculo et duodeno et forsitan altius in intestinis continetur, extunditur. Bilem praecipue, cuius potentiam in cienda febre intermittente supra commemoraui, emeticum longe melius expedit, quum sub eius actione hepar quasi in prelo sit et bilis ipsa repetitis

et

e) *Obseruations on the Diseases in Minorca, p. 184.*

et alternis agitationibus attenuetur et expellatur; excretorios ſimul ductus bilis et pancreaticum efficacius emulget. Agitatis vero viſceribus abdominis et thoracis in hiſce circuitus humorum liberior ſuccedit, partium elater intenditur, et ſecretiones omnes leuantur. Ad ſtagnationes igitur et obſtructiones vel ante febrem enatas vel praeſente iſta contractas diſſipandas non parum emetica conferunt. Maxime autem ratio habenda ſtimuli et concuſſionis, quam ipſum neruorum ſyſtema experitur, quibus vellicatis, quantum ſit in vaſa et liquida eorum contenta imperium, multis aliis documentis comperimus. Elucet iam, cur non aeque feliciter euacuatione per aluum, quantumuis larga, ſcopum attingamus. Imo experientia edocemur tam in febribus quibusdam intermittentibus epidemicis *f*), quam in ſingularibus caſibus, vſum purgantium retardaſſe potius ſanationem quam adiuuaſſe, quum contra ea emeticum paullo poſt captum abbreuiauerit paroxyſmum ſubſequentem et vehementiam eius minuerit, vt maturius longe ad febrifuga tranſire licuerit. Exſtant aegri, in quibus ſolo emetico vno veluti ictu ſublata fuit febris. Non ea porro debilitas ſubſequitur vſum vomitoriorum ac purgantium, cuius forſitan cauſa haec eſt, quod haec multo plus liquidorum prouocent, cum quibus ſimul diſpendium fit partium nutritioni et robori corporis inſeruientium. Notum quoque eſt, purgante dato reſuſcitari poſſe febres iam conſopitas et redire

f) SENAC *de recondita febr. intermitt. et remitt. natura, pag.* 153.

redire contumaciores, dum per breuius modo tempus cessauerant *g)*.

§. 7.

Si haec, quae de praestantia emeticorum ex experientia et argumentis protuli, auctoritate medicorum magni nominis corroborare opus esset, haud pauci produci possent. GALENVS in curatione febrium intermittentium emetica impense variis locis commendat, adeo vt in febre notha multos memoret solis vomitibus statim fuisse sanatos *h)*. Eodem sermone vtitur AETIVS *i)*, item PAVLVS *k)*. CELSVS *l)* in eo ASCLEPIADEM reprehendens, quod in curatione tertianae febris aluum primum duxerit, postea vomitum mouerit, obuersa ratione procedi iubet. Illuuiem in ventriculo, mesenterio, cauo hepatis contentam aliquando purgantibus per inferiora deturbari non posse, etiamsi pluries exhibitis fatetur RIVERIVS *m)*, argumentum inde vomitorii sumendi capiens. Et si ad nouissimos auctores prouocandum, instar omnium esse cll. SENAC et CVLLEN poterunt. Vanus itaque cl. CLEGHORN metus est, ne stimulus commotioque ex emetico subnata nocumentum pariat, inflammationemque viscerum augeat, quam, abludens a vulgaris obserua-

g) SYDENHAMI *Oper. Sect. 1. cap. 5. pag. 118.*

h) *Ars curandi ad Glauc. Lib. 1. cap. 10. item cap. 9. 11.*

i) *Lib. 5. cap. 73. 80.*

k) *Lib. 2. cap. 20. 21.*

l) *Lib. 3. cap. 14. p. 143. Ed.* KRAVS.

m) *Prax. med. Lib. 17. cap. 3.*

ſeruationis tenore, dicit crebro ſeſe aſſociare tertianis, etſi illi facile largieris, tum quando lien vel hepar in putredinem inclinet, emeticis locum non eſſe. Refellitur ſimul multorum tam medicorum quam aliorum ſiniſtrum de emeticis in hiſce febribus iudicium, quod etiamnum ſaepe reſonat.

§. 8.

Hactenus praecipue de vi emeticorum ſordes eliminandi egi, nec, niſi eminus ſerie ſermonis ita ferente, ad alias quasdam eorum vires reſpexi. Conſiderandae igitur hae et reliquae vires curatius. Monuit iam BOERHAAVIVS *n*) de vtroque euacuantium genere, prodeſſe illud, dum ſtimuli inſtar *moueat*, quod ſine dubio ita intelligendum, quod cauſam iſtam proximam, a qua febris exſurgat, euacuans turbet, commutet et quoad partem vel integre deleat, tollat. Qualis iſta cauſa ſit, hactenus quidem nos latet, nec huius loci eſt, varias de iſta conceptas hypotheſes, quarum multae leuioris momenti ſunt, enumerare. Duplex vero plurimum aſſenſum obtinuit, quarum vna haec eſt, quod ex neruis qualicunque modo affectis ſpaſmi generentur, altera, quod fomes quidam peculiaris, quem materiam febrilem vocant, febrem ſuſcitet. Multa ſunt argumenta, quae pro alterutra ſententia militant, quin quaedam exſtant, quae vtrique locum concedunt. Neruos primario pati in febribus intermittentibus ex ſymptomatibus multis, ſub paroxyſmo conſpicuis, elucet, quorſum laſſitudo, debili-

n) *Aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 760.

debilitas, ſenſus frigoris, anxietas, vertigo, cephalalgia, pulſus debilis paruus, ſitis moleſta. Nec nerui modo muſculorum motui inſeruientes afficiuntur, ſed idem aliquando contingit in iis, quibus ſentire modo datum eſt, in quibus ſubinde dolores moleſtiſſimi periodici enaſcuntur. Huis rei exempla hemicrania, item et dolor in neruo ſupra orbitam per os frontale prodeunte, praebent *o*); nec non caſus foeminae, cui alternis diebus dolor oculorum intenſus cum rubedine acceſſit, et alius viri, quem periodice dolor quaſi a calculo corripuit *p*). Porro morbi ſyſtematis neruoſi, vt paralyſes et epilepſia, pluries per febres intermittentes fugati. Et ſaepe animi commotionibus fortioribus, quarum vis in neruos conſtat, nouimus febres haſce eſſe ſuſcitatas. Senſilitas igitur neruorum iuſto maior et morboſa accuſanda videtur. Cum hac vero ſpaſmorum conſuetum ſolet eſſe connubium, quos et ſubeſſe in intermittentibus febribus, indiciis haud obſcuris cognoſcitur. Quid enim pandiculatio, oſcitatio, horror, tremor maxillarum et reliqui corporis, cutis ſub algore anſerinae ſimilis, pallor, vomitus, ictenitius ſaepe habitus, cet. aliud ſunt, niſi ſpaſmorum effectus; vt nihil dicam de horrendis iſtis ſpaſmis, qui ſpeciem malignae febris intermittentis conſtituunt *q*). Iam vero vis corticis peruuiani in morbis

o) V. SWIETEN *Comment. T. 2. p. 534.*

p) A ROSENSTEIN *om Barns Sjukdomar, p. 306.*

q) MEDICVS *Sammlung v. Beob. a. d. Arzneywiſſ. 1. B. p. 24. ſqq.*

morbis neruofis et fpafticis fopiendis abunde explorata eft, quem non amaritie vnice et adftringendi efficacia vim fuam exferere in hifce febribus, ex vfus externi in puluere, vel cataplafmate, vel clyfmate, vel balneo, fimili efficacia, ac corticis ore ingefti, patet. Nec opium tantum in curandis hifce valeret, cuius quidem tanquam febrifugi laus noftro tempore reuixit, nifi plurimam partem virtute antifpafmodica excelleret.

E contraria parte materiae febrili, quam vocant, fiue fomiti peculiari fubtili, non in primis vnice viis, fed et in fecundis commoranti, qua praefente febris durat reditque, fubacta et fubducta autem tollitur, varia quoque funt, quae fauent. Mihi potiffima haec videntur, quod aliquando febris intermittens contagiofa fit *r*), quod fudor erumpens odorem fingularem acidum habeat, quod fudor ad finem paroxyfmi tam falubris fit, vt fi refrigerio vel alia de caufa intempeftiue ceffat vel repellitur, fubfequens inuafio tanto vehementius vrgeat, quo fudore haud exiguam partem huius fomitis difpelli probabile eft.

Quidni vero ad vtramque caufam, et neruofam et materialem, in febre intermittente natales eiusdem referri poffent, ita vt a ftimulo, quem materia quaedam febrilis neruis impertiat, fpafmi demum

r) MARX *Obff. med. P. 1. p. 56.* quod fimile exemplum a me obferuatum narraui in *med. pract. Bibl. Tom. I. p. 669.*

demum in variis corporis partibus producantur. Hi ſpaſmi ſuperficiem potiſſimum corporis occupare videntur, docente aſpredine cutis, pallore earum praecipue partium, quas rubedine alias natura pingit et frigore, quae ipſa ad interiora repulſos eſſe humores arguunt, et languere in cutaneis arteriis iſtorum motum.

§. 9.

Iamiam igitur rectius intelligitur, quomodo emetica ſecundum BOERHAAVII mentem *mouendo* tantum, in febre intermittente leuanda, valeant. Multus eſt ill. CVLLEN *s*) in demonſtrando commercio inter ventriculum et corporis ſuperficiem, et adſtruenda poteſtate emeticorum actionem extremarum arteriarum ſuperficiei corporis excitandi, ſanguinem ad haecce vaſa determinandi, et ſpaſmos ibidem contractos tollendi. Quibus viribus hic conſenſus fiat, mihi perinde eſt, modo certis et indubiis obſeruationibus ſciam, vere obtingere. Memorabile ideo eſt, aquam frigidam in ventriculum ſuſceptam caloris augmentum in cute efficere et ſaepe ſudorem vere pellere, item frigus ſuperficiei cutis admiſſum potens eſſe remedium in excitando cibi appetitu. Id itaque volo, praeter motum, quem agitando corpus et nominatim neruos emeticum exercet (Vid. ſupra §. 6. p. 267.) eximia illud pollere virtute, ſpaſmos a ſtimulo neruis inducto

s) *Firſt Lines of the Practice of Phyſic, Ed. 4. Vol. 1. p. 40. ſqq.*

inducto resoluendi, eos praecipue, quibus cutis infestatur. Haec vis promte sese declarat, nam emetico horroris stadio capto, hoc ipsum abbreuiatur vel cessat, eiusque in locum mox calor succedere solet, sub molliori cutis habitu. Emeticorum, saltim eorum, quibus vulgatissime vtimur, vis antispasmodica vlterius confirmatur methodo, quae recentius inualuit ea tam paruis dosibus in veris et exploratis affectionibus spasticis dandi, vt ne nausea quidem suboriatur.

§. 10.

Verum mouendi haecce emeticorum potestas adhuc latius sese spargit, dum nimirum sudorem pellunt. Haecce mutatio sine dubio ab altera mox dicta sequitur: laxato scilicet cutis spasmo sudor erumpit, licet non diffitear, adiumentum hac in re ferri accelerato per vomitum humorum motu; nam resoluendi spissos et impactos humores efficacia, qua quaedam horum, antimonialia nominatim, pollent, dubito, an intra tam breue temporis spatium, quo in corpore vomentium remanent, in censum trahi possit. Sudor in summum aegri beneficium cedit, siue peculiaris materiae febrilis partem expellat, siue criseos speciem non alia lege, quam in quacunque alia febre, constituat. Et hic modus sudorem pellendi tutior longe est isto, quo vel per multum calidum potum, vel spirituosa, vel aromatica, appropinquante febre oblata, sufflaminare febrem ante solutos prius spasmos ausi sunt, quibus conatibus apud multos febris intermittens in continuam,

nuam, ardentem, irregularem intermittentem, malignam, eſt conuerſa.

§. 11.

Hoc demum haud exigui momenti virtus emeticorum eſt, quod corpus ad vſum corticis peruuiani vel aliorum ſpecificorum praeparent. Quamvis enim multi vel ſolis emeticis ingeſtis per multiplicem eorum effectum iamiam a me recenſitum, accedente beneficio anni temporis, aetatis, corporis vigoris, a febre liberentur: in aliis tamen tenacius longe malum eſt, et iis indiget, quae febri ſpeciatim accommodata ſunt. Ad quae vero non tuto prius acceditur, quam ventriculus et inteſtina a colluuie collecta et officina bilis ab abundante et corrupta bile probe expurgata fuerint. Hae enim ſordes non tantum ſpecificorum virtuti obſtaculum praebent, et temporis, a quo omnia in curatione morborum pendent, diſpendium faciunt, ſed ipſa ſaepe febrifuga, praecipue ſi ex adſtringentium cenſu ſunt, figunt ſordes, et prohibent in damnum, quin interitum corporis, quo minus expellantur. Et prout in aliorum remediorum praeſtantiorum adhibitione alterum alterius adiumento indiget, ita extra dubium eſt, non obſtaculo modo ſordium, quod accuſaui, remoto, ſed et praeuia ſpaſmorum imminutione et expulſione materiae febrilis ſaltim ad partem, exoptatiorem longe curationis per ſpecifica ſucceſſum contingere.

§. 12.

Quodsi igitur tanti momenti tantaeque prae purgantibus per aluum praerogatiuae emetica sint: plurimum refert, vt iusto tempore, ordine, adminiculo, selectu, capiantur. Quorum omnium praecepta dare mearum iam partium est.

§. 13.

De selectu incipiam, in quo hodie ad summam simplicitatem descendimus, ita vt vel in Ipecacuanha vel Tartaro emetico, vel vtriusque connubio, acquiescere soleamus.

Antequam Ipecacuanhae vsus inualeret, Asari radix ea dosi a multis dabatur, quae ad vomitum ciendum requiritur. Hoc emeticum assensum obtinuit RIVERII *t*). Constat quoque febrifugam adeo a quibusdam hanc radicem reputatam, KLAVNIGIO, SCHVLZIO, BEROLINENSIBVS *u*) quibusdam practicis; licet valde mihi probabile sit, euacuando praecipue opem praestitisse. Sed plus fiduciae sibi merito vindicauit Ipecacuanhae radix, huiusque praecipue cortex, vtpote minori dosi efficax. GRAINGERVS *v*) hanc radicem omnibus reliquis emeticis anteponit, ita tamen, vt si efficaciori emetico opus, tartarum emeticum addat, vel hunc in oxymelle scillitico solutum exhibeat. Id habet incommodi Ipecacuanha,

t) *Prax. med. Lib. 17. cap. 3.*

u) *Act. med. Berol. Dec. 1. P. 9. p. 37.*

v) *Hist. febr. anom. p. 83.*

cuanha, quin in quibusdam epidemiis, vt, ſi vomitum non excitet, aluum tantummodo moueat, quod non aeque proficuum eſſe iam dixi; vnde et quo certius ſubuerteretur ventriculus in eiusmodi caſu, tartarum emeticum praetulit SENACVS *w*). Haec conueniunt egregie cum PRINGLEI *x*) obſeruatis, qui ſubinde contrarium effectum ex Ipecuanha contigiſſe queritur, ſcilicet quod ſubſequentes paroxyſmi longiores et vehementiores inde euaſerint, de cuius cauſa ambigit, vtrum inde quod iuſto debilior fuerit, et plus corruptorum humorum in ſanguinem transtulerit, quam deorſum excuſſerit, an aliud quid ſubfuerit; vnde tartarum emeticum adiunxit. Equidem addo, non aeque potentem eſſe Ipecacuanham, ac antimonialia, in effectu ſuo per reliquas corporis partes diſpergendo.

Antimonialia igitur certioris efficaciae ſunt, nec minus tuta, modo rite diluantur. Infuſum croci metallorum SYDENHAMO placuit, cum quo aqua benedicta Rulandi aliis vſitata conuenit. Saepiſſime et chermes minerale felici ſucceſſu SENACVS exhibuit. Praeter tartarum emeticum, in Scotia calx antimonii nitrata Ph. Edinb. *y*) hodie in vſu eſt, quae lentius operatur et certius, ideoque ſudorem aluumque mouet: verum in manu timidi voto non ſatisfacit, in manu audacis damnum af-

S 3 fert

w) *De recond. febr. nat. p. 153.*

x) *Obſervat. on the diſ. of the army, Ed. 7. p. 209.*

y) *Ed. nouiſſ. a. 1783. p. 188.*

fert z). Subſiſtere igitur iuuat in vſu tartari emetici, modo rite praeparatus fuerit, quam artem, quae hodie chemicos tantopere exercet, dolendum, nondum vnanimi conſenſu expeditam eſſe. Cuiuslibet ideo prudentioris medici eſt, ante vſum eiusdem a pharmacopola prius explorare, an acidum tartari cum vitro antimonii, an croco metallorum, an, vt recentioribus quibusdam placuit, puluere Algerotti, debita encheireſi copulatum fuerit, et vtrum cryſtallinam formam illi impertiuerit pharmacopola, an ſola inſpiſſatione lixiuii acquieuerit. Differt enim pro hac diuerſa praeparatione vis vnius eiusdemque doſeos haud parum, quam omnium aptiſſime explorabis cauto in aegris aliquot capto experimento, donec doſis vera tartari emetici, qui in definito pharmacopolio paratur, conſtiterit.

§. 14.

Et haec quidem primaria emetica ea quantitate vel ſerie capienda intelligo, qua vere ventriculus ſubuertatur, etiamſi praeter emeſin aliarum ſimul virtutum ratio habenda ſit. Sed pro vomitu ciendo vel vnam ampliorem doſin exhibemus, qua capta intra quadrantem circiter horae vulgo effectus exſurgit; vel hanc ipſam diuidimus in plures exiguas, quarum ſingula poſt quadrantis horae interuallum porrigitur, donec vomat aeger, niſi prima doſis iam ſufficiat. Galli tartarum emeticum larga copia aquae ſolutum et per exiguas portiunculas hoc eſt cochleatim datum, *Emetique*

en

z) CVLLEN *l. c. p. 170.*

en lavage vocant, licet manifeſtum ſit, iſtos imitatos fuiſſe Anglos, forſitan et Suecos, in Ipecacuanha refracta doſi adminiſtranda tempore priores. Ita iam dudum in eximio de infantum morbis libro Eques A ROSENSTEIN exiguas et repetitas doſes Ipecacuanhae, imo contra intermittentes febres, commendauit. Quod ad methodum priorem, qua integra doſis emetici ingeritur, attinet, negari nequit, ſic valide colluuiem locis ſignificatis collectam excuti, agitari corpus, aluum ſuccedere liquidam, et cutis ſpaſmis relaxatis ſudorem erumpere. Quin, vrgente nauſea, vomituritione, item ſymptomatibus capitis variis excruciantibus, et quando taedet aegrum repetitas doſes ingerere, plenam doſin praefero; prout ſaepe paroxyſmo praeuentum eſt emetico paullo ante capto. Tutius tamen vtimur emeticis partita doſi, quum hominis natura variet, nec ſemper praeuideri poſſit, vtrum ſtimulo vomitorii grauius an mitius afficiatur; ſic et minor omnino corporis concuſſio contingit; ſi tenaciores ſordes ſunt, haſce primis praebiis digerunt, et mobiles fluxileſque reddunt; et relaxando ſpaſmos tanto plus efficiunt, quoniam diuturniorem in corpore moram trahunt.

§. 15.

Maximum autem diſcidium de tempore emeticum capiendi obtinet. Si medicorum artem exercentium et auctorum diſcrepantias inter ſeſe compares, perinde eſſe crederes, praeſente febre an apyrexia vomitum moueas, modo moueatur. Qui

vero tam empirice arte noſtra occupantur, hi non ſolum plerumque ſcopo excidunt, ſed et ſaepe in anceps praecipitant ipſam vitam humanam.

Plerique die vel tempore a febre vacuo aegros emeſi ſubiiciunt, quod tempus ea quidem de cauſa aptius apparet, quod deferueſcente paroxyſmo vires collegiſſe et hinc nouis concuſſionibus ferendis pares videntur. Et hi quidem plurimam partem id vnice pro ſcopo habent, vt corpus ad febrifuga capienda praeparetur. Quum vero tum omnia in corpore plerumque pacata exiſtant, nec natura qua ducendum ſignificet, nec ipſa ſuo molimine vim et effectum expediat, longe maior impetus requiritur pro vomitu ciendo, nec is excitatus ſalutares omnes iſtas et multiplices virtutes praeſtare poteſt, quas ſupra laudaui. Metuendum inſuper merito eſt, ne ſtimulo euacuantis febris ſopita intempeſtiue expergefiat. Pro norma eſſe poterunt egregii quidam aphoriſmi Hippocratici: *Concocta purgare et mouere oportet, non cruda, neque in principio, niſi turgeant a)*; item, *quae ducere oportet, quo maxime vergant eo ducenda per loca conuenientia b)*; et alii plures.

SYDENHAMI *c*) mos erat emeticum praebendi, appropinquante paroxyſmo, tam tempeſtiue, vt officium

a) *Sect. 1. Aph. 22.*
b) *L. c. Aph. 21.*
c) *Oper. Ed. L. B. 1741. p. 86. 310.*

officium suum praestiterit, antequam noua inuasio fieret. Tantoque felicius hic vsus, eo monente, successit, si post absolutam emetici functionem, immediate ante nouum insultum, syrupus de meconio, vel aliud anodynum, ad turbas excitatas pacandas, propinaretur. Anodynum subiunxit prae metu, ne febriles motus iam per tempus sopiti reuiuiscerent, prout et aliis in morbis post purgantia data ad pacandas turbas enatas simili subsidio vsus fuit, vel tum, quum alias meticulosior in opio praebendo esset. Idem consilium arripuit BOERHAAVIVS, ita vt quantum ex silentio eius colligitur, non aliud tempus pro exhibendo emetico admiserit. Hoc sine dubio tempus iis de causis, quas allegat COMMENTATOR, illi arrisit, nempe videri abundantem in primis viis saburram tutius expelli euacuantibus ante paroxysmum, quam vt aeger molestia operantis pharmaci et febre simul affligatur; porro versus paroxysmi tempus tantum materiae febrilis accumulari, vt spes affulgeat fore, vt tum eiusdem bona pars expellatur. Quum vero quicquid argumentorum sit, longe imbecilliori fulcro nitatur, quam quod experientiae superstructum sit: praeter istam, quam a SYDENHAMO et BOERHAAVIO exspectare licet, iuuat istam cl^mi CVLLEN *d*) nominare, qui, emetico plena dosi eo tempore subministrato, paroxysmo praecautum fuisse testis est, prout, concepto contagio et hoc ipso effectum suum exserere incipiente, aliquando febri obuiam emetico itur. Sed quum alios fines haec medela simul respiciat, mouendi

S 5 scilicet

d) *L. c. p.* 165.

ſcilicet et ſubigendi impacta, ſpaſmodicas conſtrictiones ſoluendi, ſudorem pellendi, vereor, ne non tantae tum temporis ſint efficaciae, ac quando mutationes morboſae inciderunt, cum quibus lucta ipſa iniri poſſit. Porro moleſtiam in applicatione facit, quod tempus ingruentis paroxyſmi multipliciter variet, mox praeuertat, vt plerumque fit, mox retrogrado quaſi paſſu, vel quod raro contingit, ſtato typo, niſi in pertinaci malo, ingruat; vnde periodus ſumendi emeticum iuſta difficilius eruitur. Eximie huncce metum confirmat CELSVS *e*); quare eum iam loquentem proferam: *Vbi*, inquit, *incerta tempora ſunt, neque alui ductio — neque medicamentum aliud recte datur. Incertum eſt enim, quando febris ventura eſt: ita fieri poteſt, vt ſi ſubito venerit, ſumma in eo pernicies ſit, quod auxilii cauſa fuit inventum. — At vbi certus circuitus eſt, facilius omnia illa tentantur, quia facilius proponere nobis et acceſſionum et deceſſionum vices poſſumus.* Emetica itidem mox citius mox lentius operantur tam pro natura diuerſa corporis, quam ipſa emetici indole. Ipecacuanha quidem poſt dimidium horae vomitum excitari innuit SWIETENIVS *f*), antimonialibus autem poſt duas modo horas: ſed equidem celeriorem effectum ſemper ex antimonialibus, nominatim tartaro emetico, modo rite antea ſolutus fuerit, percepi, ita vt ex hoc intra horae quadrantem vulgo effectus deſideratus ſubſequutus fuerit.

Sed

e) *Lib. 3. cap. 12. p. 141. Ed.* KRAVS.

f) *Comment. T. 2. p. 547.*

Sed de alio iam difquirendum tempore, ad vomitum prouocandum opportuno, fcilicet fub invafionem ipfius paroxyfmi. Trahi huc aptiffime poffe mihi videtur COI *g*) confilium: *Incipientibus morbis, fi quid mouendum videatur, moue.* Si quis vero nimis generaliter haec dicta arbitretur, en CELSI *h*) verba, qui rem acu quafi tangens, *igitur,* ait, *quum primum aliquis inhorruit et ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam fubfalfam et vomere eum cogere: nam fere talis horror ab his oritur, quae biliofa in ftomacho refederunt. Idem faciendum eft, fi proximo quoque circuitu aeque acceffit, faepe enim fic difcutitur.* Huc et refero magni HIPPOCRATIS *i*) effatum: *Si autem quartana prehenderit, fiquidem impurus fuerit, primum quidem caput purgandum et tribus aut quatuor interiectis diebus φαρμακον διδοναι ανω κατ᾽ αὐτην την ληψιν, (medicamentum furfum euacuans exhibendum eft fub ipfam febris acceffionem).* Quam egregie haec aliaque fimilia priftinae aetatis obferuata congruunt cum recentiorum fummae auctoritatis practicorum experientia. Horum numerum omnino auget THOMSONVS *k*), qui ftudiofius praerogatiuam huius periodi confiderauit. Accedunt cll. GRAINGER, CVLLEN aliique bene multi. Per viginti annos optimo fucceffu fub primum acceffionis initium emeticum obtulit THOMSONVS ea tantum mutatione, vt, fi horror mox fponte concuffio-

g) *Aph. Sect. 2. §. 29.*

h) *L. c.*

i) *De affectionibus L. Sect. 5. p. 520. Ed.* FOES.

k) *Med. Effays and Obferv. Vol. 4. p. 406. fqq.*

cuſſionem validiorem excitaret absque nauſea, tum differret emeticum, donec caloris ſtadio nauſea oriretur. Hocce enim tempore materiae morboſae plurimum ad ventriculum conuertitur et maxime haec eſt fluxilis et mobilis, vt tanto facilius excuti queat. Ita eſſe inde apparet, quod tum temporis dimidia vel duae tertiae doſeos plus efficiant, quam plena doſis eo tempore ingeſta, quo natura quieſcit. Ita ſaepe vel vnico vomitu morbum iugulat, vel, ſi ſuccedat alius paroxyſmus, ſecunda doſi tantopere infringitur, vt vix eiusdem praeſentia compareat. Quin THOMSONO obſeruante aeger ſic tractatus longe minori quantitate corticis peruuiani quam alias ad conſummandam curationem opus habet. Tanto certius vero ſcimus, vomitum excitandum initio paroxyſmi, ſi aeger ipſe tum nauſea et vomituritione corripitur, id quod quidem plerumque fit ſub colluuie bilioſa. Miror igitur maxime, CLEGHORNIVM *l*), qui de intermittentibus febribus egregias alias obſeruationes memoriae prodidit, in emeticis erogandis contra haſce in vniuerſum iuſto timidiorem fuiſſe, nominatim diſſuaſiſſe eorum vſum intra paroxyſmum; rationem addit iudicii ſui, ſcilicet, ne concuſſio emetico excitata, iuncta cum iſta ipſius febris, ſubitaneum malum cieat. Quantopere hoc differt a ſana ratione et a milleſies repetita experientia! ita vt excuſationi huius vituperii hoc modo inſeruiat, quod illi tertianae inflammatione viſcerum ſtipatae obuenerint. Qui caſus ſi incidat, merito ad blandiora pro euacuandis ſordibus

l) *Diſ. of Minorca, p. 186.*

dibus eaque aptiori tempore ſuppeditata et ad aliud curandi genus confugimus. — Vtinam cl. TILLAEVS *m*) in argumento tanti ponderis fuſius recenſuiſſet exempla funeſtiſſimi euentus emeticorum ſub ipſo paroxyſmo ſumtorum, quae refert Stockholmiae obtigiſſe, mortis nempe ex ſubita ventriculi inflammatione violentiſſimae.

Quam maxime autem a dictis temporibus abludit illud, quo mox poſt acceſſionem emeticum exhibetur. Cui tamen pariter quidam, tanquam aptiſſimo, fauerunt, prout non raro in praxi medica fit, in extrema adeo et contraria medicos ferri. Duos modo noui auctores, qui publicis ſcriptis hoc ipſum non commendarunt modo, ſed et reliquis periodis morbi praetulerunt, quorum Eques A ROSENSTEIN *n*) ſine dubio potiori auctoritate fruitur. Hic ipſe ſententiae de materia quadam febrem producente vel alente ſubſcribens, ſudoribus eius magnam partem diſpelli arguit, quos, prout ſub finem cuiusuis acceſſionis extrinſecus in cute magna copia erumpunt, ita et intus emergere copioſius arbitratur. Ne igitur ea vaporum pars, quam exhalant ventriculus et inteſtina vel hepar cum bile, moram trahens vaſis inhalantibus et lacteis reſorbeatur, et in ſanguinem regurgitet, tempeſtiuo emetico excutiendam illam iubet, quo ipſo igitur materiae febrilis bonam partem ſubtrahi arbitratur.

m) Auctor Diſſ. *de varia febrium intermitt. curatione* recuſ. in LINNAEI *Amoenitat. acad. Vol. 10. p. 157.*

n) *Om Barns Sjukdomar p. 311.*

bitratur. Hinc iam poſt primum vel ſecundum paroxyſmum, ferentibus id adhuc aegri viribus, vomitionem praecipit, qua ipſa vel vnica aliquando febris vincitur; niſi haec ipſa ſufficiat, ſubſequente inuaſione iteranda eſt. Iisdem fere, quae dixi, argumentis vtitur, etſi paucioribus mentem ſuam explicat, ad vomitum tempore, inuaſionem proxime excipiente, commendandum cl. COLOMBIER o); nec apparet, illum Roſenſteiniani conſilii cognitionem habuiſſe, et ſola imitatione eius eo delatum fuiſſe. Si theoriae vnice inhiandum, fateor plura huic tempori aduerſari, quam fauere. Vt ne dicam pluribus adhuc dubiis circa materiem febrilem in febribus intermittentibus locum eſſe: videtur, concuſſione corporis ab emetico, eo tempore, quo omnis febris impetus deferbuit, et quo a praecedente horrore et calore virium inſignis iactura facta, naturae ordinem turbari. Nec hoc tempore molimina iſta vomendi amplius adſunt, quae nutum naturae alias indicant, et ipſi vomendi actui ſubveniunt. Facilius tollitur ſcrupulus, ne exhalatio in cauis ab aëre frigidiori ſecluſis contingeret, inde concipiendus, quod ex phyſicis nouimus, vapores aquoſos ſponte non transferri niſi in aërem, frigidiorem illo liquido, ex quo proficiſcuntur. Nam ſubtilis iſte liquor, qui ex extremis arteriarum exhalat, impulſui a tergo vrgentis liquidi obſecundare debet, quod tanto facilius fiet, quum vaſorum capillarium, quibus continentur, attractio hoc negotium adiuuet. Hinc omne cauum humore, perſpi-

o) *Code de medecine militaire, P. 3. p. 88.*

perſpirabili per cutem ſimili, in corpore animali humectatur, vt ne coalitus partium fiat et moleſtia in neceſſario motu, vel contenta doloroſos ſenſus excitent; hinc iſte liquor vitioſe nonnunquam colligitur, quin ſanguis per eiusdem vias nonnunquam penetrat. Sudores vero pelli tanto abundantius emetico ſub finem paroxyſmi exhibito, et conſequenter criſin ſalutarem promoueri, facile eſt ad credendum, ſiquidem impedimenta conſtrictionis ſpaſticae ſponte antea fuerunt ſublata, et in laxam mollem cutem operatur vis emetici ſudorifera.

§. 16.

En igitur inſignia ſententiarum diuortia in diiudicanda aptiſſima ad praebendum emeticum opportunitate. Ne igitur in tanto diſcidio, quo quilibet partes ſuas ſtrenuus tuetur et ſucceſſum propria praxi exploratum pro pignore offert, parum vel nihil referre exiſtimet, quo tempore ventriculus ſubuertatur, vtrum hoc contingat ſub apyrexiam, an ſub paroxyſmum ipſum, vtrum prope initium, an ſub finem eius, adiiciam regulas quasdam, quae ad dirigendum iudicium medici faciant, in quibus tamen, quoniam confectaria fere ex praecedentibus ſunt, breuius me expediam. In qualibet quidem febre conſtat, ſordibus in praecordiis collectis eius impetum grauiorem fieri, et aduentitia hacce labe decurſum eius alterari, miteſcere autem colluuie ſubducta. Sed quiuis dabit, non quolibet ejusdem tempore absque aegri incom-

incommodo euacuantibus indulgeri posse, et effectum ex hisce speratum pro temporis varietate mirifice differre. Huc spectat aureum HIPPOCRATIS consilium, in curandis morbis, regionis, tempestatis, temperiei, aetatis sexusque rationem haberi iubens. Addo ad peculiarem conditionem cuiuslibet aegri in morbo obuiam esse respiciendum, nisi vel hoc ad temperiem COVS retulerit. Pro filo temporis eligendi emeticum esse debet tum ipsum naturae molimen, quod natura in febribus saepe declarat, tum et scopus varius, quem emesin excitando nobis praefixum esse supra innui. Quocunque tempore, vi morbi non vitio corporis, ea signa sese efferant, quae materiem turgere in primis viis idque sursum indicant, non differendum emeticum est, vt quod tum et blandius et efficacius operatur, natura scilicet indice et adiutrice. Si hoc contingit sub initium paroxysmi, tanto inconsultius esset, fato aegrum per duodecim, octodecim pluresque horas relinquere et exeunte tantum paroxysmo vel interuallo emesin ciere, quum huius ope dirae cephalalgiae, deliria, nausea, vomitiones, confestim saepe cessent, caloris subsequentis ferociae praeuertatur, et pabulum ipsi febri subducatur. Si vero saburra ista non turget, tum temporis festinare non opus est, sed potius emeticum ad apyrexiam et quidem ad definitum a SYDENHAMO tempus differendum, quo aegro concedatur vires colligendi copia. In febribus intermittentibus, quarum colluuies manifestior in primis viis collecta, biliosa praecipue,

haec

haec quantocyus excutienda, siue paroxysmus adsit siue desit, quarum e censu sunt multae epidemicae febres, item endemicae variae, nec non febres primo autumno incidentes; quo diutius exspectes, eo magis debilitatur aeger tam a morbo, quam ab emetico serius exhibito, et eo magis febris alitur. Si potior vero finis is est, vt sudoribus expellatur fomes febrilis, patet Rosensteinianum consilium dandi emeticum sub finem paroxysmi esse optimum. Ad spasmos dissipandos, quas subesse constat, confert praecipue emeticum parua et repetita dosi sub ipsam inuasionem febris ingerere.

§. 17.

Haec antispasmodica virtus, vix alia, videtur sese exserere Tartaro emetico vel Ipecacuanha tam minuta dosi praecepta, vt vomitum mouere nequeat; quod vtrumque medicamen alias in morbis omnium suffragio spasticis vtiliter datur, Ipecacuanha nominatim in asthmate conuulsiuo, malo hysterico, tussi conuulsiua, Tartarus emeticus pariter in morbo nouissime dicto; et vtrumque pariter dicta dosi vteri haemorrhagiam sistere valet, malum saepissime a spastica causa oriundum. HEVERMANNVS *p*) dicta exhibuit ea dosi, vt aeger nausearet, scilicet Tartarum emeticum ad $\frac{1}{4}$ grani partem

p) *Bemerk. und Untersuch. d. ausüb. Arzneywiss. Vol. I. p. 36.*

tem in febre tertiana, vel Ipecacuanham ad granum vnum quotidie, ſicque febrem ſopiuit. Recentius cl. WICHMANNVS *q*) febrifugam Ipecacuanhae virtutem ſtabiliuit, eo ordine eam adminiſtrans, quo cortex peruuianus alias ſolet, ſcilicet vt omni trihorio granum vnum eius cum ſacchari vel magneſiae albae ſcrupulo vno caperetur. Sic ſcrupulis eius duobus captis plerumque febris conticuit; recidiuae praeuertit ſcrupulus tertius, inde a die octaua (in tertiana) captus. Roborandi ſcopo aliquando cortex peruuianus ſubiunctus.

§. 18.

Quam varios multoque diuerſos effectus vni eidemque medicinae debeamus pro doſi et exhibitionis ratione diuerſa, vel hocce exemplo palam fit. Sed quum de dictorum remediorum tali doſi hic agatur, qua emeſin vere cient, addi adhuc oportet, quomodo ſubinde praeparari corpus ad emetica debeat, vt tanto facilius, certius et tutius, vim ſuam exſerant. HIPPOCRATIS illud praeceptum „*corpora vbi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet,*" ſequuti *r*) diluentia varia, qualia ſunt decoctum hordei, auenae, radicum farinacearum, vel ſerum lactis, in quibus omnibus parum mellis ſolui poteſt, ſaepe praemittimus, eo fine, vt ſaburra

q) MEYERI *Diſſ. de eximio Ipecacuanhae nec non aliorum quorundam emeticorum refracta doſi exhibitorum vſu, Gottingae.* §. 23.

r) *Aphor. Sect. 2. p. 9.*

burra ſoluatur mobilisque fiat et fibrae relaxentur, quibus ſufficiens expulſio eius tanto minori violentia et concuſſione ſuccedit. Et hac quidem prouidentia praecipue opus eſt in hominibus biliofis, plethoricis, exercitatis, temperie ſiccis. Quibus tenaciores ſordes ſunt, digeſtiuis ſiue ſalinis praeuiis proſpici debet. Aluo vero obſtructa ſiue torpida, e re eſt, clyſmate illam prius ſubducere.

Non parum porro ad blandum et aerumnae expertem operationem emetici facit iuſtum potus moderamen, illud ſcilicet, vt, dum emeticum capitur, non plus bibatur, quam ad deglutiendum illud opus eſt, inſtante et praeſente autem operatione tanto copioſius potetur, et quidem aqua tepida, vel infuſum Theae dilutum, vel infuſum florum Chamomillae, quorum florum vis febrifuga inſuper longe lateque ante familiarem corticis peruuiani vſum increbuit.

§. 19.

Et horum praeſidiorum adiumento vomitio in intermittentibus febribus infantibus aeque ac adultis, foeminis aeque ac maribus, tutiſſima eſt. Vulgaris quidem error eſt, quod plus periculi dato emetico apud infantes ſubſit; verum hi maiori liquidorum copia inſtruuntur, et fibris longe flexilioribus, quam adulti, vnde vel hiſce facilius detrimento emeſis, quam illis, eſſe poterit.

Nec negligenda, ſi opus, vt ſaepe fit, iuſta emetici repetitio eſt, qua omiſſa non mirum, nos voti non compotes ſemper fieri. Neceſſitatem indicabunt ſigna ſupra expoſita. Crebrius hoc obvenit in intermittentibus autumnalibus, in quibus et largior bilis corruptae copia ſtabulari et tenacior eſſe colluuies ſolet. Tempus iterandi hocce medicamen commodiſſimum et ratio ex dictis intelligitur.

XVIII.

VINDICIAE NOMINVM TRIVIALIVM STIRPIBVS A LINNEO EQV. IMPERTITORVM.

VINDICIAE NOMINVM TRIVIALIVM STIRPIBVS A LINNEO EQV. IMPERTITORVM. *)

SECTIO PRIOR.

§. 1.

Stupet vulgus, ſtupent multi ex docto coetu cum eo, copia nominum in re herbaria obviorum, hisque memoriae firmiter infixis totam ſcientiam contineri arbitrantes botanicum ſaepe eum ſalutant, qui vix ſiccandis herbis et dextre agglutinandis aptus eſt, aliumque, cui inter ſtrepentes iocos nomen plantae non illico in mentem recurrit, ad tyronum ſubſellia relegant. Hi igitur ei praeciſe rei in botanice plurimum meriti tribuunt, cui ineſt minimum, quum e contrario ſtirpes, poſt acquiſitam terminorum partium notitiam (ad quam, niſi ludere velimus, breui perueniri poteſt), per ſingulas partes ſcrutari et ex ſyſtemate commodo plantam ignotam eruere primum in re herbaria ſit. Inuentor vero et veteranus in terminis commodis

*) Programmata duo a. 1782. edita.

partium plantarum cudendis, nouo ſyſtemate condendo vel iam praeſtito expoliendo, ſtirpibus ex ſyſtematis fundamento rite nuncupandis, regulis bonae methodi et denominationis ſtabiliendis, nouis ſtirpibus apte deſcribendis, depingendis et collocandis, ſynonymis et iconibus diiudicandis, cognationibus inueſtigandis, abditis vegetationis et propagationis legibus eruendis et phaenomenis ſingularibus indagandis, item hortis botanicis colendis, ſtudioſe occupatur. Carere praeterea exacta cognitione eorum non poteſt, quae ab anteceſſoribus et coaeuis in ſua ſcientia praeſtita fuerunt. Quantum ingenii, iudicii, laboris, induſtriae, patientiae, ad haecce omnia pernoſcenda et procuranda requiratur, et quam perperam ſibi multi, Florae ſacrario appropinquantes, metuant, ne ob memoriae imbecillitatem in limine excludantur, ex dictis facile intelligitur. Non ideo ſperno memoriae alacritatem, ſed vt quamlibet aliam diuinitus menti humanae tributam vim magni facio, et in retinendis iis faciliori opera, quae ingenium botanici excogitauit, inſigne adiumentum praebere, lubens agnoſco. Id modo volo, ſcientiſſimum aliquem eſſe poſſe botanicum, mediocri tamen memoria (qualem e. c. LINNEVM etiamſi flore aetatis conſtitutum in vulgaribus ſubinde ſtirpibus cognoui) inſtructum, nec ſufficere vel feliciſſimam non numeroſis terminis modo technicis, quae partes plantarum et diſtributionem ſyſtematicam ſpectant, ſed tot ſtirpium nominibus, ſecundum ſyſtematum multiplicem varietatem excogitatis, ſeruandis. Syſtematum igitur admini-

adminiculo, quae nomina contrahunt, carere nos nullo modo posse, in patulo est.

§. 2.

Abbreuiauit Eques A LINNÉ mira sagacitate stirpium nomina, non solum eo, quod varietates ad suas species reduxit; sed et eo, quod loco definitionis stirpium, saepe sesquipedalis, quam antecessores vbiuis fere nomini generico attexerant, nomen specificum perperam illam appellantes, duobus modo vocabulis, generico et triuiali, singulam speciem insigniuit. Triuiali nomine vero ille primus ea significatione vsus est, vt eodem breue epitheton generis intelligeret. Quod ad reductionem istam varietatum ad species attinet, negari nequit, illustrem virum aliquando iusto rigosiorem fuisse, et varietates idem ius habere nomina peculiaria sibi vindicandi, ac verae species, quod multis quidem exemplis ipse agnouit. Tanto maiorem assensum plausumque videbatur exspectare posse nominibus triuialibus inuentis, quum iis tam memoriae mirifice subuenerit, quam compendium scriptionis et enunciationis nominum stirpium suppeditauerit maxime egregium. Quis non horreat, vt mox in limine rem exemplis declarem, eiusmodi MICHELI nomen, quale: TRIFOLIASTRVM *pratense, corymbiferum, non repens, humi stratum, alte radicatum foliis subrotundis, alba, falcata macula, vix notatis, floribus minoribus, suauerubentibus, siliquis tetraspermis, superna parte tantum marginatis, semine subobscuro, maculato. Gener. p.* 27. — vel sequens

PLVKENETII: ACROCHORDODENDROS *ſiue arbor indica praegrandis foliis integris, platani fructu verrucoſo minore ſiue fragiformi duro, cuius ſinguli bati ſiue tubercula ſunt capſulae ſeminales; (melius forſan) Arbor indica praegrandis foliis integris fructu rotundo paruo fragiformi e tuberculis capſularibus compoſito. Mant. p.* 4.; — vel illud BREYNII: ACACIAE *quodammodo accedens, Myrobalano chebulo Veſlingii ſimilis arbor Americana ſpinoſa, foliis Ceratoniae in pediculo geminatis, ſiliqua biualui, compreſſa, corniculata, ſeu cochlearum, vel arietinorum cornuum in modum incuruata; ſiue Vnguis cati. Prodr. faſc. rar. plant. p.* 38? et quis non aeque tranquille ad triremes damnari ſe pateretur, quam ad aliquot millena tantae longitudinis nomina memoriter pro lubitu interrogantis recitanda? Verum quidem eſt, paucorum botanicorum nomina ſic dicta ſpecifica ad giganteam iſtam magnitudinem ſuccreuiſſe. Fac vero ea reſtringi ad ſex, imo duas, voces: quanto volubilior eſt lingua in enunciandis nominibus Linneanis: Munchhauſia ſpecioſa, Halleria lucida, Zinnia pauciflora, Büttneria ſcabra, Murraya exotica!

§. 3.

Laudis vero loco, quam hiſtoriae naturalis reſtaurator coarctatione nominum promereri videbatur, eadem opprobria tulit, quibus ab HEISTERIS et SIEGESBECKIIS cumulabatur, dum ſyſtema nouum botanicum condendo a nominibus anteceſſorum deflecteret, non vago quidem et verſatili arbitrio ductus, ſed ipſis legibus, quas diſtributio noua vegeta-

vegetabilium imposuerat, et quarum rationem in *Critica botanica* dederat. Repudiare se vero nomina triuialia tam in vniuersum, quam ista a LINNEO inventa, declararunt auctores vel apertis verbis, in conuicia et cauillationes humiles subinde degenerantibus, vel obstinato eorum in scriptis neglectu, eo tempore, quo ab aliis iam vndique in vsum vertebantur, nec LINNEI definitiones specificae, auctoritatis et intelligentiae causa, omitti poterant. Vtraque ratione aemulus Linneanae laudis, ill. AB HALLER, aduersarium eius se declarauit, qui quavis occasione, nominatim in recensu Gottingensi librorum nouorum (*Gött. gel. Anzeigen*), hocce inventum vituperauit, et in *Historia stirpium indigenarum Heluetiae* fere vbiuis nomina triuialia omisit, quod studio deditaque opera esse factum nec sine omni probabili ratione, ex sequentibus Praefationis *a*) verbis cognoscitur: *Triuialia*, inquit, *quae olim vir clar.* (LINNEVS) *proscripserat et* RIVINVS *satis bona dederat, noua creare nolui, quum nescio quid leviusculi in plurimis mihi videatur, et difficillimum sit, characteristicum aliquid in vnam vocem stipare.* Quod ADANSONIVS, qui pauca in LINNEO aliisque praeter suum TOVRNEFORTIVM laudanda inuenit, improbaverit hasce voculas, non mirum, qui quidem redarguens in iis, quod definitionem specierum non inuoluant, tandem erumpit, hasce neque nouum inuentum, nec rem Botanicae proficuam constituere *b*). Adiutor mihi ignotus in edenda *Flora Aegyptia-*

a) *Pag. 23.*

b) *Familles des plantes, Vol. I. Praef. 129.*

Aegyptiaco arabica b. FORSKÅLII *c*) fluxa appellat haecce nomina et, dum characterem plantae designarint, saepe animum denominatoris et satyram expressisse putat, hinc praetulisse se innuit arabicum nomen, dum planta non obtulerit signa satis manifesta. Cel. olim Helmstadiensium Professor FABRICIVS, qui, HEISTERI etsi successor, LINNEO alias tamen plurimum tribuit, eiusque *Species* vbivis allegauit, omisit haecce nomina in *Enumeratione plantarum Horti Helmstadiensis.* Potiorem locum definitionibus specificis adscribens cl. GERARDVS *d*) exclusit nomina ista, in *Flora* sua, licet vsum eorum eximium non diffiteatur. Omisit quoque ea cl. SAM. GOTTL. GMELIN in continuatione *Florae Sibiricae* patrui sui, sine dubio prae contemtu, quum ipsas adeo definitiones curtas specificas se non amare significet *e*). Mutasse iudicium suum de horum nominum pretio videtur intra biennium cl. REYGER, quippe qui in *Florae Gedanensis Tomo primo* ea expunxit, in *secundo* autem eadem adposuit. Nulla pariter ratione adiecta reticuit ista cl. WVLFF in *Flora Borussica*, LINNEI ceteroquin in genericis nominibus et definitionibus specierum assecla.

§. 4.

Sed non opus est ampliori recensu eorum, quibus hocce LINNEI ausum displicuit. Agendum potius

c) *Praef. p. 19.*

d) *Flora Gallo-provinc. Praef. p. 17.*

e) *Loc. cit. Praef. T. 3. pag. 6.*

potius de aetate huius denominandi ſtirpes artis, diſcutienda argumenta, quae eius dignitatem ſtabiliunt, et inquirendum, quibus contra rationibus ducti alii eandem reprobauerint, tum et tentandum, an regulae quaedam ſtatui poſſint, quae ad nomina triuialia expolienda eaque vſui aptiora reddenda faciunt.

§. 5.

Mirari ſubit, quod, qui deprimere pretium horum vocabulorum annisi ſunt, eadem tamen, anteceſſorum quorundam LINNEI ore enunciata, non mala inuenerint. Lubens dabo, eum non primum hocce denominationis genere vſum fuiſſe, quin ipſe confitetur. *f*) DIOSCORIDEM peruoluens plura documenta duorum modo vocabulorum pro deſignanda ſtirpe inueniet. Exempla ſunto: Ariſtolochia rotunda, longa, Satyrium erythronium, Strychnon (Solanum) Halicacabum, Ampelos (Vitis) alba, Lychnis ſylueſtris, Hieracium magnum, Chamaeleon album. Poſt eum, plures ante LINNEVM auctores idem conſilium ſequuti, exemplis ſtirpium haud raris, quorum quaedam heic deſignare, vt ex corollariis poſtea ſubiiciendis pateſcet, ſuo vſu non carebit. Litteram L. adiungam, ſi iisdem praeciſe nominibus Praeceptor ſubſcripſerit. Huc itaque pertinent:

LOBELII Cotyledon aquatica, Petroſelinum (Bubon L.) macedonicum, Crocus ſatiuus L. Phalangium

f) *Phil. bot.* §. 258.

langium Matthioli, Thlaſpi ſyriacum, Vitis vinifera L. Coris monſpeliaca L. Gnaphalium montanum, Nymphaea alba L. lutea L. Cicutaria fatua, Naſturtium indicum, Tribulus terreſtris L. Phaſeolus vulgaris L. Vrtica romana, Circaea lutetiana L. multaque alia ſimilia huius botanici nomina.

RAVWOLFFII Plantago Catananche, Ribes Arabum.

CAMERARII Scabioſa minor, Plantago maior L. Symphytum petraeum, Amaranthus criſtatus, Perfoliata montana, Althaea thuringiaca (Lavat. thur. L.), Polygonum maritimum L. Saponaria vulgaris, Scrophularia peregrina L. Heſperis pannonica.

CLVSII Verbena ſupina L. Leontopodium creticum, Spartium auſtriacum, Cynogloſſum creticum, Solanum lethale (Atropa Belladonna L.), Apocynum ſyriacum (Aſclepias ſyriaca L.), Narciſſus ſerotinus L. Fritillaria pyrenaica L. Colchicum montanum L. Ornithogalum neapolitanum, Aniſum vulgare, Caucalis maior; Thymbra legitima, Polygala valentina (Coronilla valentina L.), Tripolium Dioſcoridis, Chryſanthemum valentinum (Anacyclus valentinus L.), Tanacetum inodorum, Carduus eriocephalus.

DODONAEI Dipſacus ſylueſtris, Aſperula coerulea, Clematis daphnoides, Angelica ſylueſtris L. Seſeli creticum, Buphthalmum anguſtifolium, Rhus coriaria L. Lilium candidum L. Capparis Fabago

(Zygo-

(Zygophyllum Fabago L.), Ranunculus aquatilis L. Moluccella laeuis L. ſpinoſa L. Trifolium bituminoſum (Pſoralaea bituminoſa L.) Lapathum rubens, Geniſta ſpinoſa, Chamaemelum odoratum.

IO. BAVHINI Nardus celtica, Rapunculus montanus, Foeniculum tortuoſum, Alſine tenuifolia (Arenaria tenuifolia L.), Reſeda lutea L. Millefolium creticum (Achillea cretica L.), Gnaphalium germanicum (Filago germanica L.)

CASP. BAVHINI numeroſiſſima, e. c. Verbena nodiflora L. Valeriana rubra L. Valerianella echinata, Chamaelea tricoccos (Cneorum tricoccum L.), Gladiolus foetidus, Triticum aeſtiuum L. Rubia cynanchica, Galium rubrum L. Valeriana coerulea (Polemonium coeruleum L.), Alchemilla vulgaris L. Cuſcuta maior, Cerinthe minor L. Rhamnus catharticus L. Glaux maritima L. Linaria ſcoparia (Chenopodium ſcoparium L.), Ammi maius L. Sium latifolium L. Alſine media L. Allium ſatiuum L. Dictamnus albus L. Satureia hortenſis L. Origanum creticum L. Orobanche ramoſa L. Alcea cannabina (Althaea cannabina L.) Coris lutea (Hypericum Coris L.), Ariſtolochia maurorum L. Populus nigra L. tremula L. Eupatorium cannabinum L.

RIVINI Periclymenum virginianum, Angelica tenuifolia, Laſerpitium minus, Myrrhis canadenſis, Pyrola minor L. Spartium africanum, Horminum pratenſe, Stachys ſyluatica L. Satureia perennis, Stoechas ſerratifolia,

ratifolia, Lathyrus pratenſis L. Vicia ſepium L. Hedyſarum trifoliatum (canadenſe L.).

TOVRNEFORTII Globularia vulgaris L. ſpinoſa L. Xyloſteum pyrenaicum, Pſeudoacacia vulgaris, Coronilla minima, Marrubiaſtrum vulgare.

RVMPHII Piper longum, Sirum decumanum, Manga domeſtica, Gallinaria acutifolia, Blinbingum teres, Seſamum indicum L. Ariſarum amboinum, Clypearia alba.

Omitto ſimilis tenoris nomina in COLVMNAE, TRAGI, PLVKENETI, RAII, MORISONI, CORDI, ALPINI, BOCCONIS, BONTII, CORNVTI, PISONIS, DILLENII aliorumque operibus, quae ante hanc LINNEI reformationem prodierant, paſſim obuia. Prae ceteris magnae auctoritatis botanicis CLVSIVS, DODONAEVS, CAMERARIVS, BAVHINI, RIVINVS, RVMPHIVS huic compendiariae ſtirpium denominationi indulſerunt; nec plus ſagacitatis in Riuinianis huius generis nominibus reperio, quam in aliis. Rariſſime vero eadem adhibuit TOVRNEFORTIVS. Alio ſubinde artificio ad diſtinguendas ſpecies vſus fuit CLVSIVS *g*), longe minus concinno, ſcilicet per ſolos numeros generico nomini adnexos, e. c. Cytiſus prima, 2 - 7. Conferantur et eius genera Ledon, Allium, Gentiana, Sedum, Sideritis, alia.

§. 6.

g) *Rarior. plant. Hiſt.*

§. 6.

Vtut vero auctores hi de vtilitate breuioris nomenclaturae plantarum persuasi fuerint, vt exemplis numerosis istis constat, nemo tamen ante LINNEVM hocce compendium ad omnes et singulas plantas applicauit. Ast serius ad hanc rem accessit ill. vir, siue aliorum obtrectationes metueret, siue difficultatem in auso perficiendo perspiceret. Nec ante annum 1749, quo Dissertatio, *Pan Suecus* inscripta et ad stirpes vnice Suecicas pecori placentes respiciens, comparuit, haecce nomina adhibuit, quae quidem nec in *Materia medica regni vegetabilis*, quae eodem anno prodiit, occurrunt.

Non tamen ipse satis de eorum dignitate ne anno quidem 1751. *h*) conuictus fuisse videtur, quum forte admitti posse haecce declararet, nec illa iisdem legibus, ac reliqua nomina, de quibus in *Philosophia botanica* agit, submitteret; donec in *Specierum plantarum editione prima*, quae prelo exiit a. 1753. omnes species, praeter definitiones, quae characteres summos continent, eiusmodi nominibus instrueret. Dein et animalia, quin a. 1768. ipsa mineralia, eadem compendiaria ratione designauit. Nemo autem illo maiorem modestiam in re tanti laboris et tantae vtilitatis testari potuit. Quum enim hisce nominibus in *Pane Sueco i*) vteretur, praemit-

h) *V. Phil. bot.* §. 257. qui liber anno dicto euulgabatur.
i) *Amoen. acad. Vol.* 2. *p.* 42.

praemittit, *vt breuitati ſtuderet, neceſſum fuiſſe, adhibere nomen genericum et breue atque minus ſufficiens epitheton, quod tamen ex ipſa Flora* (Svecica) *illuſtraretur.* Et in *Specierum plantarum editione prima k)* ſubiungit verba: „*Caueant autem quam ſanctiſſime omnes ſani botanici vnquam proponere nomen triuiale ſine ſufficiente differentia ſpecifica, ne ruat in priſtinam barbariem ſcientia.* In *altera* eiusdem libri *editione* a. 1762. addit, *mutationem horum licet in melius magis nocere quam prodeſſe.* Itaque ipſe mox initio abuſui huius nomenclaturae apud hoſce praevertit, qui eadem acquieſcendum in determinandis plantis putarent. Et ipſe non negauit, poſſe eorum quaedam reddi magis nitida et exquiſita, quae tamen ſcopo, cur prolata in medium eſſent, ſufficerent. Quis ideo fuit ſcopus, quem LINNEVS iisdem praefixerat? Is ſi recte perpenditur, plurimum controuerſiae ſopitur, quam iisdem enatam vidimus; nam alium finem LINNEVS ſibi hiſce propoſuerat, alium alii. Voluit iſte conſtare illa ex vnico vocabulo, et hoc quidem vndequaque deſumto *l).* Nomina igitur praeſtare vnice voluit, ſimilia quoad ſcopum iſtis, quibus ad deſignandas res in vita communi obuias vtimur, vel ſi malis, titulos differentiae ſpecificae, non vt multi alii voluerunt, differentiam praeciſe ipſam. Nullum aptius vnquam potuit excogitari compendium in deſignandis ſtirpium ſpeciebus, quam hoc, vt, prout nomen generis vnico vocabulo conſiſteret, eadem breuitate et ſpecies deſignaretur.

§. 7.

k) Praef. pag. 4.
l) Phil. bot. §. 257.

§. 7.

Desiderat hanc nominum breuitatem insignis stirpium copia, quam per tot secula humana sagacitas detexit. COMMERSONIVS m) asseuerabat, se in collectione sua herbaria 25000 species diuersas plantarum seruasse, et spem fouebat, fore vt ad minimum quadruplum vel quintuplum huius numeri insuper in telluris superficie detegatur. Superat haecce computatio adeo istam ADANSONII n), in calculis suis alias non parum prodigi, qui 18000 stirpibus iam detectis addi posse 25000 nouas olim inuestigandas sibi persuaserat. Pone vero certiorem calculum LINNEI esse, qui omnes plantas vix numerum 10000 attingere innuit, vel OEDERI *), harum circiter 3000 esse Europaeas: quilibet fatebitur, vel hasce non posse sine dispendio magno temporis significari, siue viua voce siue litteris scriptis id fiat, et memoriam haud parum grauari, si nominibus definitiones vtut breues, vel, vt alii easdem vocant, differentias specificas substituas. Vetuit quidem LINNEVS hasce ipsas vltra duodecim verba extendere, o) nec ille ne tot quidem nisi rarius opus habuit. In breuioribus generibus subinde adeo binis rem expediuit, exemplo Tamaricis (Gallicae) floribus pentandris, Tam. (Germanicae) floribus decandris; Gloriosae (superbae) foliis cirrhiferis, Glor. (simplicis) foliis acuminatis; Moraeae, Exaci, Alstroemeriae, Fuch-

V 2 siae,

m) *Obseruations physiques, par* ROZIER *Vol. 5. p. 107.*

n) *Familles des plantes, Preface pag. 322.*

*) *Elem. botan. p. 338.*

o) *Critica bot. pag. 212.*

ſiae, Chryſoſplenii, Geropogi rel. Merito quoque laudandae definitiones TOVRNEFORTII, HALLERI aliorumque nonnullorum, qui characteres enumerando commodos breuitati tamen litarunt. Sed reuiuiſcunt noſtro tempore hinc inde largiores iſtae ſpecierum definitiones, quales iſtae, quas cel. DV ROY Roſis *p*) tribuit, e. g. Roſae (eglanteriae) calycibus ſemipinnatis, germinibus globoſis glabris, pedunculis petiolisque hiſpidis glanduloſis, caule aculeis ſparſis curuis, foliolis ſubrotundis ſerraturis glanduloſis; vel quales adiutor in edendo *Supplemento Linneani Syſtematis q*) *vegetabilium* Meſpilo ſuo Xanthocarpo, Meſpilo Phaenopyro, Pyro Amelanchier, impertit, quas, vtpote ab ill. Praeceptoris tenore alieniſſimas, repetere piget. Aſt etiamſi hae definitiones ſpecierum ad bina vocabula vbiuis reſtringi poſſent, quod in vniuerſum quidem fieri nequit: per plura millia exempla vni voci parcere poſſe, non parum lucri eſt. Quanto facilius eſt in praelectionibus academicis et inter familiares ſermones indicare, quas intelligimus ſtirpes hiſce vocabulis; quanto commodius eſt, hacce arte ſtirpes citare, dum eorum in libris mentio facienda breuibus; quantum inde redundat leuamen in commercio literarum botanico, dum catalogis centenae aliquot plantae a nobis vel quaerendae vel offerendae ſunt! Et licet in tanto plantarum numero vix vnquam ſperari poſſit, vt quilibet oblatam quamuis ſtirpem mox in qualibet aetatis linea et quouis animi ſiue corpo-

p) *Harbkeſche wilde Baumzucht Vol. 2. p. 336. ſq.*

q) *Pag. 254. 256.*

corporis habitu vel breuibus hisce nominibus nuncupare possit: extra dubium tamen est, subsidium vere magnum ex hisce memoriae in plantis familiaribus sibique magis obuiis suppeditari.

§. 8.

Verum obiicis, spernenda esse nomina haecce ideo, quod characterem stirpis rarius exprimant, vel exprimere possint. Nonne vero tempore, quo lingua quaecumque excogitaretur, perinde fuit, an nomen e. c. capitis cordi, ensis baculo, mensae scamno, tribueretur; et sic de adiectiuis et vocibus plerisque reliquis sentiendum, vsu et consuetudine modo valorem obtinuisse ad id significandum, quod iam significant. Idem obtinet in nominibus, quae vocant, propriis, quae vtrum exprimant notas aliquas in viro, cui eiusmodi competit, singulares, nec ne, parum curamus: ita Fortis nomine subinde insignitur pusillanimis, Magni, qui statura paruus est, Sancti vel Probi, qui latro vel parricida potius esset dicendus, Nigri, xylinis capillis et pallida facie instructus. Si nomen speciei semper characterem plantae prae se ferat, cur non idem desideras semper et vbiuis a genere. Sed quidnam characteristici latet e. g. in nomine Veronicae, Verbenae, Alchemillae, Lini, Allii, Fumariae, Violae? Quid characteristici in Vnifolio DODONAEI, quod nomen et assumsit HALLERVS, licet stirps haec semper duobus foliis instruatur? Vt taceam tot alia genera, quorum formas tamen quilibet exercitatior nomine pronunciato vel scripto sibi repraesentat.

 Cur

Cur igitur in nomine ſpeciei characterem ſeu definitionem vel notas diſcriminis a ſpeciebus congeneribus, abſolute deſideras, quum nomen et definitio ſpeciei duo ſint maxime inter ſe diuerſa. Adſentientem habeo inter alios GERARDVM, *r*) qui *peccant*, inquit, *qui nomina eo vsque producunt, vt confundatur cum definitione nomen et huic tribuatur, quod ſui iuris non eſt.* Neutrum ſuo pretio deſtituitur, ſed alterum absque altero ſubſiſtere ſine defectu poteſt. Non negandum tamen, et multos prioris aetatis botanicos, et LINNEVM praecipue, vtrumque ſaepenumero pereximie copulaſſe, eodem ſucceſſu, quo in plerisque claſſibus vel ordinibus ſyſtematis vegetabilium, quaſi ſe inſcio, naturales cognationes aſſequutus eſt.

§. 9.

Praerogatiua praeterea nomini cuiuis vulgo competit haec, quod promtius longe ideam rei iam perceptae reſuſcitet, quam optima definitio vel deſcriptio, figuram, proportionem, magnitudinem, vſum rel. ſpectans. Facilius longe hominis etiamſi centies viſi imaginem in mentem reuocabis ſolo eius audito nomine, quam ſi tibi per naſum ſuum aduncum, ſupercilia lata, labia tumida, protuberans mentum, capillos nigros, vocem, greſſum, geſtus, rel. deſcriberetur. Ita ſine cunctatione me intelliges, ſi Vaccinii Myrtilli nomine vtor, quum e contrario rei herbariae etiamſi gnarus

r) *Flora Gallo-Prov. Praef. p. 16. Conf.* ſimile effatum OEDERI in *Element. botan. P. I. §. 144.*

gnarus haesitaturus paullisper sis, si eandem vulgatissimam plantam per Vaccinium pedunculis vnifloris, foliis serratis ouatis deciduis, caule angulato, designem, vel, loco Phaseoli vulgaris nominis, eandem stirpem hortensem per Phaseolum caule volubili, floribus racemosis geminis, bracteis calyce minoribus, leguminibus pendulis, tibi significem.

§. 10.

Aliud insuper momentum commendationis nominum triuialium protulit ill. LINNEVS s), quod nimirum differentia specifica, quae olim vicarium vsum tulit nominis triuialis nouis detectis speciebus, addo, vel acriori indagine succedente, mutationi obnoxia sit. — Nonne vero, si characteristica euadant haec nomina, eidem inconstantiae submittuntur, nec fini saepe nisi per tempus satisfacient? Comparentur tantum diuersae editiones vnius eiusdemque enumerationis stirpium, si modo ab auctoribus laboriosis et veri cupidis proficiscantur: quantum discriminis apparet in definitionibus istis specierum, etiamsi nouae species non accesserint! Quin optimus HALLERVS *Nomenclatorem ex Historia plantarum indigenarum Heluetiae* &c. *excerptum* etsi eodem anno edens, quo opus primarium, non potuit a variis mutationibus characterum sibi temperare. Nec eiusmodi mutationes vituperandae, quum in scientia tanti ambitus et tantae difficultatis vulgatissimum istud, "dies diem docet", verissi-

s) *Phil. bot. pag.* 202.

mum ſit, et humana mens nonniſi poſt varios errores verum attingat. Sed, praeter hancce noſtram imbecillitatem, aliam ſaepe neceſſitatem mutandi definitiones iſtas imponit nouarum ſtirpium eiusdem generis detectio ſaltim ad LINNEI mentem, qui quidem ita *t)*: *Qui nouam detegit ſpeciem, addat et non modo eiusdem differentiam, ſed et in congeneri vel congeneribus differentias augeat* (adiicio ex alio fonte), *u) et corrigat, vt diſtinguantur in poſterum ſpecies ſufficienti differentia.*" Fateor poſtulari hic rem grauiſſimam, taedii pleniſſimam, quam praeſtare ſaepe vltra vires vel exercitatiſſimi botanici eſt. Eiusmodi enim emendatio characterum non collatis vnice deſcriptionibus ſed ſaepe ipſis plantis viuis ſedulo inter ſeſe comparatis ſuperſtrui debet, quas quidem conquirendi copia ſaepe nos deficit. Verendum quoque valde eſt, ne crabrones tentatis hiſce emendationibus irritemus. Nec vnquam ſpes eſt fore, vt, qui definitionibus quibusdam annorum longa ſerie receptis aſſueuerint, haſce dimittant noſtrasque emaculatiores praeferant. Hae rationes ſine dubio in cauſa ſunt, cur recentiores quidam botanici ſcientia et felici occaſione in detegendis nouis ſtirpibus inclyti, vt JACQVINVS in *Horto Vindobonenſi*, *Flora auſtriaca* et paſſim in *Miſcellaneis auſtriacis*, item PALLASIVS in *Itinerario*, praeter nomina triuialia, nonniſi deſcriptiones ampliores ſiue, vt cum LINNEO loquar, characteres naturales ſpecierum admittant, omiſſis definitionibus iſtis breuibus

t) Loc. cit. §. *294.*

u) Critica bot. pag. 217.

vibus alias consuetis. Non caret sua molestia haecce omissio, dum ab istis recens obseruatas plantas catalogis inserere volupe est; cogimur enim ipsi ex ampla descriptione characteres primarios eruere, eosque adiicere triuiali nomini, quippe quo solo acquiescere non possumus, id quod vero longe accuratius et faciliori opera ab inuentore plantae praestari potest *).

§. 11.

Varii quidem alii modi excogitari possunt significandi stirpium species, praeterquam triuialibus nominibus. Huc pertinet ille per numeros descriptionibus vel tabulis, quibus depingantur, inscriptos, qua arte nihil noui magis exsuccum, nihil sterilius. Nec sane CLVSIVS, botanicorum sui temporis princeps, ea multis exemplis adhibita reliquum botanicum suum meritum exaequauit. Ductus vel figurae ex chemia vel aliunde petitae aeque parum intelliguntur, nisi praesente libro, qui instar clauis est. Sic et de plantarum per litteras designatione sentiendum, quam quidem se ipsum in codicibus suis manuscriptis in vsum traxisse refert ADANSONIVS *x*) hicque ita, vt in ampliori genere praefixo nomine generico quinque priores species per quinque vocales distinguat, et reliquas consonante cum vocali copulata denotet. Secundum

V 5

*) Subuenit serius ex meis votis ill. DE JACQVIN huic defectui communicatis mecum differentiis specificis pro *Systematis vegetabilium editione 14.*

x) *Loc. cit. Preface pag. 176.*

dum hanc normam quinque priores ſpecies Linneanae generis Sidae (*Spec. pl. p.* 960.) nominandae Sida *a*, Sida *e*, Sida *i*, Sida *o*, Sida *u*, loco nominum Sida ſpinoſa, alba, rhombifolia, alnifolia, retuſa; ſexta Sidae ſpecies (S. ciliaris L.) dicenda Sida *ba*, ſeptima (cordifolia) Sida *be*, vndecima (paniculata) Sida *ca*, decima ſexta (Abutilon) Sida *da*, et ſequentes S. *de*, *di*, *do*, et ſic porro. Huic patellae vt dignum operculum imponatur, age cum auctore *Vocabulorum generum characteriſticorum* Sidae genus *Iâ Wiwîpi y*) nominemus: quis crederet, niſi admonitus, per plantam IÂ WIWÎPI ce Sidam aſiaticam L. intelligi. Quis delectabitur nominibus *Waêſipi* loco Nicotianae, *Ahê Ebharſvi* loco Teucrii, *Sâcnâſqk* loco Scorzonerae, *Sakſâſazk* loco Staehelinae, quibus idem auctor vtitur, licet quaelibet littera notam peculiarem characteriſticam ſtupendo labore reſpiciat. Saepe dolui ingenium quorundam et ferream patientiam in minutiis et rebus vſu omni caſſis collocatam, quae ſi modo ad res generi humano proficuas fuiſſet directa, hi ipſi vtilitate et merito pleroſque longo interuallo poſt ſe relicturi fuiſſent. Loquimur et ſcribimus, vt intelligamur, et cuiuslibet, qui methodum tradit, eſt, eam, quantum fieri poſſit, et facilem et gratam reddere, allicere cultores non repellere, ſtudium eorum inflammare non exſtinguere, quod certe in re herbaria fiet, ſi, loco vocis articulatae, qua brutis antiſtamus, raucos iſtos et hiulcos ſonos excu-

y) *Genera plantarum vocabulis characteriſticis definita pag.* 108.

excutiamus, vel ſigna tantum, quàliscunque generis ſint, adhibeamus, quae ipſa nec imaginationem ſuſcitare nec alere memoriam queunt, ſed ſine libri, quo compárent, perpetua praeſentia nullius omnino vſus ſunt.

§. 12.

Si LINNEI nomina triuialia multos obtrectatores habuerint: non defuerunt e contrario ſummi viri, qui non ſolum ſuis libris eadem receperunt, ſed et filum ab eo incoeptum in nouiſſimas vsque plantas protraxerunt. Nec hoc modo de viris valet, qui ex LINNEI ſchola propullarunt, ſed et de aliis, quos nunquam neque patriae amor, nec ſenſus grati animi erga ill. virum, capere potuit. Et ita quidem botanici ſeriori temporis tantum non omnes, tam in libris quam in commutatione plantarum per commercia facta, absque vllo nationum diſcrimine. Quin ipſi Francogalli, quibus facilius condonari poſſet tepor in LINNEI conatibus approbandis, quod iisdem immortalis TOVRNEFORTII merita nonnihil obfuſcari viderent, haud inuiti haec nomina arripuerunt. Inter hos b. BERNARDVS IVSSIEV potiſſimum nominandus eſt, vtpote qui, in contemplatione naturae enutritus, nihil probare potuit, quod contra naturam eſſet, qui vero numeroſis iſtis plantis nouis, quas, regia munificentia conquiſitas, inter alios liberaliter diſperſit, nomen triuiale concinnum ſuo ingenio enatum adſcripſerat. Nec dubitandum ab eodem cel. viro, qui

qui Aubletianum opus z) pereximium, plantis recens detectis valde diues, expoliuit, multa huius generis nomina fuiſſe profecta. Imo adhuc nouiſſime Elogii in b. LINNEVM maſcula eloquentia concinnati Gallicus auctor *a*), qui quidem varia paullo ſeuerius perſtrinxit in b. viro, quae alius laudaturus fuiſſet, de hocce tamen eius auſo blandiſſime ita iudicat: "*On avoit été jusqu' alors obligé pour deſigner une eſpèce quelconque, d'employer une phraſe entiere: M.* LINNEVS *y a ſubſtitué un adjectif, qui, joint au mot generique, indique le caractère propre et diſtinctif de la plante; c'eſt ce qu'il a apellé le nom trivial. Cette idée l'a conduit à une reforme vraiment utile, parce qu'elle eſt independante de toute methode.*" Imitatus adeo haecce nomina lingua Gallica cl. BARBEV DV BOVRG *b*) multis exemplis, ad Floram Pariſienſem pertinentibus, e. c. Pourpier potager, Bruyere barbue, Bruyere cendrée, Perſicaire amphibie, Linaire rampante, Plantain elancé.

Quicquid igitur fuerit contumeliarum, quibus haec nomina affecta ſunt, eadem illis felicitas contigit, ac ipſi methodo auctoris ſexuali, et cuilibet tandem rei bonae, in vniuerſalem vſum ſenſim tracta victoriam reportarunt, ſilente auctore ad tot conuicia, quo ſilentio magnanimo litigioſis acerbius longe vulnus infliges, quam ſi opprobria lautiſſimo foenore cumulata ſis redditurus.

z) *Hiſtoire des Plantes de la Guiane Françoiſe.*

a) *V. Hiſtoire de la Societé de medecine, Tom. 2. pag. 37.*

b) *Le Botaniſte François, Tom. 2.*

SECTIO

SECTIO POSTERIOR.

---

§. 13.

Ex fupra (*Sect. I.* §. 5.) in medium prolatis nominum triuialium exemplis, quorum quaedam fimul tanquam fpecimina eorum, quibus LINNEVS vfus fuit, confiderari poffunt, cognofcitur, non vnius fed plurium momentorum rationem effe habitam, fcilicet characterum ipfi plantae infcriptorum, quibus vna fpecies ab altera differt, patriae, foli, ftationis, durationis, inuentorum, coloris, magnitudinis partium inter fefe comparatarum vel totius plantae, faporis vel odoris, virium, vfus medici vel oeconomici, proprietatum quarundam, et hiftoricorum variorum momentorum. Non igitur tanquam nomina vaga vel fluxa, pro arbitrio affumta, triuialia fpecierum habenda, fed fupponunt intimiorem plantae denominandae et congenerum cognitionem, et, praecipue, fi characterem exprimere debeant, ingenium faepe haud leue, vt is coarctetur in vnam vocem, quem pluribus alias enunciare opus effet.

§. 14.

Qui anteceffórum LINNEI nomina in vniuerfum cum eiusdem propriis comparet, videbit facile, quantum illi cordi fuerit feruare, quae ab iftis iam fuerant excogitata, modo hocce obfequio ipfi fcientiae vis non inferretur. Haecce eius in anteceffo-

res

res obseruantia enitet quam maxime in nominibus triuialibus recipiendis. Horum quaedam antecessoribus et LINNEO plane communia sunt, vt exemplis superioribus littera L. notatis constat; in aliis ex differentia specifica vocabulum, quod seruari posse visum est, vel immutatum vel sub exigua modo flexione extraxit, e. c. ex Verbena recta canadensi vrticae foliis MORISONI emersit nomen Verbenae vrticifoliae LINNEI, — ex Acino thymi folio et facie floribus inexpansis MORIS., Cunila thymoides L. — ex Hormino aegyptio minimo ramosissimo BOERHAAVII, Saluia aegyptiaca L. — ex Iride latifolia biflora BESLERI, Iris biflora L. — ex Gramine triticeo spica latiori compacta cristata BVXBAVMII, Bromus cristatus L. — ex Pittonia hirsutissima, et ramosissima baccis albis PLVMIERI, Tournefortia hirsutissima L. — ex Iasminoide laureolae folio, flore candido interdiu odorato DILLENII, Cestrum diurnum L. — ex Thapsia latifolia villosa C. BAVH. Thapsia villosa L. — ex Trifolio spinoso cretico C. B. Fagonia cretica L. — ex Viscagine hirta noctiflora floribus obsoletis spicatis DILL. Silene nocturna L. — ex Viscagine hirta gallica, flore etc. DILL. Silene gallica L. — ex Annona vliginosa foliis nitidis etc. BROWNII, Annona palustris L. — ex Lamio garganico subincano, flore etc. TILLI, Lamium garganicum L. — ex Lamio folio caulem ambiente minori C. B. Lamium amplexicaule L. — ex Nasturtio pratensi magno flore C. B. Cardamine pratensis L. — ex Virga aurea altissima serotina, panicula speciosa patula MARTYNI, Solidago altissima L. — ex Populo

gemmis

gemmis balſamum odoratiſſimum fundentibus CATESBYI, Populus balſamifera L.

Sic igitur LINNEVS aequiſſimus omni aetati et nomini ſuum decus conceſſit, nec, meritis propriis ſatis fulgens, opus habuit, vel neglectui vel dirutae vndique et dilapidatae famae aliorum, inſtar doctoris nouitii ventoſi, ſuam inaedificare.

§. 15.

Attamen flexilis ille et obſequioſus Praeceptoris animus huic vitio locum dedit, quod ſubinde nomina triuialia reciperet, quorum in locum, ſuum vnice ingenium ſequens, aptiora potuiſſet excogitare. Et, quum ſemel haecce ipſa iure civitatis donaſſet, ipſe alia ſubinde produxit, quae commutare in melius illi non arduum valde fuiſſet. Verum quum in generibus Proteae, Oldenlandiae, Craſſulae, Meſembryanthemi, Polygalae, Hedyſari, Bidentis, multisque aliis Linneanis is nitor eaque elegantia nominum obtineat, vt non ſolum loco arbitrariae appellationis ſint, ſed et characteres, quibus diagnoſis ſtirpium mirifice adiuuetur, et memoriae ſubueniatur, includant: tentabo, anne, prout iam dudum de nominibus genericis et differentiis ſpecificis plantarum factum eſt, et nomina triuialia regulis quibusdam poſſint circumſcribi. Etenim lacunam, quam obtingere iam a. 1751. LINNEVS ediſſeruit, ſcilicet "*Triuiale nomen legibus etiamnum carere*" *a)* nec ſeriori ſtudio vllus fuit, qui ſupple-

a) *Phil. bot.* §. 257.

suppleuerit. Haecce mihi conanti non scopus est, reformare centena aliquot nomina, quae aetas et vsus familiaris iam auctorauit, multo minus deprimere aliorum botanicorum meritum, quorum nomina a regulis mox suppeditandis discrepant. Sed quum, vt ex superiori (*Sect. I.* §. 7.) calculo constat, spes supersit, vt aliquot millenae stirpes etiamnum detegantur: operae pretium est determinare, quomodo quam aptissime denominari hae aduenae possint. Iuuat et normam proponi, secundum quam diiudicari possit pretium nominum triuialium, plantis hactenus designatis tributorum. In hoc negotio praeuideo, varios canones similes futuros iis, quos LINNEVS in *Philosophia bot.* §. 256. 304. de differentia specifica concinnauit, quoniam haec ipsa a quibusdam vnico tantum verbo significata fuit; hinc breuitati studens rationes quasdam regularum subinde ex dicto fonte deducendas relinquam. Apparebit tamen simul, ab hisce in haud paucis discrepare meum iudicium, et complures alios me interseruisse canones, et argumentis eorum, qui vtrique nostrum communes sunt, nouum ex propriis obseruationibus fulcrum subdidisse.

Regulae vero sunto sequentes:

1) *Nomen triuiale definitionem speciei siue differentiam specificam superfluam non reddit; hinc addenda haecce, quotiescunque opus sit exactius stirpem determinare.* Haec necessitas occurrit in systematica enumeratione stirpium, vel in amplioribus designationibus exoticarum siue indigenarum, in quibus comparatione

tione characterum carere non possumus; item in libris, qui de vsu medico vel oeconomico plantarum agunt, ne lapsu memoriae vel festinatione scriptionis confusio fiat specierum.

2) *Quodlibet nomen triuiale ex vno vocabulo constet.* Requirit id praecipue scriptionis et dictionis compendium. Displicent igitur nomina Chenopodium Bonus Henricus, Nyctanthes arbor tristis, Veronica Anagallis aquatica, Conuoluulus Pes caprae, Ipomaea Pes tigridis, Lysimachia Linum stellatum, Pedicularis Sceptrum carolinianum, Inula Oculus Christi. Commoda contra nomina ex duobus contracta: Clematis Vitalba, Solidago Virgaurea, Aconitum Anthora.

3) *Nomen genericum triuiale praeito, nec ab hoc seiungitor.* Nam idea generis prius exsurgat, sequatur idea speciei. Hinc et eadem nomina triuialia in diuersis generibus ferri omnino possunt.

4) *Imponatur quoque nomen triuiale speciei in genere vnicae.* Vtinam LINNEVS in eiusmodi casu vbiuis praeter characterem, a flore vel fructu petitum, alium etiamsi succenturiatum ex reliquis partibus, vel synonymon commodum, in *Systemate* vel *Speciebus plant.* admisisset, quod ipsum deficientibus praecipue fructificationis partibus insignis saepe vsus fuisset. Egregie hoc quidem praestitum in Aegiphila martinicensi (*Syst. Edit.* 13), Sirio myrtifolio, Bulbocodio verno, Rheedia lateriflora, Muntingia Calabura, Baltimora erecta. Si nomen

triuiale characterem respicit, commodum ex hoc additamento idem redundat.

5) *Optimum nomen triuiale est, quod notas discriminis a speciebus congeneribus includit, siue characteristicum est.* Numero, figura, situ, proportione, hoc nititur. Ita nomen in ipsa stirpe legi quasi potest, et in plantis adeo nunquam antea visis adminiculum exstat. Rarius quidem integer siue sufficiens character vno nomine comprehendi potest, vt quidem in speciebus Phytolaccae: sed iam multum refert, partem characteris hocce expressisse. Nam hoc quoque notitiam stirpis egregie leuat, et memoriae subuenit eximie. Tanto minus integrum et adaequatum characterem vbiuis ex vnico vocabulo exspectare poteris, quum subinde ne differentiae quidem specificae fusius expressae speciebus discernendis sufficiant, sed scrupulum relinquant, donec prolixiorem descriptionem simul in auxilium transferas. Hoc vero subinde obtingit incommodum in epithetis characteristicis, vt supra iam monui, quod nouis speciebus accedentibus manca euadant. Tanto magis in selectu nominum prouidendum, id ne fiat. Quodsi vero factum, meminisse iuuat, posse seruari instar simplicis nominis (Cfr. *Sect. I.* §. 8.), nec spernenda ob vsum, quem nobis aliisque per longum tempus praeterlapsum attulere. Nec ego vel tum auctor essem, vt in melius, nisi summa incideret necessitas, mutarentur.

6) *Praestat* ex horum censu *nomen triuiale, quod et partem indicat, quae characterem efficit.* Hinc laudan-

laudanda nomina Rhamnus pentaphyllus, Campanula heterophylla, Chryſoſplenium alternifolium, Lyſimachia thyrſiflora, Lythrum petiolatum, Actaea racemoſa, Papauer nudicaule, Sida vmbellata, Pſoralea bracteolata, Celoſia trigyna, Tabernaemontana cymoſa, Peplis tetrandra, Panicum diſtachyon, Phyteuma comoſa, Chironia baccifera, Dianthus prolifer, Lycium capſulare, Dolichos biflorus, Tillaea apetala.

7) *Minoris pretii ſunt nomina triuialia characteriſtica, quae partem, quam reſpiciunt, reticent.* Terminus artis, qui nomen horum intrat, ſaepe vnus idemque diuerſis partibus tribuitur, floribus, foliis, caulibus aliisque. Vnde niſi partis ſimul fiat mentio, incerti ſumus, quam praeciſe character feriat; e. c. Stipa ſpinifex, Androſace elongata, Conuallaria verticillata (de foliis), Angelica verticillata (de pedunculis), Amaryllis vndulata item Ferraria vndulata (de petalis), Aſclepias vndulata (de foliis), Swertia corniculata (de corolla), Oxalis corniculata (de fructu), Dianthus deltoides (de petalis), Alyſſum deltoideum (de foliis), Moluccella ſpinoſa (de calyce), Prunus ſpinoſa (de ramis), Dolichos ſeſquipedalis.

8) *Minoris et facienda nomina, quae petuntur a partibus abditis, vel non perpetuis.* Radicum igitur mentio nonniſi neceſſitatis caſu fiat, quae plerumque in herbariis deſunt, nec in recenti planta, niſi iactura ipſius ſtirpis, indagari poſſunt, et ſaepe, vt in tuberoſis, ob ſitum profundiorem nonniſi ope-

rofius euelluntur. Ideo non fatis commoda: Phlomis tuberofa, Erigeron tuberofum, Ophrys monorchis, Glycine fubterranea, Arachis Hypogaea. Facilius probandum nomen Rhizophora gymnorhiza, quod radix terrae fuperiacet. — Nec lignum commode ob caufas dictis fimiles memoratur, e. c. Lonicera Xylofteum, Bignonia Leucoxylon. — Perpetua non eft bulbillorum in caule vel flore praefentia; vnde difplicet nomen Lilium bulbiferum. — Nec maculae foliorum femper praefto funt; minus igitur commode Arum maculatum dicitur.

9) *Praeftantiffimum characterem herba fubminiftrat, nominatim folia; et inflorefcentia; item flos ipfe.* Rem hanc frequentes obferuationes confirmant, quas legere eft in LINNEI *Phil. bot.* §. 278 - 280. Herba ideo quidem praerogatiuam meretur, quoniam per longiffimum tempus adeft. Fructus characterem fpeciei faepenumero praebet egregium, fed exfpectationem longiorem defiderat, et fructus ftirpium calidiorum regionum faepe apud nos non maturefcit. Flos igitur fructui pro denominatione eft praeferendus. Eatenus exempla concinnorum nominum funt: Anabafis aphylla, Staphylea trifolia, Alifma cordifolia, Premna ferratifolia, Telephium oppofitifolium, Zygophyllum feffilifolium, Craffula perfoliata, Cr. nudicaulis, Cr. dichotoma, Ranunculus amplexicaulis, Arenaria trineruia, Conuoluulus reptans, Solanum radicans, Verbena fupina, Anthericum ramofum, Agroftis ftolonifera, Phylica ftipularis. — Scandix nodiflora, Selago corymbofa,

bosa, Adromeda racemosa, Sida vmbellata, Psoralea bracteata, Hieracium cymosum. — Valeriana dioica, Phytolacca octandra, Ph. decandra, Statice monopetala, Celosia trigyna.

10) *Nomina triuialia sunto vel Graeca vel Latina.* Graeca sunt ferenda, siquidem breuitatem commodam admittunt, et ex lingua eruditum decente petita. Repudianda vero sunt nimis longa, et affectationem redolentia, vt ista BELLEVALI *), quae recenset LINNEVS in *Phil. bot. p.* 230. e. g. Cynoglossum alpikochamaiantherythron, Glycyrrhiza macrorrhizopolyschides, Trachelium oreognopycnophyllum, et neotericorum quorundam nomina, quae lexici operosae perquisitioni potius quam ingenio originem suam debent. Quanto elegantiora: Hordeum hexastichon, Riuina octandra, Phyteuma hemisphaerica, Vitis heptaphylla, Scandix trichosperma, Scleranthus polycarpos, Semperuiuum arachnoideum, Euphorbia dendroides. — Latina modo, ob Graeci idiomatis decrescens studium, praeferenda. Hinc et loco heterophylla subinde dicta stirps diuersifolia; loco polyanthemos, multiflora, loco tetraphylla, quadrifolia.

 11) *Si-*

*) Serius videtur a viro meritissimo, conditore horti Monspeliensis, captum consilium characteres specificos nomine graeco ex pluribus vocabulis conferruminato exprimendi; nam in *Onomatologia s. nomenclatura stirpium horti R. Monspel. recens constructi, Monsp.* 1598. quam recusam nuperrime cl. BROVSSONET (*Opuscules de* PIERRE RICHER DE BELLEVAL, *à Paris* 1785. 8.) curae debemus, nominibus vsus est breuibus, nihil horridi vel calamistrati prae se ferentibus.

11) *Simile, vnde diriuentur haecce nomina, sit notissimum*, vt cor (prout depingi solet), serra, lanceola, digitus, vesica, papilio, sphaera, filum, cuneus.

12) *Non debet idea, quam nomen triuiale innuit, aduersari ideae generis;* vt Chrysanthemum Leucanthemum, Sagittaria lancifolia, Parnassia palustris. Quis quaeret musas in ranarum domicilio; in pascuis praeterea satis elatis aliquando Parnassiam reperio.

13) Sunt tamen quoque *nomina quaedam admittenda, quae* quidem *characterem non respiciunt* ideoque in prima indagine suppetias non ferunt, sed recordationem stirpis leuant.

Huius generis est nomen inuentoris, generi additum, vel eius, qui ad propalandam stirpem aliquid contulit. Incitamento haud mediocri inseruit artis cultoribus, si eiusmodi honoris significatione memoria eorum seruatur. Et tanto attentior fit tyro ad stirpem, si nomen ad viri cuiusdam bene de arte meriti notitiam ducit. Laudanda igitur: Cactus Peireskia, Plantago Löflingii, Hieracium Kalmianum, Hyoscyamus Scopolia, Althaea Ludwigii, Malua Scherardiana.

14) *Nomen pharmaceuticum vt triuiale locum habet.* Ita amicum inter Botanicen puram et medicinam connubium alitur, nec tyro cui, si AESCVLAPII castra sequitur, officinales plantae praecipue cordi sunt, opus habet, loco duorum nominum tria memoriae infigere. Huius igitur loci: Oxalis Acetosella, Papauer Rhoeas, Cochlearia Armoracia, Teucrium Marum et centena alia exempla.

15) *Nomen*

15) *Nomen spurii generis, si diu in vsu fuerit, vt triuiale seruari potest.* Sic gratificamur iis, qui hisce nominibus assueuerunt, saluis tamen legibus systematis, quas ipsi sequimur. E. c. Dodecatheon Meadea, Dracocephalum Ruyschiana, Saluia Sclarea, Salv. Horminum, Paederota Bonarota, Verbascum Blattaria, Duranta Ellisia, Robinia Pseudoacacia, Lonicera Dieruilla, Euphrasia odontites, Atriplex Halimus.

16) *Caue, ne prae obseruantia nimia in antecessores ex eorum differentia specifica nomen triuiale minus commodum emergat.* In PLVCKENETI, PETIVERII, BARRELIERI, RVMPHII, RHEEDII aliisque latioris ambitus libris plantae variae memorantur, quae nonnisi recentiori indagine, qua supplentur partes ab hisce omissae, sufficienter cognosci possunt. Praestat hocce casu nomina horum modo instar synonymorum citare, quam vitia incurrere, quae hac scriptione vituperantur, nec, nisi liberum arbitrium in denominando sit, vitari possunt.

17) Quanto digniora sunt nomina, notas in ipsa stirpe obuias includentia: tanto *minus imitanda ea, quae conditiones modo extra stirpem positas, sed cum eadem quodammodo nexas, spectant.*

Aegrius igitur *probanda nomina a patria stirpis petita.* Nam stirpi patria nulla certa nota inscripta est, multis regionibus stirpes communes sunt, et itineratorum quoque studio deteguntur saepe stirpes, vbi antea non visae, et transmigratione improuisa in aliena saepe loca transferuntur. Nomina haecce insuper errores in cultura cient. Vulgares

 iam

iam ſunt ſtirpes, in Germania Erigeron canadenſe, in Anglia et Noruegia Tamarix germanica, in Gallia Meſpilus germanica, in Finnia Aſtragalus vralenſis, in Zeylona Acalypha virginiana, hinc inde in Germania Iris ſibirica.

18) *Nec ſoli nec ſtationis mentio nomen triuiale ingrediatur.* In ſolo et ſtatione ſaepe diuerſiſſimis ſatis commode degunt plantae, nec niſi rarius detegi haec poſſunt inſpecta planta. Colligitur hinc, quid ſentiendum de nominibus, ab arena, vligine, montibus, pratis, campis, agris, alpibus, muris, rupibus, littore, vmbra rel. petitis.

19) *Tempus florendi excludatur merito a nomine triuiali.* Hoc quidem, vt alia quaedam momenta, color, odor, ſtatio, magnitudo, ſubinde in recentibus plantis aliquam lucem accendit, ſed in ſiccis florendi tempus plane nullam. Hyacinthus ſerotinus, Helleborus hiemalis, Adonis vernalis, Leucoium aeſtiuum, Bignonia aequinoctialis, exempla ſunto. Tanto maior labes cadit in nomina menſium, vtpote quum flos mox maturius mox ſerius pro varietate tempeſtatis emergat, quorum tamen valde pauca in Syſtemate adhuc ſuperſunt, e. g. Conuallaria maialis.

20) *Coloris mentio in nomine cenſura digna eſt.* Valet hoc praecipue de colore florum, qui in vna eademque ſpecie, quin in vno eodemque indiuiduo ſaepe variat, e. c. in Lantana aculeata. Et in alpinis et locis aliis elatis flores coerulei ſaepe in albos mutantur. Deſunt inſuper verba ad omnes colorum gradus determinandos. Non ſatis aptum

igitur

igitur nomen Polemonium coeruleum (ſaepe album), Sophora alba (ſaepe coerulea), Ipomaea violacea (ſaepe alba, purpurea, rubra), Anthemis mixta, Lantana miſta. — In herba color plerumque conſtantior, exemplo Baſellae rubrae, albae, Chenopodii glauci, Amethyſteae coeruleae, Iuſticiae pictae, Chenopodii Atriplicis, Rumicis ſanguinei, Eupatorii maculati.

21) *Odor et ſapor in epitheto excludendi,* ob inconſtantiam, varians de hiſce ſenſibus iudicium, defectum vocum, quibus omnes diuerſitates inſigniuntur, et ſedem in ſtirpe multiplicem, quae breui vocabulo exprimi non poteſt. Attamen in vſum tranſierunt Anthoxanthum odoratum, Chenopodium ambroſioides, Iris foetidiſſima, Eupatorium aromaticum, Scoparia dulcis, Polygala amara.

22) *Abſtinendum a nominibus in patria ſtirpis obuiis.* Diſſona haec a reliquis vſitatis nihil ad cognitionem ſtirpis praeſentis faciunt, et plerumque, ſi barbaris gentibus propria, vtpote auditione vnice percepta, ne recte quidem ſcribuntur. Taxandus igitur ADANSONIVS, quod barbaris eiusmodi nominibus praeſtantiam tribuerit. Multa quidem huius generis adhuc ſeruantur: Heliconia Bihai, Cerbera Ahovai, Mimuſops Kanki, Daphne Torton-raira, Paullinia Curaru.

23) *Quodquod nomen comparatione cum aliis ſtirpibus nititur, minus probandum.* Supponendum enim merito, vnam ſtirpem aeque ignotam eſſe tyroni ac alteram. Deſinentia igitur in *oides,*

aſtrum, *ella*, ſimiliaque plura non imitanda; nec nomina, ſolanifolia, hepaticaefolia, verbaſcifolia, hermannifolia, ſaluifolia, atriplicifolia, probanda ſunt, tanto minus, quum ſubinde haec nomina non ſpeciem comparatam in fronte gerant, ſed integrum genus, ſub quo ſpecies figura foliorum ſaepe diſſimillimae militant. — Alia comparatio menſuras ſpectat, quae, niſi ſubſiſtat in collatione partium ſpeciei denominandae, ſed ſi reſpectum habeat aliarum ſpecierum, merito caret. Pretio inferiora igitur nomina, Plantago maior, Heracleum anguſtifolium, Seſeli elatum, Melica altiſſima, Dracocephalum grandiflorum, Rubus parvifolius.

24) *Nomina triuialia, depromta a duratione ſtirpis, non ſatis apta.* Non ſemper enim haec ipſa in planta apparet, et climatis ſiue culturae diuerſitate aetas ſaepe prolongari poteſt. In ſiccis plantis arbores et frutices a reliquis plerumque tanto difficilius diſtinguuntur, quum ex hiſce raro nonniſi ramulus ſuccoſus ſeruari poſſit, qui igitur obſeruatori ſaepe imponit, vt credat cum herbacea planta rem eſſe. Subinde quoque ſerius accedit vna vel altera noua ſpecies durationis eiusdem, ac iſta, quam vni ſpeciei propriam antea exiſtimauimus. Iudicium igitur ferri poteſt de nominibus triuialibus: (Stirps) annua, biennis, perennis, fruticoſa, arborea. Multo minus decet durationem adſcribere ſtirpi, quae illi non competit, e. g. Lunaria annua, quae biennis eſt, aeque ac Lunaria rediuiua. L. — Helianthus indicus aeque ac H.

annu-

annuus L., Aſter chinenſis et A. tenellus aeque ac A. annuus L. per annum modo durant; pro iſtis igitur vltimo loco dictis aptiora nomina fuiſſent excogitanda.

25) *Non placent mihi nomina vſum oeconomicum reſpicientia*, e. c. Dipſacus fullonum, Vitis vinifera, Fragaria veſca, Hibiſcus eſculentus, Sorbus aucuparia, Vicia ſatiua, Galega tinctoria. Aſpecta enim planta de eo nihil conſtat, et applicatio eius pro hoc fine diſci ex alio fonte debet, multae inſuper plantae oeconomicae deſignantur absque vlla vſus in vita communi mentione in nomine. Vnde ex collectis tantum nominibus triuialibus nullus completus index oeconomicarum formari poteſt.

26) *Similiter non probae notae ſunt nomina a viribus vel vſu medico petita*, ob easdem, quas nuperrime dixi, rationes; quibus addi poteſt, ſtirpem non vnam ſaepe ſed plures virtutes praeſtare, et variare ſaepe virtutem pro diſcrimine partium ſtirpis. Exempla vituperii ſunt Nerium antidyſentericum, Inula dyſenterica, Chenopodium anthelminticum, Chaerophyllum temulum, Anthericum oſſifragum, Ranunculus abortiuus. Pauciſſima exempla huius generis in Syſtemate Linneano occurrunt.

27) *Non admittenda vocabula, quae conuenientiam ſoni vel idearum habent.* Nam ſpecierum hiſce facilis confuſio naſcitur; e. c. Silene conoidea et conica, Silene nocturna et noctiflora, Corchorus hirſutus et hirtus, Fumaria capreolata et clauiculata,

lata, siquidem vetustioribus botanicis capreolus et clauicula idem, scilicet cirrhus recentiorum, Conuoluulus pentaphyllus et quinquefolius.

28) *Quale pretium nominibus, discidia vel satyram redolentibus, vel historicum aliquod stirpis momentum respicientibus*, statuendum, ex dictis hinc inde argumentis sponte patet. Quorum quidem exempla facile colliguntur ex generibus quibusdam in cultorum artis memoriam denominatis.

§. 16.

Et hae quidem praecipuae regulae sunt, quae in denominandis speciebus botanicum dirigere poterunt. Non diffiteor, facilius leges dari, quam obseruari. Et qui tentauerit ipse stirpi aptum nomen triuiale imponere, satis comperit, non leue negotium esse, praecipue si characterem eo exprimi cupiat, et eum quidem nouis forsitan accedentibus speciebus immutabilem, nec *vocabulo libero vndequaque desumto vti b*) velit. Quam libertatem LINNEVS quidem, dum primus ad haecce nomina animum aduerteret, concessit, a qua tamen in praxi subsequa alienior fuisse videtur. Ne quis vero mihi obiiciat, defectuum exempla recensendo, vituperasse me eum, cuius vindicias agere proposueram: iteranda admonitio est, LINNEVM saepissime in hisce vnice sequutum alios, pertaesum forsitan clamorum super innouatione nominum excitatorum.

b) *Phil. bot. pag. 22.*

XIX.

XIX.

PRAESTET VNO MEDICO AN PLVRIBVS IVNCTIM VTI?

DISQVISITIO

ORATIONE ENVCLEATA.

PRAESTET VNO MEDICO AN PLVRIBVS IVNCTIM VTI? *)

Sic igitur prouidit diuina voluntas, vt qui peregrinus et aduena ad hoc litterarum ſacrarium non alio quondam fine accederem, quam ad colligendos fructus ex doctrina inclytorum quorundam virorum, quorum plurima pars viuere iam deſiit, ſiſterem heic pedem, et, ex vno in alterum academicorum honorum et officiorum gradum aſcendens, in hunc tandem, qui reliquorum faſtigium merito cenſetur, per tempus eueherer. Ancipitem haeſiſſe animum meum, non diffiteor, quum praeſentirem, ſerie et muneris aetate ita ferente, huncce magiſtratum in me olim deuolutum iri, vtrum reciperem illum, an potius, vt ab aliis quibusdam academiae noſtrae doctoribus meritiſſimis factum eſt, modeſta deprecatione declinarem. Deterret facile hominem verecundum, nec arroganter et ſuperciliofe de ſuis viribus ſentientem, grauitas muneris, iurisiurandi religio, tot illuſtrium virorum eodem officio antea functorum

*) Quaeſtionem hanc d. 2. Julii a. 1781., oratione, quum prorectoratum annuum capeſſerem, habita, ſuccincte diſcuſſi.

rum fama et auctoritas, et in hac quidem academia, quae nouo quotannis decore et incremento efflorescit. Quae ipsa omnia obtutui meo sese quum sisterent, non parum timiditatis, et in consilio capiendo tarditatis, in me quoque crearunt. Reuocarunt autem reluctantem me animo, et oneri memet subducentem, Regiae voluntatis in his terris administrorum in academiam nostram indulgentia, et in difficilibus casibus componendis facilitas; compendiaria porro ista bonoque ordini fauentissima ratio, quae in academico iudicio, serioribus praecipue annis, in proponendis, perquirendis et sopiendis litibus, prout in reliquorum negotiorum administratione, vsu venit; legum insuper vigor et, quod in consuetudinem fere transiit, earundem laetum obsequium. Nec minimam vim ad me in ambiguo constitutum erigendum et fiduciam concipiendam habuit, quod onus Prorectori impositum maturis senatus academici consiliis subleuetur, quibus et mihi vt in rebus grauioris ponderis adesse velitis, Vos praesertim, arctioris concilii assessores venerandi, pro Vestro in academiam studio et Vestra in me ipsum saepius comprobata beneuolentia, humanissime rogo.

Dum haecce sapientissima pariter ac amicissima Vestra consilia, quibus ipsis subuenturos Vos esse noui muneris difficultatibus sperare licet, cogitatione recolo, aliud quoddam consiliorum genus in mentem meam sese insinuat, prout saepe solemus

mus res, aliqua mutua ſimilitudine praeditas, vna in memoriam reuocare et inter ſeſe conferre, nempe hoc, quod alter medicus alteri ad lectos aegrorum ſuppeditat.

Quandoquidem in hocce conſiliorum genere cuiuslibet, cui conſeruatio vitae et ſanitatis deperditae reſtitutio chara eſt, ſcire intereſt, praeſtet vno medico, an pluribus, iunctim vti: non vereor, ne, hancce quaeſtionem ſoluturus, argumentum oratione complectar, quod eorum modo cogitationem in ſe conuertere queat, qui in eodem campo colendo mecum deſudant.

Quo vero commoda, incommoda, vel adeo damna, conſultationum medicarum, coram et viua voce prolatarum, iuſtius librentur, meditatio in anteceſſum in quaedam momenta defigenda eſt, quae conſiliorum in vniuerſum conditionem feriunt. Hoc creberrima et quotidiana fere obſeruatione comperimus, incidere caſus, in quibus, etiamſi aliquis ſanus ſit, et aetatis flore, viriumque perfecto vigore conſtitutus, perſpicaci praeterea ingenio, item rei peragendae commoda notitia et conſuetudine inſtructus, aliena luce indigeat. Probabile enim eſt, tanto acrius omnia momenta, quae ad negotium dubii euentus perficiendum ſpectant, ponderari, et tanto felicius exerceri, quo plures homines ſciti et idonei operam ſuam in eodem rimando deponant, et modum, quo tutiſſime

fieri poſſit, ſuggerant. Aſt non inficiandum, eam humanae mentis rationem eſſe, vt lubentius conſilia demus, quam accipiamus. Qui enim alteri conſilium ſuppeditat ſpeciem aliquam acrioris ingenii prae ſe fert, maturioris iudicii, ſolidioris ſcientiae, maioris item animi moderationis, ſine qua et leuiſſimae ſaepe res in transuerſum aguntur. Quod igitur meriti conſultori accedit, conſilium efflagitanti vel accipienti decedere videtur. Quicquid vero huius ratiocinii ſit: nihilominus tamen rerum peragendarum multitudo et grauitas, multiplex in iis procurandis ratio et modus, argumentorum vel diſſuadentium vel ſuadentium in conſilio capiendo varietas, anceps denique et vel praeter noſtram culpam aduerſus euentus, commiſceri ſtudia et iunctas vires intendi ſaepiſſime iubent. Hinc nec eos, qui ſummum dignitatis et poteſtatis faſtigium in hoc terrarum orbe tuentur, principes, pudet, conſultores quosdam ſibi adiungere horumque nomina publice profiteri, ita vt, etiamſi princeps proprio nomine bella inferat, pacem concludat, rei nummariae ſubueniat, pecuniae erogationes iniungat, annonae charitati ſuccurrat, peſtis auertendae vel ſuis cancellis includendae praeſidia inculcet, et quaecunque alia grandia facta ſint, quilibet nouerit, haec illum non propria vnice ſagacitate et prudentia adornaſſe, ſed intelligentia ſimul et iudicio plurium aliorum vſum fuiſſe, qui commodi harum rerum arbitri eſſe videbantur.

Verum

Verum quidem eſt, communione eiusmodi conſiliorum et momentorum, quae animum in iudicio formando et re perficienda dirigunt, exacta conſideratione, in eiusmodi factis praecipue opus eſſe, quorum euentus ad multorum ſalutem, vitam, vel et detrimentum, cladem et interitum, pertineat. Quidni vero miſcenda conſilia et ſuffragia ferenda etiam tum, quando de vnius hominis, non dicam principis modo, ſed et priuati, morbo detenti, vita et integritate agitur, ſi illi combinata plurium opera melius proſpici, quam vnius, vero ſimile ſit. Quilibet enim homo eadem humanitatis iura ſibi vindicare poteſt. Nec priuata et ſimplex dici poteſt iactura, ſi respublica ciue vtili orbatur, coniux marito, liberi patre. Quam ob rem non in principum modo aulis et apud magnates, dum morbo grauiori et ancipiti proſternuntur, ſed apud alios quoque lautioris fortunae, plures medici conuocari ſolent ad ſuppetias ferendas; nec facile vel opinioni vulgi vel amori erga aegrum ſatisfeciſſe arbitrantur cognati, moriente iſto, ſi vnius medici prouidentia et cura acquieuerint.

Aſt, ſi in vllo delectu vel oſcitantiae vel praecipitis nimis conſilii poenam luas: certe in delectu medici eſt. Quod iudicium ſi in ore eius, qui ipſe medicinam exercet, poſſit aliqua oſtentationis nota ſuſpectum cenſeri: PLINIVM audiamus, qui „Tam blanda eſt, diſerte inquit, vnicuique pro ſe

„ſperandi dulcedo, vt cuicunque ſe medicum pro„fitenti ſtatim credatur, quum ſit periculum in nullo „mendacio maius.“ Quanto igitur maiori cautione opus eſt, ſi primum vocato medico vnus vel plures alii adſociandi ſunt. Sed dabitis, ſpero, Auditores, mihi hoc tanto lubentius, poſtquam momenta potiora enucleauero, quae conſiderari debent, antequam ſubſidiariam iſtam opem expoſcas, ne, quum aegri bonis conſulere cupias, ea contra in diſcrimen vertas vel dilapides, Si inter haec quaedam Vobis appareant leuidenſia, et praeiudicio, peruerſitate, malignitateque hominum potius, quam recta ratione et chriſtianae pietatis rigore conſtare: perpendite quaeſo, nos inter homines viuere et mundum conſiderari debere pro ea imbecillitate, opinione vel prauitate, qua regitur, non vero pro ea intelligentia, probitate, aequitate, qua regi poſſet.

Ad hanc rem, de qua in vtramque partem diſputari poteſt, dirimendam, diſpiciendum initio eſt, quodnam inter aegrum et medicum vinculum obtineat, quod ſi ita comparatum ſit, vt vterque ſuis officiis obſtringatur, omnia ea vitari debent, quae vel honori medici vel tranquillitati animi eiusdem vim inferre poſſunt. Negari nequit, ſi absque partium ſtudio rem diiudices, in ſubſidium vocato alio medico, famam prioris vel maiori vel minori de parte periclitari. Eo enim declaras multique cognatione vel neceſſitudine tecum iuncti

declara-

declarabunt, non ſufficere eum morbo, quem tu vel merito vel ex errore grauem exiſtimas, auerruncando. Tanto magis vero eum laceſſis, quo inferior illo alter ſubſidiarius medicus eſt, ſcientia, ſtudio, moribus. Non perinde enim ingenuo homini eſſe poteſt, quo laborum ſocio potiatur, et quo pede tu eum metiaris. Inter renunciationes quidem publicas in recens creatos doctores ius, conſultationes cum aliis medicis ineundi conferimus, doctos autem ex voto, honeſtos, humanos, reddere non poſſumus. Fac nouiter inuitati medici culpa morbum incrementa capere vel ſuccumbere ei aegrum, tum prioris medici fama aeque vacillat, quippe in quem vt honoris, ſi fauſte res cedat, ita et dedecoris pars, ſi ſiniſtre, tranſit. Eſt forſitan ſubſidiarius iſte medicus homo arrogans, iactantia plenus, loquax, litigioſus: quidnam tu iuris habes, eiusmodi conſociatione turbandi animi tranquillitatem eius, qui meditationes ſuas et vires omnes ad te, vel quos in vita cariſſimos habes, ſanandos intendit, ſomno nocturno, prandio, conſuetudini cum ſuis, recreationi animi, dulciſſimas horulas ſubtrahit. Eo maioris culpae reum te reddis, ſi alium medicum, ſiue rerum gnarus ſit, nec ne, clam conſulas, et inſcio vetere medico, medicamina a nouo ſuppeditata ingeras, ſimulans prioris te vti medicina, et de effectu eiusdem ficte reſpondens. Imo noui medicos, eo gradu mercenarios, vt famulantium adeo officia praeſtarent aegro vel eius cognatis, medicamenta ipſi in pera ſua ex pharmacopoliis petentes, quo celarent aſtu-

 tiam,

tiam, parum curantes, an honeſtum virum pharmacopolae, eiusque miniſtrorum, ludibrio exponerent. Sed hi erunt fere, quorum malitioſa fraus, fulguris inſtar in proprium caput ſaepe relabitur, et dum Aeſculapios ſe eſſe putant, delinquentes in munere, vindicta iuſta alterius infra tyronis medici auctoritatem deiiciuntur. An tu, qui indecorum eiusmodi ſeruitium admittis, exiſtimas, boni medici, et ſuae ſcientiae conſcii, famam adeo venalem eſſe, vt aliquot aureis redimi poſſit, vel ideo minui opprobrium, quod medico, quem ſugillaſti, liberum ſit, diſcedere a ſua ſtatione et continuatam aegri curam renuere. Etenim, ſi quid ego ſentio, vnum fere idemque eſt, eiici domo, ac verbis vel factis ita vrgeri, vt ſponte illam linquam.

Verum quum procliuiores vulgo ſimus ad eas noxas fugiendas, quae proprium verticem petunt, quam quae in aliorum praecordia ſaeuiunt, in ea iam argumenta inquiram, quae ad aegri ipſius ſalutem ſpectant, quibus, niſi egomet inſigniter fallar, non parum ineſt ponderis. Circumſpicientes inſtitutorum vel negotiorum genus quodcunque, illa, niſi humeris vnius ſingularis hominis iuſto grauiora ſint, melius procurari experimur et expeditius, quae vnius intelligentis et boni viri curae et adminiſtrationi, quam quae plurium, committuntur. Si vni committitur opus, etiamſi peregrinae rei illi inuigilandum ſit, hoc ipſum tanquam propriam prolem conſiderat, alit, fouet, ornat, perficit.

perficit. Adſociato vero alio in curae vel adminiſtrationis communionem, langueſcit impetus, quum inter plures meritum, et laus, et vituperium diuidatur. Id quoniam naturae humanae proprium et fere perpetuum eſt: non miremur, concitis pluribus medicis torpeſcere vulgo ſingulorum ſtudium, neruos in quodlibet morbi et remedii momentum antea intentos iamiam relaxari, omitti varias et regulas et ſuppetias aegro profuturas vel ideo, quod alter ab altero ſollertiam exſpectet, quam vterque pertaeſus negligit. — Concedi porro debet, in re ardua et ancipiti exactius nos perſequi poſſe difficultates quaſuis per partes ſuas, et auxilia neceſſaria eruere felicius, ſi ſoli nobisque relicti meditationibus noſtris inhiamus. Fac vero ad lectum aegroti nobiscum adſidere hominem loquacem, ſcientia ſua tumidum, rixoſum, ſectae cuidam medicae mancipatum: nonne, ab hoc alterius doctioris medici cogitandi vis labefactatur, et quae vni alias rei eſſet intenta iam ad plures diuertitur, et nonne haecce tanto minus in aegri leuamen impendi poteſt, quum, niſi ipſe ſtipes vel truncus ſit, quod in doctum medicum cadere nequit, haud ſine dedignatione hiſtricas eiusmodi ſcenas audire et oculis vſurpare queat. Non diffitemini vero, plurimum intereſſe, medici animum exiſtere pacatum, nec vlla commotione fortiori conturbatum. Hic, quum alias cum vno duntaxat hoſte pugnandum illi ſit, nimirum morbo, cum alio certare debet, futili ſocio. Huc ſpectat

prouerbium, qualis fidei, iam videtis, "inter duos litigantes tertium mori." *).

Sed dices medicum moratum et ingenuum ea animi fortitudine esse instructum, vt alterius iactantiam, cauillationes, tripudia, vilipendat, spernat, et praestare sequacem esse, quam morosum. Sed an tu obsequium laudabis, quo propria tua, vel patris, vel familiaris, vita periclitatur, quod iis in casibus, in quibus celeri eoque efficacissimo auxilio opus est, vt in apoplexia, haemorrhagiis, arthritide ad interna conuersa, tanto plus detrimenti secum trahit. — Accedit, quod ad lectum aegrorum, ad quem consultationes medicae plerumque habentur, et, quid agendum, decernitur, tempus iusto angustius plerumque sit, ad omnia exploranda, lustranda, libranda, praesertim si medicina, quae commendatur, minus vsitata est, vel varietate rerum praescriptarum farcta, nec experientia communi confirmata. — Quid dicam de multiplicatis istis praeter rem et necessitatem remediis, quae confluere

*) Lepidam narrationem nuper in ephemeridibus politicis de consultatione medicorum super vltimo morbo Ducis DE CHOISEVL, rerum Gallicarum administri primarii, qui haud ita pridem morti occubuit, legimus. Duci scilicet prognosticon olim fuerat formatum hoc, fore. vt in seditione periret. Quod quidem, licet morbo decederet, eatenus confirmatum fertur, quod inter medicorum, quorum duodecim conuocati, de conuenientissima ducem mortis faucibus eripiendi via litigantium, strepitus turbasque enatas vitam ille finiret.

fluere plerumque ſolent, dum plures medici in aegri auxilium conuocantur, quorum ſinguli ingenio ſuo inhaerent, vt bene de aegro mereri cenſeantur. Hinc cubile eius intrans, ob copiam ſcatularum, vitrorum, pyxidum per feneſtras menſasque diſperſarum, pharmacopolium te intrare crederes, niſi vel aegri gemitus, vel odor alienus, te erraſſe te condocefacerent, et, qui verum medicinae ſcopum ignoret, exiſtimaret, nos non profiteri artem ſalutarem et beneficam, ſed praedatricem et loculorum emunctricem. Haec vero medicaminum multitudo ambiguum et inſcium ſaepe reddit aegrum, quo tempore, quo ordine, quo vehiculo, vtatur ſingulis. Combinantur ſic haud raro multa ſibimet natura ſua adverſa; vel quorum alterum alterius vim infringit. Fitque hoc tanto facilius, quando, vt ſaepenumero contingit, auxilia, abſente alterutro medico, ſuppeditantur.

Videtis igitur, quam iuſte ADRIANVS moriens peruulgatum iſtud exclamauerit: "multi medici Regem ſuſtulerunt" *).

Veruntamen tantum abeſt, vt in vniuerſum caſtigarem, damnarem, conuentus iſtos ad lectum aegrorum medicos, vt potius, ſub varia conditione, illos et aegri et medicorum cauſa proficuos maxime eſſe lubens agnoſcam. Quis vitio vertet aegro, ſi initio morbi, quum mitis eiusdem inceſſus imponeret, iunioris nec ſatis periti medici operam deſi-

*) Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν.

derauerit, poſtea, increſcente malo et in apertam flammam erumpente, maturius conſilium imploret. Nec poteſt aliquod dedecus in medicum inde redundare, quod, quando vel ipſe morbo laborat, vel aliquis cognatione intimiori ſibi iunctus, non proprio ſuo ingenio et doctrinae fidat, ſed collegarum adiumentum efflagitet. Quodſi ipſe aegrotet: morbo haud raro cogitandi vis tantopere hebetatur, vel omnino ſufflaminatur, vt ſibimet ipſe ſuccurrere plane non valeat; ſi coniux, liberi, parens: tantum ſaepe ille malis, quibus excruciantur, gemitu, clamoribus, deliquiis animi, conuulſionibus, afficitur, vt in ſuetiſſimis adeo ſuppetiis ceſpitet. Et quoniam non ſufficit, a medico praecipi proba et explorata auxilia, ſed opus eſt, vt ſedulo et ſollerter ab aegro vſurpentur: cognatis plerumque difficiliori caſu melius conſulitur peregrino medico, qui abſtinens ab omni praepoſtera indulgentia, et rarius per diem conueniens aegrum, praeceptis ſuis tanto maiorem auctoritatem maiusque pondus impertit. Quod ad alios aegros attinet, dabit medicus moratus quandoque aliquid deſiderio aegri, et, ſi animaduertit, eiusmodi conſociationem conferre aliquid ad tranquillandum eius vel cognatorum animum, de futuro euentu anxium, non tergiuerſabitur, bene conſcius, non parum ad morbi ſanationem facere mentis aegroti tranquillitatem. Aliam obſequii cauſam ſubinde praebet malitia hominum, cui vt obuiam eatur, ferendum, vt alius medicus ſocium laborum ſeſe adiungat, ne, ſi praeter eius culpam euentus malus

malus contingat, opprobriis malignorum allidatur vel adeo confodiatur. Tandem confiteri oportet, si peritus medicus cum perito, bonus cum bono consilia confert, multum bonae frugis in aegri, morbo vehementiori correpti, salutem emergere. Tot enim complicationes morborum existunt, tam abditae saepe eorundem causae, tam varia hominum in peculiaribus casibus sagacitas, tantus medicaminum vel propria experientia vel aliena exploratorum apparatus, vt non mirum, in morbo quodam grauiori vel proprio ingenio et experientia vel lectione aliquando id constare, quod saltem tum, quum eius adhibendi necessitas subest, in alterutrius mentem non incurrit. In morbis praeterea rarius obuiam venientibus, quorum obseruandorum medico etiam largissimae praxeos subinde vix per vitam occasio suppetiit, exemplo diabetes, leprae Arabum, rabiei caninae, tetani, catalepseos, non omnino iniusta praesumtio est, eum, qui antea vel pluries eundem difficilem morbum, in quo generaliores regulae pro norma esse nequeunt, tractauerit, hunc in illius curatione tanto plus dexteritatis habere.

Sed finem iam huic dicendi argumento pono, rediens ad id, vnde exorsa mea oratio est. Vos nominatim, Commilitones suauissimi, iam compellandi estis. Quae a nouo Prorectore exspectare possitis, mox audiuistis. Et haec praestiturus essem, etiamsi

etiamſi nullo iureiurando adſtrictus. Illud enim deſiderium iuſtitiam tuendi, tranquillitati publicae proſpiciendi, ſaluti et incolumitati Veſtrum inuigilandi, et ſcopum, quo apud nos degitis, promouendi, ille ardor cuilibet bono ineſſe debet. Quum autem acceſſerit ſollemne ſacramentum, tanto certiores de vigilantia mea, ſollertia, conſtantia, fide, reddimini. Sicuti vero Vos omnes ſtudio, amore, beneuolentia, officio, demereri, quantum in me eſt, annitar, id vel maxime cauebo, vtne vllo partium ſtudio duci videar. Haec ipſa omnia quum, me interprete, Georgia noſtra Vobis hodie iterum ſpondeat: ſpondebitis et Vos, cariſſima capita, legum, ab auguſtiſſimo Rege in Veſtra vnice commoda latarum, ſanctum obſequium, quae quales ſint, iam tum quidem, quum in ciuium academicorum numerum coaptaremini, legere Vobis datum fuit, nunc vero auribus Veſtris excipite. Accede propterea, Vir conſultiſſime, qui huic academiae ab actis es, et pro more ex legum codice praecipua earundem capita clara voce concioni huic lectiſſimae praelege.

(Leges)

Haec igitur legum academicarum capita Vos ſollerter obſeruaturos eſſe, Commilitones optimi, a praeſtantia animi Veſtri, fas eſt ſperare, quae apud Veſtrum tantum non omnes ita enitere ſolet, vt qui contra legum tenorem peccent, caſu potius vel ſubitaneo impulſu, quam conſilio praecogitato

vel

vel malitia delinquere exiſtimandi ſint. Atque hoc ex praecipuis bonis eſt, quae academiae noſtrae gratulanda arbitror, quod ciues non numeroſos ſolum ſed eorum plerosque ſuo complexu teneat, qui bene agunt, non poenae formidine, ſed amore boni et honeſta ambitione, imo et ſermone, habitu, conſortio, veſtitu, elegantiam quandam produnt, quae, niſi cancellos excedat, amabilem cum literis connubium init, et ad capiendos eorum animos facit, a quorum voluntate fortuna pendet.

Tu vero, ſumme Deus, qui Patrem patriae, Regem auguſtiſſimum et Rectorem academiae ſuae magnificentiſſimum, Georgium tertium, tua tutela hactenus beaſti, hoc gentium ocellum et exemplum perge, vna cum auguſtiſſima Regina et tota regia domo, Tuo ſinu fouere; nec perge ſolum, tot hoſtilium armorum, quae regnis eius inſidias ſtruunt, vim reprimere, ſed fac, vt, poſt glorioſe partam victoriam, terra marique aurea pax cum flore commerciorum, bonarum artium et litterarum, omniumque reliquorum bonorum affluxu, redeat. Regis porro in hiſce terris amicorum, de patria immortaliter meritorum, et praecipue horum, quos curatores huius academiae veneramur, incolumitatem, Tuae curae et prouidentiae commendatam cupimus. Serua demum hanc academiam ciuesque omnes, qui in ea vel docendi vel diſcendi cauſa commorantur, abeſſe iube ab eius pomoeriis languorem, luxuriam, putidam lucri cupidinem, diſcidia inteſtina, morum prauitatem, hoſtiles ſtrepitus,

pitus, et quicquid exiſtimationem et felicitatem eius, quam ipſa Tua clementia illi comparauit, obſcurare vel minuere poteſt; concede contra, vt in remotiſſima tempora vſque et litterarum et virtutum domicilium permaneat inſtructiſſimum, fructuoſiſſimum. Dixi.

XX.

DE

VERMIBVS IN LEPRA

OBVIIS

IVNCTA LEPROSI HISTORIA.

OBSERVATIONES DE VERMIBVS IN LEPRA OBVIIS *)

SVBIVNCTA LEPROSI HISTORIA.

Praefatio.

Disquisitio de vermibus, quibus homines lepra contaminati infestantur, non tum modo, quum illi operam darem, illustris MICHAELIS, insignis academiae nostrae decoris, quaestione, doctis istis viris, tum in Arabiam Regis Daniae munificentia missis, proposita, memorabilis euasit; sed variis postea illustris A LINNÉ scriptis *a*), quibus leprae originem ex vermibus probabilem reddere annisus est. Naturam horum vermium arbitror hacce opella aliquid lucis assequutam esse. Quod

*) Oblatae Societati R. scient. Gotting. d. 13. Nouembris a. 1762. et typis expressae a. 1769, quo ipso historiam leprosi primum addidi.

a) V. in primis *diss. de lepra, resp.* ISACO VDDMAN 1765. *Syst. nat. Ed. 12. Tom. I. p. 1075. n. 4.* vti et *dissertatio* recentior: *Rariora Noruegiae, resp.* HENRICO TONNING 1768. p. 17.

Quod vero non nouum nec ab vllo antea visum vermium genus in vlceribus leprosi hominis, de quo egi, detexerim, sed vulgarem modo omnibusque spretam muscae domesticae laruam, non plus obseruationibus meis pretii derogat, quam illis SPALLANZANI, quod in vulgaribus cochleis, non Indicis, primum cognouerit, cochleae caput, sine vitae dispendio, abscindi posse, quin aliud caput, suis tentaculis instructum, prioris in locum succrescere. Cuilibet enim ingenuo naturae inuestigatori illam, prout sponte sese offert, indagare, non alienum illi fucum, etiamsi famae apud quosdam magis inseruiret, allinere, conuenit. Hisce vermibus scrutandis occupatus nonnulla momenta cognoui, quae originem laruarum, ex quibus muscae fiunt, incrementum, vitae genus structuramque illustrant, et clarissimorum olim REDI, REAVMVRIIque selectioribus obseruationibus confirmandis conducunt, quorsum celer iste crescendi modus, fuga, quam versus transmutationis suae tempus capiunt, rel. pertinent; ansamque praebui aliis, quibus fauentior quam mihi in naturam harum laruarum inquirendi suppetit occasio, quaedam e. c. an gradus putredinis varius diuersas muscas alliciat, an delectum semper carnis pro varia sua specie instituant, alia, de quibus nondum satis constat, indagandi.

Nec vereor, ne quis historiam ipsius morbi, in quo vermes descripti comparuerunt, quam serius addidi, vel superfluam, vel a praesenti tractatione alienam, existimet. Quum nuperrime de ista,

iſta, poſtquam typis iam expreſſa eſſet, ſermo cum illuſtri MICHAELE incideret, enarrare iſti placuit, ſe, inter alias quaeſtiones de morbi natura homini leproſo motas, de macula, qua, aegris futuri mali neſciis, morbi initium fieri paſſim legitur, eum eſſe percontatum. Ad quod aeger regeſſit, exanthema eiusmodi diu, antequam alia morbi veſtigia ſentiret, quin annis circiter 10 antea, in vultu erupiſſe. Addere hoc momentum hiſtoriae meae, qua ipſa re obſtrictiſſimum me cenſeo, celeberrimus vir permiſit, copiamque mihi conceſſit, plagulam iſtam Commentarii ſui, qui iam ſub prelo ſudabat, ſuper *Iobo b)* perluſtrandi, in qua de diuini viri morbo agens, tam huius maculae, quam aliorum nonnullorum, quae ad caſum a me delineatum ſpectant, mentionem fecit.

---

§. 1.

Contigit mihi, humanitate ill. VOGELII, quod rarius medicis Europaeis, etiamſi per protractiorem vitam aegrotorum lectis interſint, ſolet, hominem, Graecorum elephantiaſi, ſeu Arabum lepra *c*), affectum,

b) V. ill. viri *Ueberſetzung des Buchs Hiob mit Anmerkungen für Ungelehrte. Amerk. p. 4.*

c) Etſi nihil de morbi huius vel affinium natura referre, nec de ſtatu ipſius aegri alia memorare, quam quae materiam, quam pertractandam ſuſcepi, illuſtrant, conſtitueram: de nomine tamen quaedam dicere opus erit. Lepra primum Graecorum, ab elephantiaſi Graecorum, diſtinguenda eſt. Lepra iſta, ſecundum LOMMIVM (*Obſerv. med. L. 2. p. 258.*) impetiginis ſpecies et

affectum, videre, et in naturam huius morbi penitius inquirere. Ipsum vero illum, quem nominaui, tetrum

et pessima quidem est; quod et CELSVS (*Lib. 5. cap. 28. Sect. 17.*), quamuis nomen silentio praetereat, sensisse videtur. Nunquam tamen in illa tam profunde malum serpit, ac in elephantiasi, et cutis praeterea in lepra magis, quam in elephantiasi, in squamas secedere solet. Hanc tamen ex illa fieri posse arbitror, prout psora, tertia, secundum CELSVM et LOMMIVM, impetiginis species, in lepram transire potest; ita vt gradus mali nomen mutet. Lepra vero Arabum cum elephantiasi Graecorum, quantum, descriptiones vtriusque mali comparando, indagare potui, eadem est. Quo exemplum afferam, *Lib. 4. Fen. 3. Tractatus 3.* AVICENNAE, qui de lepra agit, cum ARETAEI *Libr. 2. capite 13.* conferatur. Nec HILLARY (*Observations on the changes of the air and the concomitant epidemical Diseases in the Island of Barbados, p. 323.*), qui lepram sollerter descripsit, ne alios attingam, discrimen agnoscit. Non confundi vero debet Graecorum elephantiasis cum illa Arabum, quae alias pes elephanti, quia crus aegri ad pedis elephantini similitudinem et mole et scabritie accedit, dicitur; licet inter alia dira mala, quae in Graecorum elephantiasi infestant, tumor etiam ingens pedum adsit. Legantur de hac Arabum elephantiasi RHAZES (*Diuision. ad Mansor. Lib. 1. cap. 107.* et *de re medic. ad Mansor. Lib. 9. cap. 93.*) et AVICENNA (*Lib. 3. Fen. 21. Tract. I. cap. 16. 17. 18.*). Inter alios recentiores describunt illam PROSP. ALPINVS (*Medicina Aegypt. p. 56.*) et KÄMPFERVS (*Amoenitat. exot. Fasc. 3. Obs. 8.*) sub hypersarcosis vlcerosae pedum nomine, Malabaris vernaculam. Et ill. LINNEO (*Skånska resa, p. 275.*), per Scaniam iter facienti, ancilla sese obtulit, eodem affectu correpta. — Vtique legi merentur, quae de teterrima ista lepra serius memoriae prodiderunt, partim ex propria experientia, cl. RAYMVND (*Histoire de l'Elephantiasis, à Lausanne 1767.*), praecipue autem cl. SCHILLING (*De lepra commentationes, recensuit Hahn. L.B. 1778.*).

tetrum morbum afflixiſſe aegrum, nec aliud mitius exanthematum genus, lepram puto Graecorum vel vitiliginem, agnouit ill. VOGEL, in rimandis veterum libris ſtudioſiſſimus, agnouit quoque ill. MICHAELIS, qui ſimilitudinem hunc morbum inter et Iudaeorum lepram inueſtigandi cupidus, ſtatim, quum accederet, lepram Arabum eſſe, enunciauit. Nec ſane, cui licuit deſcriptionem, quam ARETAEVS de hoc malo memoriae prodidit, illamque ſuccinctam CELSI, cum aegri noſtri conditione conferre, de nomine diutius ambiguus eſſe poteſt; etſi diriora quaedam ſymptomata, conſumtionem nimirum oſſium, capillorum defluuium, cutis fiſſuras, animam foetidam, alia, quae modo, ſi malum ſibi ſolum relinquitur, vel peruerſa medela agitatur, vel inueteratum nimis eſt, vel, ad mentem quorundam, regione nimis calida ſe exſerit *d)*, incidere exiſtimo, defuiſſe non diffiteor *e)*.

 §. 2.

d) "Coelum, inquit MEAD, et victus ratio morbos omnes, in cute prorumpentes, in peius euehunt" (V. *Commentar. de morbis biblicis, cap.* 2. *p.* 15. *Ed.* OED.) et alibi (*loc. cit. p.* 12.), "Saeuior vero, ait, ſemper „erat in Syria et Aegypto, vtpote regionibus calidio„ribus, quam in Graecia et aliis Europae locis.

Aduerſa hiſce eſſe videtur lepra in Iſlandia (*Den ſaa kaldede Iſlandſke Skiörbug beſkr. af* PETERSEN, *Soroe* 1769. Conf. ſumme vener. DE TROIL *Bref öfver Iſland Epiſt.* 11. et *Epiſt.* 24. concinnata ab ill. Equ. BÄCK) item in Noruegia (V. *infra* §. 16), quin in quibusdam Sueciae locis maritimis, (v. ODHELIVS in *K. Vet. Acad. Handl.* 1779. *p.* 222. et 1783 *p.* 226.) endemia, quam mirum aliquando vi et foeditate non cedere leprae climatis calidiſſimi.

e) Nemo in vno eodemque aegro omnia ſymptomata, quae in libris de elephantiaſi memorantur, exſpectabit. Nam

§. 2.

Decreueram initio ſtatim, quum ad totum huius affectus decurſum rite attendere, tum in primis periculum facere, an quod illuſtris Eques LINNEVS, patriae ornamentum, in ſcabiei puſtulis, obſeruauit, alii in aliis exanthematibus, neſcio eadem fide factum ſit, in horrida huius cute detegere, et quod doctiſſimus quondam Abbas, AVGVSTINVS CALMET, de leprae origine coniectura aſſequutus eſt, idem ego ipſo ſenſu aſſequi poſſem. Notum ſcilicet eſt, LINNEVM, vna cum BONOMO aliisque, ſcabiem, CALMETVM autem lepram, ab animalculis quibusdam deriuare. Haecce meditans in acta academiae Regiae ſcientiarum Suecicae anni 1760. *f*) incidebam, vbi cl. MARTIN, medicinae cultor, coniecturam ſuam de lepra, in Norvegia inter homines frequenti, proponit, quippe quam a vermium quadam ſpecie, in piſcibus morboſis, et leproſis quaſi, antea tantummodo reperta, repetit; et ex lectione nouo ſtimulo ad hanc rem perſequendam afficiebar. Perſpexeram quidem obſeruationem eiusmodi non ſine magna opera et difficultate fieri poſſe, quae tamen incommoda ſperatum ſucceſſum abunde compenſaturum eſſe mihi

Nam nec in vllo alio morbo eiusmodi ſymptomatum omnium connubium ſit. Hinc cl. HILLARY ſcribit: "I have here deſcribed all the ſymptoms, which attend „this loathſome diſeaſe, not that every Patient, who „labours under it, has every ſymptoms here deſcribed, „but ſome have more, and others have fewer of „them" (*V. loc. cit. pag. 327*).

f) *Kgl. Vetenſk. Acad. Handl. 1760. p. 308, 311.*

mihi perſuadebam. Sed vtut languorem excutere ſtudui, ſpe tandem ſucceſſus deſtituebar, quum circa ipſum aegrum verſarer, et, quid ad hanc indaginem requiratur, curatius perpenderem. Vt foetorem propius intuenti tanto moleſtiorem, taceam, metum contagii me fouiſſe non inficior. Nam quamuis nonnulli illud plane negent, ne tamen ad minimum contactu contrahi poſſet, verebar, ſiquidem ſunt, qui hoc contendunt *g*). Quodſi enim

g) "Per inſpirationis communionem, ARETAEVS ait, facilis infectio" (V. *Curatio elephantiaſis cap. 13.*). LOMMII verba hac de re ſunt: "contagione etiam id malum contrahi (non ſolum ſponte) intimoque corporis vitio poteſt; idemque a parentibus tranſire ad natos, vel ab ipſo etiam natali poteſt" (*Med. Obſ. Libr. I. p. 60.*). De hoc fortitan morbo locum habet, quod HILLARY de lepra, *the Yaws* dicta, profert: "*This Diſeaſe is known to be infections*, but there is alſo a peculiar Aptitude in ſome Conſtitutions to receive it more readily, than in others, and probably in the ſame Perſon to receive the infection more readily at one time, than at another time, as is alſo obſerved in the Small-pox" (*v. loc. cit. pag. 343.*). Conf. PONDOPPIDAN's *natural hiſtory of Norway Libr. 2. p. 263* (Danicum exemplar enim non adfuit). Quodſi animalcula lepram producerent, ex acarorum genere illa eſſe coniicio. Huius generis ſunt, quae BONOMO ſub teredinis nomine (*Act. Natur. Curioſ. Append. ad A. 10. Dec. 2. p. 33.* vbi ea deſcribit et depingit) pro ſcabiei cauſa habet. Ill. LINNEVS pariter acaris ſcabiem tribuit (*Faun. Suec. Ed. 2. Spec. 1975, β*, vti et *Amoen. acad. Vol. 3. p. 333*, nec non *Vol. 5. pag. 95.*). Sed niſi mihi vitio vertatur, quod meam quoque ſententiam interponam, quae hac in re iudicem, indicabo. In ſcabie acaros repertos fuiſſe, nemo, qui LINNEVM huius rei teſtem eſſe nouit, in dubium vocabit.

 Quando

enim vere animalcula lateant, certe tam magna non ſunt, vt nudis oculis vſurpari, et primo aſpectu detegi poſſent; ſed repetita et microſcopio adiuta indago requiritur, ſub qua, vt, pro indigentia, ſitus partis, ſcrutinio ſubiectae, oculo accommodetur, contactus vitari nequit. Sunt et alia, quae, etſi minutiae videntur, iis tamen, qui eiusmodi obſeruationibus indulgent, impedimentum ſaepe haud mediocre ſtruunt. Si enim aeger vel ob naturalem moroſitatem, vel ob moleſtias, quas aër alluens faceſſit, nudatam manum vel pedem obtutui longiori porrigere detrectat, vel cubiculum, in quo decumbit, non ſatis lucidum eſt, quod vtrum-

Quando vero anquiritur, an mali huius cauſa ſint: mihi probabile videtur, quod, antequam exanthemata in cute erumpant, corrupte a quaedam humorum vel labes ſolidorum ſaltim in ſuperficie corporis ſemper praecedat, quae ſi ad certum terminum peruenit, acaros in caſeo ſiue farina latentes (nam eiusdem ſpeciei ſunt) allicit, vt in cute nidum quaerant, vel iisdem aditum faciliorem parat. Ingreſſis autem iſtis cutem, roſione ſua et excretis liquidis malum eos peius reddere exiſtimo. Obſeruamus enim muſcas naturae inſtinctu eam modo carnem inuadere, quae iam putreſcere incipit. Sic vermes, qui in inteſtinis nidulantur, non alios, quam quibus peculiaris ad eos recipiendos corporis conſtitutio eſt, vexat. Vidit ill. LINNEVS in Lupulo, quod, ſi ille a laruis phalaenae, radices erodentibus, morbidus factus fuerit, aphides accedant, qnae liquido, quod eiiciunt, (rorem melleum, Honungsdagg. coloni vocant) Lupulum perdunt (LINN. *Skånſka reſa* p. 49.). Hoc et alia exempla ſententiae meae quodammodo patrocinari videntur. Accedit, quod quidam inter ſcabioſos verſantes, nec admodum ſollerter contactum vitantes, immunes tamen ab infectione perſiſtant.

vtrumque hic non omni culpa vacauit, ne alia obstacula tangam, a conatu sine dubio desistendum erit.

§. 3.

Verum improuiso, versus finem morbi, quum mane aegrum inuiserem, mihi narrat, ingentem vermium copiam in pedibus et circumuolutis linteis apparuisse. Auidus igitur ad lintea propero, quoniam pedes iam probe ab illis liberauerat, et aliquot eorum colligo. Domum reuersus festinante eos penicillo delineabam, et quas, microscopii ope, videre licuit, minutas partes verbis describebam. Nec tamen tum temporis in mentem mihi venit, fore, vt haec ipsa in alios, quam in proprios vsus transferrem, quoniam non satis digna, quae publice ederentur, iudicabam. Sed victus tandem fratris suauissimi, JOANNIS PHILIPPI MVRRAY, Philosophiae Professoris et Regiae scientiarum societati a secretis, persuasionibus, vtcunque antea renueram, accuratiori adhuc inquisitioni vermes hosce subiicere, et alia quaedam, quae huius vermium generis naturam et generationem magis illustrant, conquirere decernebam; tanto magis, quum ab eo perciperem, illustrem MICHAELEM inter alia momenta, quae nouisse e re litteraria esse, eruditis illis viris, in Arabiam munificentia Regis Daniae profectis, commendasse, vt inquirerent, an in vlceribus hominum elephantiasi laborantium vermes interdum nascerentur. Quod quum ad aures illustris viri perueniret, coepta rata habere eademque nutu suo promouere

haud dubitauit. Quaeſtio vero ipſa, quam ſoluendam peregrinantibus propoſuit, et quam poſtea, typis expreſſam, legendi copiam habui, hiſce continetur *h*): "Iobus vermium paſſim meminit. Hoc „vnicum morbi eius momentum eſt, quod in ve„terum elephantiaſi non deprehendo. Tanto magis „pernoſcere aueo, an in vlceribus hominum, ele„phantiaſi detentorum, vermes nonnunquam pul„lulent. Quod ſi ita eſſet, ab inſectis ſine dubio, „in vlcera haec oua ſua deponentibus, deriuare „illos licebit, cuius rei accurata inquiſitio naturae „ſcrutatoribus haud ingrata certe foret."

§. 4.

Aliquot dies poſt, quam dicti iſti vermes ſeſe conſpiciendos darent, quum puellam, dyſenteria correptam, conuenirem, mater queritur, inſignem filiam vermium cohortem deieciſſe, quorum vero omnes iam e medio ſuſtulerat. Ex illis *i*), quos meo conſilio poſtero die ſeruauerat, duo modo ſupererant; nam ceteri ſubdole ex carcere ſuo aufugerant. Hoſce cum prioribus comparans eiusdem

h) *Fragen an eine Geſellſchaft gelehrter Männer, die auf Befehl Ihro Majeſtät des Königs von Dännemark nach Arabien reiſen*, 1762. *p.* 104.

i) Quum hic et alibi vermium voce vtor, ſciat lector initio ſtatim velim, me familiari illam ſignificatione ſumere, quae nec laruas inſectorum excludit. Animalia, quae proprie vermes vocantur, LINNEVS acephala, apoda, androgyna, tentaculis inſtructa definit; cuius generis ſunt, quae in hominum inteſtinis victitant (*Syſt. nat. Ed.* 10. *Tom. I. p.* 641.).

dem plane generis esse animaduertebam, sed comprehendere animo non poteram, qua ratione illi, a vulgaribus, qui in humano corpore sedem figunt, tam diuersi, in corpus vel oui forma, vel iam transmutati, licet exigui, delati essent. Quum redirem, errorem commissum fuisse mater mihi refert, quum scilicet, quos a filia secessisse putarat, vermes in spurcitie pauimenti, ad lectum collecta, nati, in vas, cui insidere solita esset, transiissent. Quibus ea de causa paullo diutius immoror, vt inexercitati, in eiusmodi obseruationibus, cauere sibi a fallaciis discant; quibus maximam partem narrationum, quae in actis naturae Curiosorum et aliis in locis de vermibus exstant, adscribendam censeo. Et horum quidem vermium, qui secessisse a puella perperam credebantur, cum illis, quos in leproso homine reperi, comparatio, proxime dictorum naturam tanto manifestius declarabit.

§. 5.

Eodem fere tempore in theatro anatomico occasio cadauer ouinum *k*) videndi mihi nascebatur, quod vermibus scatebat, primo intuitu ceteris hucusque inuentis, quoad omnes partes, similibus. Discrimen tamen aderat, quod postea indicabo.

§. 6.

k) Quod, quum ei quaedam hermaphroditici sexus notae inesse crederentur, allatum erat, in quo vero dein nihil singulare repertum, quam quod vrethra non in glande colis, sed inferius sub eius basi orificium suum haberet.

§. 6.

Proximum nunc eſt, vt notas vermium iſtorum ſuppeditem, quae mihi, partim oculo nudo, partim iuuante microſcopio ſimplici, quod vocant, comparuerunt. Illud vero commodum ex hac ſcriptione redundaturum eſſe ſpero, vt nimirum exinde indoles vermium, qui vel in leproſis prognati paſſim leguntur, vel in hominibus maligno vlcere laborantibus, cognoſcatur; vtque laruarum, quae in muſcas ſeſe transmutant, hiſtoria nonnihil plenior euadat. Nouo quoque fulcro vermium ex ouo generatio firmabitur, quam, etſi et ratione et experimento ſtabilita ſatis videtur, a nonnullis tamen, iisque doctis viris, nec hodie ſine omni ſcrupulo aſſumi, expertus ſum.

§. 7.

Dicam prius de vermibus, in aegro inuentis, quos in omni re, illis, qui ſecundo ordine a me prolati ſunt, ſimiles fuiſſe, retuli. Non omnes eiusdem longitudinis erant: ſed alii ad dimidium pollicem menſurae Pariſienſis accedebant, alii vario gradu minores erant; quod certe a diuerſo naſcendi tempore dependit. Figura eorum conum referebat, ex vndecim annulis compoſitum, ſi extima antica pars, quam vaginam vocabo, ſeparatim numeretur. Acuta pars, ſiue anterior, dente vel vncino vnico, nigro, adunco, acuto, deorſum reflexo, et palato duplici infixo, munita erat. Condebat eum vagina ſuperius bifida, quam vermis attactus vna cum vncino intra annulum vicinum

retra-

retrahebat. Praeter illum vero vſum, quem ad lancinandam et arripiendam eſcam vncinus ille habet, alius quoque eſt, qui ſub rependo conſpicitur. Vermis enim chartae impoſitus aſperae eius ſuperficiei illum infigebat creberrime, quo infixo, reliquum totum corpus anteriora verſus adducebat. Inter haec tamen eminentiae iſtae abdominis circulares, de quibus mox loquar, non plane otioſae erant. In limine inter annulum primum et ſecundum, vtrinque ad latus, pars, canaliculum referens, conſpiciebatur, compreſſa, antrorſum libere propendens, et ſtigmate obſcurioris coloris tecta. Obtuſus ſiue poſterior vermis terminus non vi quaſi abſciſſus, ſed leniter decreſcente latere circinatus apparebat, et media quadam fouea notatus. Huius foueae ſuperiori parti indita erant tubera duo, ſibi inuicem contigua, ſolidioris compagis, perforata, brunoque colore tincta, quae pro lubitu vermis aliquantulum retrahere et exſerere poterat. Inter canaliculos illos anteriores et tubera poſteriora decurrebat vtrinque, ſub variis flexuris, vas album, quod ad latus innumera vaſcula, ramuſculis transverſis inter ſe communicantia, ſpargebat. Reſpirationi eſſe haec organa *l*) dicata, apud auctores legitur. Annuli craſſitie ſenſim, non vero, eadem ratione, longitudine decreſcebant. Per tenue corporis velamen viſcera ſubtus ſita, forma macularum, translucebant. Sub abdomine, inter quoduis articulo-

l) SWAMMERDAMI *Biblia naturae p. 697;* et REAVMVRII *Memoires pour ſervir a l'hiſtoire des Inſectes, Tom. 4. pag. 168.*

culorum par, membranacea cutis, ambitu fere dimidii circuli, ad accelerandum progreſſum extendebatur, ita vt a latere pedes biſulci, quod in poſtremo pare in primis notabile erat, conſpici viderentur. Pone vltimum pedem ſub preſſione mucus aliquo loco prodibat, qui ipſe ani ſuſpicionem mouet. Color vermis, qui primum griſeus erat, dein in pallide luteum mutabatur, defectui pabuli fortaſſis tribuendum. Velociſſime repebat, et nonnunquam omni opinione citius, contractis prominentibus abdominis partibus, ad latus ſe volutabat.

§. 8.

Diſcrepare hos vermes in quibusdam ab illis, qui ouem depaſcebantur, innui. Oſtendendum igitur eſt, in quo diſcrimen conſiſtat. Longitudo aeque ac craſſities in his inſignior erat. Quamdiu epulis ſuis fruebantur, colorem in rubrum vergentem habebant, qui vero poſtea in pallide griſeum tranſibat. Neque vaſa illa alba in his tam conſpicua erant, nec membranacei pedes tam notabiles, vt in ſuperioribus. Sed quod ad diſcrimen conſtituendum memoratu dignius eſt; vncini hic duo in ore aderant, paralleli, nonnihil a ſe inuicem remoti: et obtuſus finis decliuis, et in margine duodecim eminentiis acutis notatus erat. In duobus vero iſtis tuberibus poſticis tres rimas conſpiciebam, quarum margo paullulum elatior et obſcurius coloratus erat. Pes poſtremus praeterea valde mobilis erat, et ad latus inaequalis figurae.

Acci-

Accidit, quod bonam licet eorum partem in vitro, ſubere tecto, collectam ſeruarem, quotidie tamen eorum numerus minueretur. Latere illos inter carnem oblatam initio putabam. Quum vero mane, aliquot dies poſt, vitrum intuerer, omnes vnico excepto, reliquis paullo minore, aufugerant. Cognoſcebam tum, eos per rimam inter ſuberem vitrique collum, vt aëris acceſſus pateret, relictam, emigraſſe, quod ſane ſingulare, quoniam tam anguſta erat. Nec vllibi transfugas illas reperire poteram. Idem REDO *m)* contigiſſe poſtea legi. Et REAVMVR *n)* narrat, vermes, quos in ciſtula habuit, papyrum, illam tangentem, perforare incepiſſe, vt ſibi exitum pararent. Vagabantur autem vndique horum loco, in vitro meo, vermes minuti, qui ouorum, vt puto, forma a prouidis matribus illuc per eandem rimam vitri, qua ceteri vermes egreſſi erant, delati fuerunt. Iſti, ad quod probe velim attendi, nullo modo ab eorum figura, quos ex aegro ſeruaueram, abludebant.

§. 9.

m) *Experimenta circa generat. Inſect. 12. Ed. Amſtel. pag. 28.*

n) *Memoires, Tom. 4. p. 286.* Poſtquam enim vermes iſti ſiue laruae ad incrementum ſummum peruenerint, putridam eſcam, quae ante in deliciis illis fuit, reſpuunt, et commodiorem locum, quo ſeſe in puppas transmutent, quaerunt. Alio modo generoſiſſ. DE GEER diſpendium iſtud aliquot vermiculorum, quod in laruis Tabani expertus eſt (Vid. *K. Vetenſk. Acad. Handl. 1760. pag. 280.*), explicat. Quum nimirum, 8 etſi laruis in vitrum immiſſis, 3 modo ſuperſtites manſerint: illas, quae deerant, a reliquis deuoratas arbitratur; nam charta ita fuit vitrum obtectum, vt emigrandi via omnino illis interſepta eſſet.

§. 9.

Quaeſtio nunc oritur, ad quod animalculorum genus cognitum vermes hi referri queant? Sane non adeo ſemper facile eſt animalcula iſta, quae proprie a naturae ſcrutatoribus vermes vocantur, ab illis, quae apud eosdem laruae audiunt, diſtinguere. Verum multo difficilius eſt, alteram larvam ab altera, ob mutuam nempe ſimilitudinem, diſcernere, et exinde inſectum futurum cognoſcere. Quod teſtimonio eius, cuius ſumma in hac re auctoritas eſt, illuſtris LINNEI *o*) congruit. "*Haud miraberis*, inquit, *nullam ad hunc vsque diem* „*methodum eſſe inuentam*, *qua laruata haec et parentibus* „*penitus diſſimilia dignoſcantur animalcula*, *cum plurimam eorum partem ita ſeſe occultare natura docuerit*, „*vt vix vnquam aperta luce appareant.*" Hoc vero incommodum ei in primum obuiam ibit, qui muſcarum laruas diſtinguere adgreditur *p*), Vnde peculiarem in diſcernendis muſcarum laruis operam REAVMVR collocauit *q*), et duas earum claſſes conſtituit, alteram, quae capitis figuram mutant, alteram, quae eam immutatam ſemper ſeruant; quas vtrasque diuerſo dein modo iterum diuidit. Nam obſeruauit, nonnullas pedibus inſtructas, alias vero iisdem eſſe deſtitutas, nonnullis competere pedes

o) *Amoenit. acad. Vol.* 5. *p.* 238. Conf. REAVMVR *l. c. p.* 161. vti et *p.* 357.

p) Vt exemplum afferam, velim conferatur apud SWAMMERDAMVM (*Biblia Nat. Tab.* 43.) effigies vermiculi, in caſeo reperiundi, cum Figura 2. et 3. Tabulae 26. apud REAVMVRIVM (*l. c.*).

q) *Memoires*, *l. c. p.* 163.

pedes membranaceos, aliis ſquamoſos, aliis vtrumque pedum genus. Ratione praeterea capitis formae, corporis mobilitatis, compagis integumentorum, indolis organorum reſpirationis, genera ſua condit. Sed dolendum, paucas eum modo deſcripſiſſe laruarum ſpecies, et alios auctores pariter, muſcas licet ipſas probis et exactis characteribus definiuerint, paucarum tamen laruas proſequutos eſſe.

§. 10.

Quod ad vermes, in oue repertos, attinet, eos laruas muſcae, quam ill. LINNEVS *carnariam* vocat, habeo. Definit eam *r*) per "*muſcam antennis plumatis, piloſam, nigram, thorace lineis pallidioribus, abdomine nitidulo teſſellato, maiorem.*" Magna has laruas inter et illas, ex quibus *Muſca Caeſar* naſcitur, quas egregie REAVMVR *s*) definiuit et depinxit, ſimilitudo intercedit. Aſt magnitudine differunt, in his inſigniori, cuius tamen rationem habendam eſſe, idem eximius naturae ſcrutator monet *t*). Optime in illas RAYI *u*) deſcriptio quadrat. Nec aliam laruam FRISCHIVM *x*) loco infra citato intellexiſſe

r) *Faun. Suec. Spec. 1832.*

s) *Memoires, Tom. 4. pag. 165. ſeqq.* Cfr. *Tab. 12. Fig. 1. 2. 5. 6. 8. 9.*

t) *Loc. cit. pag. 174.*

u) Vid. *Hiſtor. Inſector. pag. 270.* vbi ſub nomine muſcae carnariae vulgaris, *the common Fleſh - fly*, venit.

x) *Beſchreibung von allerley Inſecten. Part. 8. pag. 21.* Vocat muſcas illas *Schmeiſs - Fliegen mit grau und ſchwarzwürfflichem Hinterleibe.* V. et *Tab. 14.*

tellexiſſe puto, etſi effigies eius aliquantulum has ipſas magnitudine ſuperat. Eſt haec laruarum ſpecies vna ex iis tribus *y*), quibus in primis natura officium, putrida cadauera, et ſub diuum proiecta, conſumendi commiſit, ne per longam moram ibi relicta aërem inſano ſuo halitu contaminarent.

§. 11.

Vermes aegri, cutis illa foeditate detenti, muſcarum pariter laruas eſſe, vt primum eos intuerer, iam exiſtimaui; eiusque generis fuiſſe ne vllus quidem, etiamſi ad muſcarum laruas antea non attenderit, dubitabit, cui auctores nominatos, et REAVMVRIVM praecipue, cum mea deſcriptione conferre volupe eſt. Quaenam vero ſpecies praeciſe fuerit, in illa deſcriptionum inopia determinare nequeo. Maxime hiſce et quoad figuram et magnitudinem illa larua congruit, cuius muſcam REAVMVR ita deſcribit: *z*) "*elle a des antennes priſmatiques;* „*elle eſt brune, et de l'eſpece de ces petites mouches, qui* „*nous incommodent en eté dans nos appartemens, ou* „*d'une eſpece tres-ſemblable.*". Sed laruam duobus vncinis depingit, dum ego in meis vnum modo animaduerti, et obtuſus inſuper finis nimis abruptus, et vi quaſi abſciſſus, in icone conſpicitur. Nec nouiſſe illi, qui LINNEANO in definiendis rebus natura-

y) Vid. Diſſertatio *de Politia naturae* praeſ. LINNEO a cl. H. C. D WILKIO propugnata. Reliquae duae ſunt laruae muſcae Caeſaris, et muſcae vomitoriae. Cfr. *Faun. Suec. Spec. 1828. et 1831.*

z) Vid. *Memoires, l. c. p. 393. et Tab. 26. Fig. 1. 2. 3. 5.*

turalibus acumine delectatur, sufficit, vtrum musca haec, illa praecise, quae domestica vocatur, sit, an alia eidem maxime affinis. Musca domestica a cel. LINNEO *a)* dicitur "*M. antennis plumatis, pilosa,* „*nigra, thorace lineis obsoletis; abdomine nitidulo tes-* „*sellato, minor.*" Et a carnaria eo praeter alia signa differre notat, "*quod illa duplo minor sit; quod sub* „*volatu bombos non edat; quod non ita putrida quae-* „*rat; quodque aliter generetur;*" nec alia signa, accuratius intuenti se sistentia, excludit. Ad metamorphosin obseruandam, laruas istas, ex aegro captas, non commodo quidem loco, quod doleo, reclusi, omnibus spiritui vini statim immissis. Sed rationes adsunt, cur credam, quod ex ouis muscae domesticae profectae sint. Incredibile fere est, quanta muscarum domesticarum *b)* copia continuo ad lectum aduolarent, aegrumque suctu suo tor-

 querent,

a) *Faun. Suec. Ed. 2. Sp. 1833.*

b) Vix existimauerim in harum consociatione Conopem calcitrantem (*Syst. nat. Ed. 10. T. 2. p. 604.*) fuisse, quam frequentius longe, in aedibus etiam hominum munditiei studiosorum, Gottingae, quam in Suecia olim, reperi. Non memini enim, eam obuiam mihi venisse, quae licet magnitudine, figura, colore, omnino cum musca domestica conueniat, puncturis tamen pedum molestissimis, quas aestate ad finem vergente, et pluuia instante, exercet, quin nobis inuitis, facile dignoscitur, quarum rationem attentior in rostro acutissimo eoque duro, muscam domesticam deficiente, detegit. Ex laruarum natura nihil lucis desumi potest, quum ea nos adhuc lateat, adeo vt ne acutissimus quidem insectorum scrutator, cel. GEOFFROY, (*Histoire abregée des Insectes, qui se trouvent aux environs de Paris T. 2. pag. 538. Tab. 18. fig. 2.*, vbi nomine Stomoxys describitur) notitiam eius habuerit.

querent, vt in clamorem vsque nonnunquam erumperet. Hinc venenatum liquorem ad illas necandas ipsi lecto imponendum curauerat; quod, quum nihilominus tamen non sufficeret, puerum adstare iusserat, qui continuo a facie muscas flabello abigeret. Operti quidem pedes, quoad plurimum tempus, stragulis erant. Sed quum lintea mutarentur, muscae facile accedere et oua sua deponere potuerunt. Indicaui praeterea, laruas, quae per rimas, ouorum forma, vitrum in fenestra positum intrauerant *c*), ab hisce nulla in re discrepasse; nec sane tum temporis, quantum equidem scio, in conclaui meo, praeter muscam domesticam, aliud muscarum genus aderat.

§. 12.

Nullum, spero, morabitur, quod nonnisi in aegri pedibus vermes descripti occurrerent, quum tamen muscis, ouis grauidis, facilior ad faciem et manus, pari vlcerum foeditate conspurcatas, aditus esset? Contigit enim fortasse, vt et hic muscae quaedam oua exonerarent; quoniam facies vero et manus, crebrius magisque sollicite, mundabantur: necata forsitan vel detersa tempestiue fuerunt. Nescio praeterea, an muscis hae partes aeque commodae

c) Vidit REDVS circa foramina cistulae, cui putridam carnem immiserat, partim oua, partim vermes, odore foetido inuitatos. (*Experimenta circa generationem Insector. pag. 43.*) et quum carnem in vase velo Neapolitano tenerrimo tecto, et, intra arculam eodem subtili velo obductam, recondito seruaret, in superiori velo vermes circumuagari obseruauit (*l. c. p. 57. sq.*)

modae ad foetus ſuos recipiendos viſae ſint? Nam ſcimus inſecta curam ſemper habere, vt oua in loca, proli ſuae fouendae et nutriendae aptiſſima, deferantur. Hinc muſcae laruae, licet carnis auidiſſimae ſint, nonniſi illam tamen, quae iam in certum quendam putredinis terminum vergit, in deliciis habent *d*). Carnem quaerunt humidam, in modico calore conſtitutam, et contra aëris iniurias probe defenſam. Iucundum eſt experimenta REAVMVRII hac de re facta *e*) legere. Alligauit nempe femori columbae viuae, plumis euulſis, fruſtum carnis bubulae, muſcarum laruis refertae, vt tentaret, an laruae iſtae ipſum femur corriperent. Sed non multo poſt eſcam ſuam deſeruerunt, et qui remanſerant, perierunt omnes; quum ſcilicet caloris gradum maiorem paterentur, quam cui ferendo pares erant. Alio experimento immediate ad columbae muſculos corruptam carnem applicuit, quin intra ipſam cutem vermes intruſit. Verum hi citius adhuc quam priores aufugere coacti ſunt, et qui in fuga languidi erant, intra horae ſpatium interierunt. Vnde notat, quod vermes, quibus mortuas carnes deuorare datum eſt, inferiorem longe iis calorem perferre queant, qui intra viua corpora nidulantur. Quando praeterea fruſtum illud carnis loco ſoli radianti et ventis obnoxio ſuſpendebat, nunquam oua muſcae poſuerunt; quod vero contra factum eſt, ſi carnem

 ſupra

d) REAVMVR *loc. cit. p. 361.*

e) *Loc. cit. pag. 359. ſeq.* vti et *pag. 365. ſeqq.*

ſupra terram humidam *f*) quieto loco expoſuit. — Si vero ſemel vermes in carnem, indigentiae ſuae conuenientem, inciderint, eam humore illo glutinoſo, quem excernunt, adhuc magis ad eſcam praeparant, eoque putredinem augent, quod coquis ſat ſuperque notum eſt *g*).

§. 13.

Fauebat maxime vermibus hiſce generandis miſera ipſius aegri conditio? Laborauerat ille per longum tempus inſigni pedum et crurum oedemate, quod conſuetum huius morbi ſymptoma eſt. Hactenus lympha intra cutem ſtagnans remanſerat, poſtremis vero diebus vna cum virulento ichore ex pedum vlceribus, continuo fere riuo, profluebat. Quae profuſio non potuit non erodere cutem, aegrumque ob nudatos neruos alluentis aëris pertaeſum reddere, ita vt tectis etiam pedibus de frigore quereretur. Qua de cauſa, ne quid de repentina coniugis, quae hucusque curam eius geſſerat, morte dicam, iuſto parcius lintea mutata ſunt. Huic accedit, quod eo temporis interuallo, quo vermes reperirentur, rigeſcerent pedes, et ſtuperent, vt ne leuis quidem agitatio in lecto locum haberet, nec ex tot vermiculorum reptatu ac roſione aeger aliquid perciperet. Aderat ſimul calor, quo ad vermes generandos opus eſt, quum, vt ingratum frigoris ſenſum leniret, denſis ſtragulis pedes contege-

f) Defectus requiſitae humiditatis in cauſa eſt, quod vermes carni fumo induratae parcant.

g) REAVMVR *loc. cit. p.* 370.

tegeret, et aëris tempeſtas nimis praeterea calida eſſet. Scilicet verſus Auguſti menſis finem vermes comparuere. Tanta exinde putredo oriebatur, vt quum ſtragulas attolleret, nares ſale quaſi volatili afficerentur. Habitabat inſuper quoad plurimam partem in conclaui anguſto, quod aër non libere perflare poterat, et quidem in infima domus contignatione, ex humi ſubſtratae vaporibus humida. Notari meretur, quod tribus modo ante obitum diebus vermes iſti pullularent. Non vero in pedibus modo verſabantur, ſed, caſei vermiculorum magnitudine, in ipſa quoque ſtragula, vbi ichoris ſpurcitie inquinata erat, coaceruatim collectos eos deprehendebam. Vtrum vero muſcae in ipſam ſtragulam oua ſua poſuerint, an haec ipſa de pedibus deterſa ſtragulae adhaeſerint, non dixerim.

§. 14.

Plurimi horum vermium ſummum fere, quum primum aegro et adſtantibus apparerent, magnitudinis ſuae faſtigium iam attigerant, idque cum celeritate iſta incrementi, quod muſcarum laruis generatim competere obſeruatum, probe congruit. Per biduum abfueram, vt, an eo tempore lintea mutata fuerint, dicere nequeam. Certum tamen eſt, quod non antea aeger, quam eo ipſo die, quo illum iterum viſebam, eos detexerit. Obſeruatum eſt, vermem plerumque intra viginti quatuor horas, poſtquam oua poſita fuerint, emergere *h*). De quibusdam vero muſcis nouimus, quod praeter

h) REAVMVR *Memoires, l. c. p. 369.*

oua et viuos vermes edant; quod et REDVS *i*) iam notauit. Putat ille, quod non ſemper oua parerent, a defectu commodi anni temporis, quod vim quandam maturantem ſecum vehit, dependere. Contra SCALIGERVM ſimul pugnat, qui omnibus muſcis duplex hoc pariendi genus eſſe ſtatuit. REAVMVR *k*) teſtatur, ſe in ſex vel ſeptem ſpeciebus viuos vermes prodire vidiſſe. An hoc idem muſcis domeſticis proprium ſit, ob tenebras obſeruationum dicere nequeo. Si autem ita eſſet, maior adhuc lux affulgeret, qua ratione tam cito creſcere potuerint; ſiquidem dies ille, qui alias maturandis ouis impenſus fuiſſet, nunc in vermis incrementum cederet. Quanta dein celeritate poſt partum creſcant, REDVS quoque experimento nos condocefacit. Vermes enim, in piſce putreſcente nati, poſtero die duplo maiores euaſiſſe videbantur. Et, ponderans eos inſequente die, ſingulos ſeptem grana graues inuenit, quum tamen praecedente die viginti quinque ad triginta vermes vix vnicum granum pondere aequarent. Intra ſeptem vero, et nonnunquam intra quatuor vel quinque dies creſcere deſinunt, et dein, quorumdam dierum ſpatio interiecto, in puppas tranſeunt. Verſus illud tempus dapes ſuas deſerunt, et latibula, ad metamorphoſin ſubeundam commoda, quaerunt.

§. 15.

Quod vero tam ingens vermium multitudo intra tam paruum temporis ſpatium in aegro nata fuerit,

i) *L. c. p.* 59.
k) *L. c. p.* 406.

fuerit, mufcarum ftupendae fertilitati tribuendum eft. Cuiuis enim patet, quod mufcae ingentem ouorum copiam in varios aceruos deponant. Et qui eousque curiofi fuere, vt oua ifta numerarent, narrant, fe in quouis aceruo duodecim oua, plus minus, deprehendiffe, et iunctos ducenta circiter oua complexos effe, quae omnia vnicam tantum matrem agnouerunt *l*). Quae tamen fobolis multitudo inter infecta non magis mira eft, quam feminum in ftirpibus ex vna eademque radice prouenientium copia *m*), vtquae id vtilitatis habet, vt, fi quaedam fua vita deftituerentur, alia remoram, ifta inertia in propagatione fuboriundam, refarcirent.

§. 16.

Verum ille aeger non primus inter leprofos fuit, in quo mali vehementia vermes producti fint; fed paffim alia exempla exftant. Supra iam memini AVGVSTINVM CALMET *n*) fibi animalcula in lepra concepiffe. Illa autem tanquam caufam mali confiderat, et tam parua fingit, vt fine microfcopio detegi non poffint; quum haec, de quibus loquor, effectus atrocis morbi fint, et nudo oculo confpici queant.

l) REAVMVR *l. c. p. 368.*

m) Ex vnico e. c. Papaueris femine, 32000. et ex vno Nicotianae 40320 alia femina, vnica aeftate emerferunt. Conf. ill. LINNEI *Philofophia botan. p. 86.*; vti et DODARTII Commentationes *de la fecondité des plantes*, in *Mem. de l'acad. des fc. A. 1700 et 1701.*

n) CALMETI *Dictionaire hiftorique de la Bible*, *Tom. 2. p. 478.*, fub voce *Lepre;* et eiusdem *Biblifche Unterfuchungen. Ed.* MOSHEIM. *Unterf. 12. Part. 2. p. 162. feqq.*

queant. Nam quoniam ex corruptela humorum quaedam in lepra obuia momenta, (quod nimirum contagium tam facile fpargatur, quod praecipua labes in cute exferatur, alia,) non fatis commode explicari poffe credit, ad animalcula confugit. Ipfe tamen fub fcribendo effatum fuum aliquantulum reftringere videtur *o*), quum dein, praeter animalcula, cacochymiam quandam corporis, leprae producendae opportunam, admittat; nifi difcrimen, quod alio loco *p*) de lepra condit, heic lucem accendat. Aliam enim ab interna humorum corruptela dependere, aliam confortione cum eiusmodi aegris contrahi, affirmat. In hac proxima tantum fpecie animalcula accufaffe eum exiftimo. Sed mittam coniecturas, et quae verae obferuationis rigor fubminiftrauerit, indicabo. Inter alias fententias, quas auctores de morbi natura, quo Iobus laborauit, fouerunt, illa, quod elephantiafi Graecorum laborauerit, vero fimillima effe videtur. ORIGINEM ita iam iudicaffe ex Quaeftionibus ill. MICHAELIS *q*) difco, cui et ipfe adftipulatur. Nam quod nonnulli lue venerea eum affectum fuiffe dicant,

p) *Unterfuch. l. c. p. 171.*

p) CALMETI *Dictionaire, l. c. p. 477.* "Je crois, dicit, „qu'il faut diftinguer deux fortes de lepre; l'une, qui „vient d'une corruption interieure, et l'autre, qui fe „gagne par le commerce exterieur avec un lepreux. „La corruption du fang peut etre a divers regards, „la caufe et l'effet de la lepre."

q) *Fragen an eine Gefellfchaft, p. 101.* Cfr. MEAD *de morbis biblicis, p. 8. Ed.* OEDER.

cant, vix attentionem meretur; et quod MASSEY *r*) Iobo variolas a diabolo infitas ftatuat, ridiculum fane eft. Ad innumera illa mala, quibus caftigabat illum diuina poena, vermes acceffiffe legimus et moleftiffimum vitae tormentum procreaffe, vt queri cogeretur: "*Induit caro mea vermes*", et alio loco: "*Nocte offa mea perfodiuntur.*" In obferuationibus medicis, quae ftudio medicorum quorundam Londinenfium prodeunt *s*), pariter de vermibus, in lepra inuentis, mentio fit. Defcribit enim Gallicus quidam medicus naturam mali huius ex obferuationibus in vrbe, Martigues dicta, inftitutis, quae in oftio lacus inter Arelatum et Maffiliam fita eft, vbi ante longum tempus, in leproforum vfum, peculiare nofocomium exftructum fuit. Haec vero de vermibus habet: "*The furgeons, who have the* „*care of dreffing them, have affured me, that they have* „*fometimes found worms in them, perhaps this might* „*happen becaufe they were too feldom dreffed.*" Et cl. PEYSSONEL *t*), qui ftatum miferorum, quos in infula Guadaloupe lepra infeftat, expifcatus eft, "*in* „*fome*, ait, *the hair fell off; which was replaced by a* „*finer kind: in others, worms were found in their ulcers.*"

Poft hofce praeftantiffimos viros, Suecus quidam, MARTIN, medicinae cultor, in lepram Nor-

vegis

r) *Sermon. p. 6.*

s) *Medical Obfervations and Inquiries by a Society of Phyficians in London 1757. Vol. I. Obf 19. p. 201.*

t) V *Philofophical Tranfactions, Vol. 50. Part. 2. for the Year 1757. Obf. 7. An account of a Vifitation of the Leprous Perfons in the Ifle of Guadaloupe.*

vegis familiarem, quo par eſt, ſtudio, inquiſiuit. Deſcriptis iſtis *u*), quibus per tria ſua ſtadia diſtinguitur, notis, cauſam mali indagare anniſus eſt, et quum vulgaris inter gentem iſtam opinio obtineret, ex ingeſtis morbidis piſcibus et pecoribus, et quidem leprae quodam genere inquinatis; illud oriri, ipſa haec animalia ſollicite examinauit. Conſtitit tum, praeter alia multa piſcium vitia, in Salmone alpino copiam vermium intra tubercula inteſtinorum delituiſſe; et in boue lepra enecto intra tubercula, per varia viſcera diſperſa, pariter vermes conſpicere ſibi viſus eſt. Hisce ductus tandem in coniectura ſubſtitit, anne omnis lepra tam in animalibus, quam in hominibus obuia originem ſuam a vermibus repeteret. Vere ita eſſe ex hiſce paucis quidem concludere non vacat: ill. tamen LINNEVS *x*) nouis ſine dubio poſtea teſtimoniis eo peruenit, vt "*vermes minutos Gordii facie in* „*Norvegia elephantiaſes excitare et vlcera cacoethica, ex* „*obſeruationibus Martini,*" pronunciaret *y*).

Prout

u) V. *Kongl. Vetenſk. Acad. Handlingar för år 1760. p. 306.*

x) *Amoenit. acad. Vol. 5. p. 103.*

y) Probabilem adhuc magis hanc coniecturam reddere anniſus eſt ill. A LINNÉ variis argumentis, quae tres circiter annos poſt in *Diſſ. de lepra*, reſp. ISACO VDDMAN *1765. p. 11.* protulit, quae ipſa hic ſubiicere non ab hac materie alienum eſt. Lepram ibi tribuit vermiculo cuidam, Norvegis *Queiſe* dicto, inter Gordios et Aſcarides figura quaſi medio, quem nomine Gordii marini nouiſſime (*Syſt. Nat. Ed. 12. Tom. 2. p. 1075.*) deſcriptum inuenio. Eſt vero filiformis, in planum ſpirale conuolutus, albus, pollicis dimidii longi-

Prout autem ex dictis non vnum modo vermium genus, siue istos causam tetrae luis agnoscas, siue

longitudine. De hoc vermiculo venerandum in Norvegia Theologum, STRÖM, in historia naturali et oeconomica Sundmoerae Norvegiae (HANS STRÖMS *physisk og oeconomisk Beskrivelse over Fogderiet Sundmör i Norge*) significare refert, neminem eorum, qui mare accolunt, esse, quin ab isto lepram prouenire existimaret. Quod quidem assertum STRÖMII menti aduersum, expressis verbis declarat O. FR. MÜLLER (*von Würmern d. süss. und salzigen Wassers, p. 112. sqq.*) Crebrum asseuerat LINNEVS Gordium esse in iecinore Lucii, et in Clupeae omnibus fere partibus, ita vt ipsos musculos ad ossa vsque peruadat. Haecce legens indicare operae pretium iudico, me haud ita pridem in Harengis exsiccatis (Bücking), qui in hac vrbe vendebantur, copiam vermiculorum filiformium in ipsa adeo piscis carne conspexisse, quos, quum mortui et pariter exsucci plurimam partem apparerent, quum viueret piscis, illi iamiam inhaesisse iudico. Viuos adeo in Harengis exsiccatis obseruauit cel. HANNES (*von d. Friesel, p. 95.*) et dein animalcula haecce in Harengis sale conditis reperit. Crebriori igitur halecis esu in hominem transmigrare cel. A LINNÉ arbitratur, idque nominatim ideo, quod piscis hic rarissime hoc vermiculo immunis existit, quod vermibus in vniuersum tenacissima vita competit, quod hic ipse vermiculus praeter consuetudinem per viscera ipsa et musculos piscium penetrat, quod tubercula, vbi haeret, istis leprosorum hominum non absimilia gignit, quod denique in locis potissimum maritimis lepra grassatur. Interim non diffitetur veri amantissimus vir pluribus obseruationibus opus esse, antequam haec leprae in hominibus origo extra omne dubium posita sit. Quae de medicamentis, et leprae curandae et vermibus alias necandis, oportunis refert, ex ipsa disputatione velim lectores repetant. Tenaciter vero illustrem A LINNÉ coniecturae dictae de causa Norvegorum leprae serius inhaesisse, ex dissertatione nouissima, cui titulus *Rariora Norvegiae*, resp. HENRICO TONNING Febr. 1768. videre

siue inualescente malo modo prognatos existimes, in lepra occurrere patet: ita et a cl. ROLANDRO in America australi facta obseruatione euincitur, vtqui teste LINNEO z) in elephantiasi nigritarum singularem muscam pediculo minorem, quae et *Musca leprae* dicta fuit, animaduertit. Paucissima sunt, quae pro scopi ratione memoriae ill. LINNEVS hac de re prodidit. Vnde vtrum de larua huius insecti, an de ipsa musca, volucris iam facta, sermo sit, determinare nequeo.

§. 17.

Miror vero, quod veterum nemo inter leprae mala vermes recenseat, quum tamen alia, quae minoris momenti incommoda haberi possunt, non reticeant. An ideo eorum recensio, quod vulgaria vlcera saepe vermibus conspurcantur, illis superuacanea visa fuit? Nam in vlceribus, quando vel rarius, deligantur, vel in sordidis hominibus erumpunt, quod chirurgi tempore aestiuo in nosocomiis bellicis praecipue experiuntur, non raro vermes pullulant. Vermium pullitiem in mortui corporis vulneribus ex muscis aduolantibus iam cognouit HOME-

videre est. — Vero, quantum constat, propius accedunt, qui leprae, in septentrionalibus regionibus obuiae, caussam in vitae genere diaetaque peruersa quaerunt, quae ipsa vitia plurimam partem in esu nimio piscium salitorum vel male praeparatorum, phocarum, vel commoratione diuturna in aëre frigido et humida consistunt. Conf. cell. BÄCK et ODHELIVS *loc. cit. p. 357. not. d.*

z) *Syst. Nat. Ed. 10. T. 1. p. 598. (Ed. 12. T. 1. p. 994.)*

HOMERVS *), ACHILLEM producens occiſi acre PATROCLI corpus ad arcendas muſcas pallio contegentem, donec deferri inde cadauer et honorifice humari poſſet. Sed redeundum ad vermium, qui in viui corporis vlceribus obueniunt, conſiderationem. Horum GALENVS *a*) iam meminit: "*vnde in abſceſſibus*, inquit, „*multoties inueniuntur animalia*, *illis*, *quae ex putredine* „*generantur*, *ſimillima*." Medelam quoque contra *vlcera*, *vermibus ſcatentia*, commendat *b*). AEGINETA pariter docet, quomodo necari poſſint *c*). Recentiorum hac de re teſtimonia litteris mandata non minus frequentia ſunt; quos inter SENNERTVM *d*), BORELLVM *e*), PLATERVM *f*), POTERIVM, numero. Fruſtra vero apud pleroſque, vtpote qui vel ſolo nomine contenti, vel magnitudinis modo et coloris rationem habuerunt, exactam vermium deſcriptionem quaeras, quae tamen grata naturam ſcrutantibus futura fuiſſet, vt nimirum pateret, an ſemper laruae modo muſcarum adfuerint, et vt, quodſi adfuerint, de ſpecie praeciſe conſtitui poſſet. Accuratam tamen CHRISTIANVS A STEENEVELT *g*), vermium in vlcere repertorum deſcriptionem, adiecta

*) *Iliad.* 19.

a) *Lib. de tumoribus praeter natur. Cap.* 4.

b) *De compoſ. medicam. per gener. Lib.* 4. *Cap.* 10.

c) *Lib.* 4. *Cap.* 42.

d) *Lib.* 5. *Part.* 2. *Cap.* 11.

e) *Obſerv. Med. Cent.* 2. *Obſ.* 48.

f) *Praxeos T.* 2. *cap.* 17. *p.* 554.

g) V. EIVS *Diſſ. de vlcere verminoſo* in BIDLOI *Operibus omnibus et Icon p.* 18.

iecta eius imagine, dedit, quibus et prima eorum forma, et proxime insequens in puppas, et ipsas muscas, transmutatio conspicua redditur. Recentiorem vero, non minus sollicite factam, eiusdem generis obseruationem cl. FARION *h)* debemus. Memorat enim puerum, qui per aurem mensis spatio copiam puris emisit, improuiso insigni dolore correptum fuisse, adeo vt in conuulsiuos motus incideret. Dolore vero aliquantulum remittente, extracti fuerunt 3 vermes, quos an metamorphosi obnoxii essent, vt experiretur, chartae inclusit. Quinque diebus praeterlapsis, in puppas transierunt, ex quibus tandem muscas prodiisse dicit, maiores, quales aestate carnes putridas depascuntur. Quum viliorem istam laruarum muscarum speciem adfuisse narret: indicio est, maiorem in auris vlcere putredinem iam inualuisse *i)*, quam quae muscae domesticae commoda est, de qua ill. LINNEVS leuiorem tantum putredinem ferre contendit.

Foetor

h) VANDERMONDE, *Journal de Medecine etc.* Mensis Augusti *A. 1758. pag. 138.*

i) Varia carnium genera ab vna eademque musca consumi, per obseruationes, in primis REDI, manifestum est, qui non vulgares modo, quas commedimus, carnes, sed rariores, prout leonum, tigridum etc. vti et serpentum, ranarum et aliorum animalium, muscis exposuit. In his vero omnibus non nisi quatuor diuersae vermium species natae sunt. (Vid Eius *Experimenta circa generationem insectorum pag. 27. seqq.*) Sed non statim exinde concludere licet, muscas nullum plane delectum facere, sed quouis putridae carnis genere contentas esse (Conf. REAVMVR *Memoires T. 4. pag. 363*): nisi locum habeat, quae animum meum

subit

Foetor vlcerum ſine dubio primum hiſce caſibus allexerunt muſcas, vt oua illuc ponerent; qui quantam vim in haec inſecta habeat, ipſe pluries in Stapeliae hirſutae L. flore expertus ſum, vt in quem cadauerini odoris non ſolum inter pilos muſcae ſua oua mittunt, ſed his ipſis in laruas transmutatis hae vndique depaſcere florem incipiunt. Eadem ratio videtur apud eos ſubfuiſſe, quorum in naribus per tempus hoſpitantes vermes cephalalgiae diriſſimae cauſa exſtitere *).

§. 18.

Haecce ſunt, quae ad ill. MICHAELIS quaeſtionem regerere poſſum, quibus et nouum vermium in lepra repertorum exemplum ſubminiſtratur. Nolim tamen, hiſce inductus aliquis exiſtimet, me omne reliquum vermium genus a lepra excludere velle. Fieri enim poteſt, vt pro putredinis vario gradu, vel acceſſu aliis patente, alia inſecta alliciantur, quod et alienis quibusdam a me allatis hiſtoriis probabile redditur. Nec omnino abſonum videtur, in quibusdam lepra contaminatis aegris,

ſubit ſuſpicio, fore, vt pro vario putredinis gradu carnes ita praeparari poſſint, vt diuerſis muſcis placeant. Cuius coniecturae vel veritatem vel falſitatem nondum licet experimentis firmare poſſim: firmandi tamen olim otium forſitan et occaſio ſuppetent.

*) V. de hiſce memorabile exemplum a cl. WOHLFAHRT (*Obſerv. de vermibus per nares excretis*, *Halae 1768. 4.*) enarratum aliaque ſimilia, quae cum hocce coniungit, ex aliis auctoribus collecta.

aegris, duplex ſtatuere vermium genus, quorum alterum pro cauſa, alterum pro effectu tetri morbi habendum eſſet. Quae vero, vt vlterius confirmentur, vtut magni naturalis pariter ac medicae ſcientiae intereſt: equidem tamen, ſciendi ſatietatem aliorum miſeriis, niſi quousque officii ratio iniungat, redimere non geſtiens, vt proprio iſta ſtudio indubia reddendi opportunitas exſtet, non valde opto.

HISTORIA LEPRAE

IN QVA VERMES SVPRA DICTI COMPARVERVNT.

Haud ingratum lectoribus futurum ſpero, ſi ſuperius a me recenſitis, de vermibus in leproſo homine repertis, obſeruationibus, iam, quum iſtae typis mandandae ſunt, ipſam tetri morbi hiſtoriam adnectam. Quum enim ipſa mali raritas ad iſtam conſignandam inuitare videtur: tum vel maxime illuſtrandis variis de vermibus prolatis momentis inſeruiet. Nec refragari licet iis haec mea legentium, qui rationem nominis, quo morbum nuncupaui, non auctoritate aliorum tantum, ſed propria obſeruatione nixam, expoſcunt. Deſcribam ideo cutis illud vitium, eadem quidem fide, qua aduerſariis, quum eius ſpectator exiſterem, excepi, non vero, prout ibi factum eſt, ſecundum dierum ſeriem.

feriem. Quae licet morbos delineandi ratio auctorum commoditati haud parum faueat: taedium tamen plerumque, ob amplius et interruptum dicendi genus et multa iam dicta repetendi necessitatem, in morbo praecipue chronico, lectoribus parit, obscuriusque longe ipsius morbi effigiem et neruum repraesentat.

* * *

Aeger, foedissimo isto cutis vitio affectus, fuit sartor Gottingensis, G***, homo annos circiter quinquaginta natus, matrimonio coniugi, et de mariti salute et rei familiaris augmentis sollicitae, iunctus, et plurium liberorum pater, quorum filia dimidii anni aetatis ex phthisi neruosa, sub diro patris morbo, d. 11. Iulii mortua. Ea autem vitae suppetiarum copia instructus erat, vt nec aerumnis eneruari, nec victu pauperiori et insalubri inquinari sensim, corpus posset, nec semel contracta valetudinis labes medicamentorum et necessariae curae defectu altiores radices agere. Temperies vero aegri cholerica, in iras et turbas facile erumpens, corporis habitus plethoricus.

Primum eum die 10. Maii anni 1762. conspexi, quo, misero morbi spectaculo perculsus, de iis percontari eum statim coepi, quae et originem et incrementum tetri mali illustrare possent. Quae et haud inuitus enunciauit, pluries dein ab ipso mihi confirmata. Laborauerat ille iam annos aliquot antea crebra impetigine, quae vero commoda

 mede-

medela, iam a b. BRENDELIO, meritiſſimo viro, ipſi ſubminiſtrata, euanuit. Per notabile tum temporis ſpatium cutis iſto vitio liber manſit; paullatim vero noua exanthemata efflorefcunt, quae, quoniam muneris ratio frigori et tempeſtatibus ſeſe ſubtrahere eum non patiebatur, et copia et moleſtiarum vehementia in dies increuerant. Ex itinere redux medicum aliquem ſtatim adhibuit, quem vero, ſulphuris floribus et interne et extrinſecus fruſtra tentatis, paullo poſt dimiſit. Succeſſit agyrta, Gottingenſi plebi olim venerabilis, ſub cuius curatione, vt agyrtam decet, arcana, herniam inguinalem (an potius bubo?) natam eſſe narrabat, ſponte tamen euanidam. Excepit hunc chirurgus quidam decrepitus, qui venereum fomitem latere exiſtimans, ad hunc exſtinguendum omnes neruos intendit. Accita igitur vnguenta mercurialia *), purgan-

*) In lepra quidem pariter ac in lue venerea fomes mali membranam adipoſam affectat, quod, vt vnice in caſu, mihi obuio, maneam, ex copia effuſi per vlcera manus puris cum decremento tumoris ipſius brachii coniuncta, ex conſumtione adipis in vola manus, et ex rugis ſub progreſſum morbi in pedibus conſpectis, ſatis apparet. Sagaciores tamen medici mercurium non refraenare malum, ſed incitare animaduerterunt, etiamſi illud aliquando pro tempore eo mitigari videatur. Congruit hoc cum obſeruationibus cl. PEYSSONEL (*Phil. Tranſactions Vol. 50. pag. 40.*). quibus cel. HILLARY (*Obſervations on the changes of the air and the concomitant epidemical diſeaſes in the Iſland of Barbados pag. 329.*) ſubſcribit. Eiusdem ſententiae cl. IOANNIS eſt, qui lepram in vrbe Martigues Gallo-Prouinciae enatam deſcripſit. (Vid. EIVS narratio de eadem in *medical Obſervations and Inquiries Vol. I. pag.*

purgantia eiusdem indolis, quae ipſum adeo turpethum minerale receperunt, quibus non mirum, quod ptyalismus ſuſcitaretur, quae inter tamen externe calcis aqua, alumen aqua ſolutum, aliaque eiusdem fecis adhibita. Perperam vero eum virus venereum accuſaſſe, tum inde cognoſcitur, quod iſtae partes, in quibus omnium primo ſeſe manifeſtare debuiſſet, integrae fuerunt, tum et quod mercurialium vſus non correxit morbum, ſed deteriorem reddidit. Idem chirurgus dein ſuccos herbarum recentium, cum ſpiritu vini hauriendos, propinauit. Quum inter horum vſum malum inualeſceret, et alius Dransfeldi degens eiusdem tenoris homuncio magnam peritiae ſuae exiſtimationem excitaſſet, priorem repudiauit, ſed alter ſuccedens, qui liquore cuidam corroſiuo manus

Bb 3 crebro

pag. 210.) Nec TVRNERO (*Treatiſe of diſeaſes incident to the ſkin. Verſ. Germ. pag. 84. ſqq.*) aliisque, quos memorat, experimenta in leproſis cum mercurio ſucceſſerunt. Sollicite ideo cel. SCHMIEDEL (Vid. *Diſſ. de lepra. Erlangae 1750*, quae exſtat in *coll. Halleriana Diſput. pract. Vol. 6. pag. 83.*) in duobus aegris, lepra Graecorum inquinatis, veſtigiis aliorum territus, mercurium vitauit. Non conducere eum ſed officere in hoc morbo experimentis ſuis quoque certiores euaſerunt cll. ODHELIVS (*Vet. Acad. Handl. 1774. pag. 266.*) et SCHILLINGIVS (*de Lepra pag. 36*). Quo vero et exemplum ſalutaris mercurii in lepra virtutis ex teſtimonio recentioris medici citetur, cl. WESZPREMI (*Obſervationes med. Trai. 1756.* inſertae *coll. Hall. cit. Vol. 6. pag. 817.*) nominandus eſt; et nouiſſime cl. THOM. HEBERDEN, elephantiaſin in Madera obuiam perite deſcribens, teſtatus eſt. mercurii vſu, contra vulgarem opinionem, lepram nullo modo exaſperatam fuiſſe. Vid. *Medical Transactions Tom. I. 1768. pag. 39.*

crebro immergendas suaserat, idem mox pro merito fatum tulit. Quod et postea contigit tonsori Gottingensi, cuius pulueres, quorum duo modo sumsit, deiectiones alui vehementissimas excitarunt.

Tandem ill. VOGEL, Regiae Maiestatis Archiatri, auxilium, ad reparanda tot damna, quae peruersa curatio creauerat, et ad subigendum malum, ipsa mora obstinatius factum, quod in vniversum secundum LOMMII *) effatum, *increbrescens depelli remediis non potest*, efflagitatur. Qui celeberrimus vir postea ad finem vsque vitae curam eius gerens, me tum temporis, quo nec doctoris titulo, nec publico quodam munere instructus eram, comitem sibi benigne associauerat.

Ego vero, qui 14 diebus serius accessi, aegrum miserrima iamiam memoranda conditione decumbentem reperi. Nulla quidem febris, qua tamen, comitibus delirio et colica, tempus aliquod ante cl. medici accessum laborauerat, iam sentiebatur; nec vlla in functionibus, quibus peragendis sani pares sumus, labes. Sed facies tuberculis orbicularis et conuexae figurae, fuscis, insigniter supra reliquam cutem eleuatis, foedata erat, quae nasi praecipue pinnas, labium superius et mentum occupauerant. In pectore exanthematum diuersa erat magnitudo, eorundemque inter sese contiguorum, partim rubentium, partim nigricantium. Maxima erant et teterrima, quae manus et brachia infe

*) *Obseruat. med. pag. 60.*

infeſtarant, vt quae ad floreni magnitudinem fere accedebant, marginemque valde inflammatum coloremque liuidum prae ſe ferebant, copiam ichoris pellucidi, quin hinc inde verum pus, fundentia. Horum tamen interſtitia ſana apparebant, excepta compage cutis conſueta nonnihil duriori. In dorſo manus et carpi confluxerant quaſi exanthemata, ſaniesque cutem profunde exederat: et ipſa manus inſigniter intumuerat, digiti autem modo ad phalangem primam, metacarpo vicinam. Volae contra ea manus efflorefcentiae omnino pepercerant. Pedum par ac manuum ratio erat, eo modo diſcrimine, quod in illis hinc inde colliquatio inſignior, cum eroſione profundiori et inflammatione exanthematum maiori coniuncta, exiſteret. Nec abdomen dorſumque liberum erat, ſed totum corpus, natibus et pudendis, aegro narrante, exceptis, efflorefcentiis infeſtatum. Auxerunt miſeriam pruritus dolorque, quem in locis exulceratis ſentire ſe querebatur, et foetor aegro pariter ac adſtantibus moleſtiſſimus. Quum multum emolumenti in leprae ſanatione a viperis *), inde a veterum tempore,

*) Viperae GALENI iam, ARETAEI, ANTONII MVSAE apud PLINIVM, Arabumque medicorum in lepra ſuperanda laudes tulere, quae, quicquid PALMARIVS et FERNELIVS, et haud ita pridem cl. WILH. HEBERDEN (*Medical Tranſactions Vol. I. pag. 39.*) contradicant, a multis recentiorum, dignorum fide, in lepra et affinibus cutis vitiis confirmantur. His merito adnumerandi ſunt MEADIVS (*Opera med. Tom. 2. de venenis pag. 51. Ed. Gott.*), MORGAGNI (*de ſedib. et cauſ. morb. Epiſt. 55. art. 15.*) et HAENIVS (*Rat. med. Tom. 9. p. 246.*), quamuis inter encomia quibusdam minus

pore, practici experti sint: hasce statim tentare cel. medicus constituit, easque ideo per totum Maii mensem continua serie, quam dein aliquoties m. Iunio interrupit viperarum defectus, vario modo, in decocto, in puluere, in vino ingerendas curauit, non neglectis simul aliis, quae corruptelam humorum refraenandi et corrigendi, et per excretorias vias eliminandi, vim habent; quorsum vel in miscela viperarum, vel seorsim, cortex Winteranus, radix Dulcamarae et Bardanae, herba Saponariae, cortex Peruuianus *) et Myrrha spectant. Quae omnia initio quidem haud exiguam spem excitarunt, continuato vero vsu **) et tempestatis calore adolescente, quo generatim ingrauescere cutis vitia solent, eam iterum frustrata sunt. Iuncta hisce externe foliorum Boni Henrici recentium applicatio, quae in eliciendo pure, cui haud raro ipse cruor successit, et exulceratis locis depurandis, efficacissima initio fuere, pruritum autem insigniter auxe-

minus profuisse (*Tom. 10. pag. 311. Tom. 12. p. 228. sqq.*) non diffiteatur. In nostro efficaces initio sese praestiterunt (nisi effectus pars et reliquis simul vsurpatis remediis tribuenda) licet siccatae exhiberentur, quae vero non possunt non recentibus in iusculo coctis, vel instar piscium paratis, virtute longe inferiores esse.

*) Analogia, quae inter lepram, et gangraenam, vulnera, praecipue vero strumas, intercedit, in quibus omnibus corticis peculiarem vim esse notum est, ductus, in leprosis eum quoque cl. TH. HEBERDEN (*l. c. pag. 34. 36.*) vtiliter adhibuit.

**) De parili successus, initio spei blandientis, fallacia querelas mouet cl. TH. HEBERDEN (*loc. cit. pag. 36.*).

auxerunt. Victus vero tenuis blandusque, ex lacteis cibis praeprimis constans, praescriptus est.

Sub horum remediorum vsu in squamas dissolui hinc inde cutis, locis quoque a lepra liberis, prout in manus vola et in brachiis, coepit; ipsum autem exanthema liuidum antea vel profundissime rubrum, tumidum praeter ea, insigniterque durum, partim siccescere, partim emolliri, et crustas formare. Conspicuae hae crustae, eaeque durae et densae, praesertim in facie erant, vbi quibusdam in locis vnicum quasi tegmen effecerant, in palpebra scilicet sinistri oculi superiori, quae inde omnino rigescebat, et in mento, ex quo facile separabatur, relicto loco sicco et paullum modo rubicundiori, quam ipsa cutis. Quae vero in naso erat crusta, eum totum fere obtexit, et quum linteo eam detersisset, copiam puris latere percepit, succrescente dein prioris in locum noua crusta, idque postea in decursu morbi aliquoties. Labium superius valde inter haec intumescebat, et auris externa tuberculis vlcerosis foedabatur. Ex manus vlceribus profluebat, quum folia Boni Henrici auferrentur, copia puris eaque maior, quam quae ibi stagnare potuisset, sub quo vero effluxu tumor exanthematum ad cubiti flexuram enatorum subsedit; vnde per telae cellulosae cauernulas ad manum descendisse pus euincitur. Manus vlcera sensim pura euadebant, et, maculis albidis siue cicatricibus enatis, cutis sanam referens succedebat. Quibusdam in partibus, nominatim in pectore, maculae

 rubrae,

rubrae, inſtar impetiginis, pullulabant, quarum quaedam inconſpicuo modo euaneſcebant, aliis autem, nonniſi poſt cruſtas relictas, pereuntibus. Noua, quae ſucceſſerant ſubinde, exanthemata tuberculatam potius quam planam figuram habebant. Foetor inter haec mitior. Quod non minus, quam ſudores verſus matutinum praecipue tempus copioſi, ſpem curationis alebat. Semel quoque leue ſanguinis per nares ſtillicidium incidit; quod per multos tamen annos non expertus fuerat. Lotium pallidum et plerumque clarum, aliquando etiam turbidum.

Ad initium Iunii, quo viperae pharmacopoliis defuerunt, malum in deterius vergere ſatis manifeſtum erat, ſiue hoc a defectu viperarum, ſiue inualeſcente tempeſtatis calore, dependeret. Iamiam enim ipſam capillatam capitis partem tubercula occupabant, nec ſuperciliis parcebant. Qui olim modo primas digitorum manus phalanges corripuerat tumor, iam ad apicem digitorum ſeſe transferebat; et eodem tumore pedum digiti afficiebantur. Intumeſcere quoque coepit facies et rubere ſub pruritu, qui vero tumor dein mox euaneſcebat, mox renaſcebatur; in palpebris conſtantior, et tam inſignis, vt oculorum fere vſum tolleret. Quum lintea auferrentur, hinc inde ſanguis effluxit. Emergebat variis in locis exanthema, vbi antea perceptum non fuerat, et priſtinis locis repullulabat, quod et copioſius quam ante pus eructabat. In vola manus, ob pinguedinem con-

consumtam, profunda in media eius parte fouea conspiciebatur. Allatae quidem postea viperae, quarum autem in locum, infuso earum vinoso per breue modo tempus iterum vsurpato, ob carum, quo vendebantur, pretium, alia remedia substituere opus erat. Fuerunt ista, praeter corticem Winteranum, decoctum ex Hellebori nigri radice, et tandem, ineunte Iulio, tinctura cantharidum, interposito per vices regulo antimonii medicinali.

Ex decocto Hellebori *), in quo eiusdem Extractum solutum erat, leuis diarrhoea orta, quam et alere operae pretium videbatur. Omissa dein hac medela sponte successit. Alternatim cum ipsa postea, tinctura cantharidum dabatur, quarum effi-

*) In huius quoque medelae praescriptione veteres praeeuntes habemus, etiamsi nec b. SCHVLZII (*Diss. de elleborismis veterum*), nec cel. LORRY (*Libri de melancholia P. 2. cap. 3.*), opera extra omne dubium positum sit, quaenam praecise stirps veteribus Hellebori nomine venerit. Quod vix mirum, quum nec planta, ex qua nostro tempore pharmacopoliorum Hellebori nigri radix desumatur (desumi vero ex Helleboro nigro flore roseo *C. B.* s. Helleboro nigro *Linn.* deberet), satis vbiuis cognita sit. Sed de hisce quidem ample alibi (*Appar. medic. Vol. 3. pag. 44. sqq.*) disserui. Helleborus (ἐλλέβορος) tamen et albus (λευκὸς), et niger (μέλας), ab ARETAEO (*Oper. Ed. Boerh. p. 136.*) et Veratrum nigrum, quod idem apud Latinos significat, a CELSO (*de med. Libri Ed.* KRAVSII *p. 177.*) impense in elephantiasi commendabantur. Cui consilio auscultans cel. SCHMIEDEL (*Diss. cit. de lepra Coll.* HALL. *T. 6. p. 82.*) extracto Hellebori nigri venalis duobus aegris leprosis opem maxime conspicuam attulit.

efficacia, MEADII *) praecipue auctoritate, tantum inclaruit. Ab huius vſu lotium initio eadem modo, qua ante, copia perfluxit, aucta autem doſi, copioſius. Eousque ſenſim eam augere vtile iudicatum, donec ardorem in lotii viis aeger perciperet. Tantopere autem in progreſſu mali natura cantharidibus aſſueuit, vt larga etſi copia ingeſtae, ſub fruſtraneo interdum mingendi conatu non vrinam, ſed alui deiectiones ſatis profuſas, ciërent. Aſt apparens modo ad prima tentamina leuamen attulere. Tumor in facie, rubente inſigniter, in ſiniſtra praeſertim eius parte, et in manibus obuius, mox ſubſedit, mox iterum creuit. Exanthemata mox ſicceſcere et ſquamas contrahere, mox nouum puris profluuium edere viſa ſunt. Palpebrae ex ichore mali progreſſu erodebantur. Quae olim viguerat ciborum appetentia iam proſternebatur. Pedes inſignes rugas formabant. Adiungebant ſe hiſce moleſtiis m. Auguſto anxietas, pectoris oppreſſio, ardor internus, tormina; febrisque poſt meridiem leuis incidebat. Lotium erat croceum, aliquando tamen et pallidum, ſubinde foetens et vitro tenaciter adhaerens. De borborygmis ſimul et ructibus crebro querelas mouebat. Quum miteſcere exiſtimaret mala, neglectis cantharidibus: per duas fere hebdomades tinctura ſuſpendebatur; ſubſtitutis regulo antimonii medicinali **), cum cortice

*) *De morb. bibl. p. 20. oper. Ed. Gott. T. 2.*

**) Antimonialia, prout in morbis cutaneis generatim ab expertiſſimis medicis egregia habita: ita in lepra nominatim peculiarem ſibi fidem vindicarunt. Quin omni-

cortice Peruuiano et Winterano commisto, et viperis.

Febris dicta quotidie horroribus leuibus, sed in summa tantum cute perceptis, stipata ingruit, quam mox aestus intensissimus internarum partium excepit, adeo vt halitus ex ore emissi ardentes quasi illi viderentur. Longior dein quilibet paroxysmorum fiebat, imo per totam noctem durans. Accessit medio fere Augusto mense stupendus pedum crurumque tumor, vt peponem potius, quam pedem, referrent, ex quibus per vlcera enata largissime lympha, totum fere lectum inundans, profluebat. Sensus quoque horum, sub immobilitate, paullatim peribat. Foetor vero fere intolerabilis, stragulis praecipue eleuatis, quem calidi coeli vis auxerat. Frustra ad lenienda tot mala tincturam cantharidum iterum ingessit. Sed in nouum eorum cumulum die 30. Augusti vermes isti, superius a me descripti, primum comparauerunt; quorum historiae id modo hic addo, quod per octo horas spiritu vini licet illos seruassem, exemti tamen pristinam

omnibus reliquis in hoc malo remediis illa cl. HILLARY (*Obseruat. on the air and Diseases of Barbados, p. 329.*) praefert tempestiue et debito more si data fuerint, varieque in vino antimoniali, tinctura, et in electuario praescripsit.

Numerum remediorum variorum, quae contra lepram inclaruerunt, supra passim significata, serioribus annis auxit Ledi infusum ex experimentis in Suecia captis (Vid. ODHELIVS in *K. Vet. Acad. Handl. 1774. p. 266. 1779. p. 218. 1783. p. 224.*) Ab iteratis experimentis fidem exspectamus.

ſtinam alacritatem recuperarent. Quo ipſo die, vitae ſumme pertaeſus, cuius aerumnas coniux, nuperrime ſubita morte illi erepta, nonnihil leuaverat, teſtamentum compoſuit. Querebatur die poſt de impotentia inferiorem corporis partem movendi et articulorum rigiditate. Tandem febre inualeſcente, nocturnam quietem crebris inſomniis et locutionibus interpellantibus, lingua die 1. Septembris, vt in balbutientibus, ſub loquela titubante, et viribus ſenſim pedetentimque contritis, mentis tamen omnino compos, die 2. eiusdem menſis, mane verſus horam 7. animam efflauit. Et veriſſimum eſſe, quod CELSVS *) memoriae mandauit, comperi, *febriculam, quae facile tot malis obrutum hominem conſumit*, totius triſtiſſimae ſcenae finem eſſe.

*) *Ed.* KRAVSII *pag. 177.*

TAB. II.

Figura 1. Vermis ex aegro deſumtus, qualem a tergo ſe ſiſtit.

a. Pars antica acuta.

b. Pars poſtica obtuſa, glabra et ſuperius concaua.

1. Dens ſiue vncinus, quo eſcam lacerat, et ſe proripit, palato bifido infixus.
2. Vagina bifida, mobilis, quae vncinum recondit.
3. Canaliculi, ſiue larynges, qui fines anteriores trachearum ſunt.

4. Tra-

4. Tracheae, quae ſecundum longitudinem ſerpunt, et ad latera innumera vaſa dimittunt.
5. Maculae ex viſceribus ſubiectis.
6. Tubera duo, perforata, in quae tracheae poſterius deſinunt.

Figura 2. Vermis ex aegro, prout lateri incumbens apparet.

1. Pedes biſulci, ex producta abdominis membrana formati.
2. Pes poſtremus, maximus, prope quem poſterius anus eſt.

Figura 3. Vermis ex oue, prout conſpicitur, quando capiti inſiſtens tenetur.

1. Pes poſtremus a ceteris figura recedens.
2. Cutis abdominalis.
3. Superficies poſterior decliuis duodecim eminentiis acutis notata.
4. Tubercula poſteriora tribus rimis interſciſſa.
5. Maculae ex viſceribus.

Figura 4. Idem vermis lateri incumbens, verſus acutum finem abſciſſus.

1. Pes poſtremus.
2. Eminentiae illae acutae.

* Ad obſeruanda haecce in vermibus microſcopium quidem adhibui, ſed, vt clariora omnia euaderent, illa dein, pro arbitrio, proportionis iuſtae tamen ratione habita, ampliaui.

Figura 5. Vermis ex aegro naturali ſua magnitudine repraeſentatus.

Figura

Figura 6. Effigies vncinorum binorum, palatis ſuis infixorum, ex SWAMMERDAMIO, qui has partes in caſei vermiculo obſeruauit.

1. Vncini. 2. Palatum cum ſuis apophyſibus. 3. Ligamenta, quae palatum vtrumque copulant.

Figura 7. Vermiculus caſei, ex quo muſca prodit, ex SWAMMERDAMIO, per microſcopium ampliatus, ſed heic in minorem formam redactus. Hanc formam aſſumit, quando ſaltui intentus eſt.

a. Pars antica.
b. Pars poſtica eminentiis ſuis diſtincta.
1. Vncini, quibus poſteriorem partem prenſat, quum ſubſilire vult.
2. Larynges, ſ. trachearum extimae partes, extra cutem propendentes.
3. Tracheae.

Figura 8. Puppa vermiculi huius, externo velamine exuta.

Figura 9. Muſca ex caſei vermiculo emergens, microſcopii ope delineata.

Figura 10. Naturalis muſcae huius magnitudo.

* Figg. 6-10. eo fine hic delineatae occurrunt, vt et conuenientia intra muſcarum laruas appareat, et vt quaedam in vermibus a me deſcriptis praeteruiſa per analogiam cognoſcantur.

XXI.

XXI.

OBSERVATIONES
DE
LVMBRICORVM SETIS.

OBSERVATIONES
DE
LVMBRICORVM SETIS. *)

§. 1.

Lumbrici, ſiue vermes teretes longi, qui in inteſtinis hominum nidulantur, cum illis, qui terram perfodiunt, ſpecie conueniant, an diſcrepent, valde olim diſputatum eſt. Iſtis vermibus (ſ. inteſtinalibus L.) color albidus, hiſce brunus, competit; quod vero diſcrimen non maius nobis eos diuellendi ius impertit, quam quod coloris diuerſitas, quae inter aethiopem et album hominem intercedit, duas a ſe inuicem diſtinctas hominum ſpecies ſtatuendi, erogat, vel quod botanicus ſibi vindicare poteſt, ob floris in colore diuerſitatem, ſtirpes ſpecie congruentes a ſe inuicem dirimendi. Lumbricus autem humanus durior ſemper ad attactum terreſtri eſt. Nec etiamſi viuus ex humano corpore euerratur, ita modo arctare annulos ſuos, modo expandere, vt terreſtris, conſpicitur. Deficit illum praeterea annulus inſignior, qui, cinguli vel ephippii forma, terreſtrem verſus anticam partem plerumque circumdat. Quin ex-

*) R. Societati ſcientiarum Gottingenſi d. 9. Apr. a. 1768. oblatae.

ſtitere alii, probatiſſimae fidei viri, REDI, VALLISNERI, TYSON, WILLISIVS, A DOEVERN, qui internam horum vermium ſtructuram indagantes, diuerſitatem maxime conſpicuam reperere. An vero haec omnia diſcrimina a diuerſo iſto nutrimenti genere, calore, humiditate, vel aliis momentis leuioribus, quibus lumbrici in inteſtinis vacant, deriuanda ſunt? Vix credibile. Vtrumque horum lumbricorum ill. Eques A LINNÉ *a*) aculeis ſiue ſetis inſtructum affirmans, haec ipſa arma nouum cognationis arctiſſimae argumentum exhibet. Quod ad ſetas iſtas attinet: fateri oportet, me hucusque aeque parum, ac celeberrimos viros TYSON, PALLAS, alios vt taceam, in lumbrico humano illas conſpexiſſe. Forſitan ideo, quod mihi quidem nunquam niſi Aſcarides lumbricoideas obſeruare, LINNEO autem veram lumbricorum terreſtrium varietatem, datum fuerit †). Verumtamen, quum ne lumbricorum quidem terreſtrium aculeos curate ſatis definitos a naturae indagatoribus reperirem: aeſtate praeterita, caſu magnam eorum copiam in horto aedibus meis vicino animaduertens, ſetarum iſtarum indoli et formae inueſtigandae pro virili intentus fui; praeſente vero aeſtate obſeruationes antea iam factas repetii. Vnde euenit, vt iamiam et plenius et correctius, quam a reliquis, quotquot conſulere auctores mihi contigit, factum eſt, de horum aculeorum natura diſputare poſſim.

Pedes

a) V. *Syſtema nat. Ed. 10. Vol. I. p. 648. Ed. 12. Tom. 1. P. 2. p. 1077.*

†) V. ſupra *Opuſc. Vol. 2. Comm. II. §. 16. 17. p. 36. ſq.*

Pedes modo vel aſperitates eos vocat acutiſſimus alias TYSON *b*). Paullo curatius eos definit RAIVS *c*), quippe qui ad vtrumque vermis latus eorum duplicem ſeriem, et quidem conſpicue ſatis inter ſeſe diſtantem, animaduertit: interim tamen aſperitatum voce in iis deſignandis vtitur. Pedunculos vero eos WILLISIVS *d*) appellat, et quadruplici ſerie per totam lumbrici longitudinem exſtare notat. Ex ill. LINNEI *e*) teſtimonio aculei iſti triplicem ſeriem conſtituerent, in quarum qualibet aculei poſticam vermis partem reſpicerent. Eandem quidem cum iſto aculeorum directionem cel. PALLAS *f*) agnoſcit, ſed quadruplici ordine decurrere affirmat. Ehem, quanta intra viros iſtos doctos obtinet diſcrepantia! et a ſingulis non minus propriae meae obſeruationes deflectunt, ſiue numerum aculeorum, ſiue directionem, ſiue loca,

 quae

b) "Feet, aſperities". *Philoſophical Tranſactions 1683. Nro. 147. p. 155.* Ita et SWAMMERDAM *Bibl. nat. 2. p. 739.*) "*Sic*, inquit, *lumbrici pluribus ſane gaudent pedibus et alio modo conſtitutis, quam vulgo pedes ſolent.*"

c) "In lateribus vtrinque duo ordines aſperitatum." *Hiſtoria inſector. p. 1.*

d) "Pedunculi ſerie quadruplici per totam longitudinem „lumbrici diſponuntur." *De anima brutor. Cap. 3.* ea *ſectione*, qua lumbricus terreſtris deſcribitur. Delineauit vero eos *Tab. 4. fig. 2.*

e) "Lumbricus trifariam retrorſum aculeatus" *Syſt. nat. Ed. 12. loc. cit, p. 1076.*

f) "Corpus quadrifariam retrorſum aculeatum" *Diſſ. de infeſtis viuentibus intra viuentia, p. 13.* inſerta cel. EDVARDI SANDIFORT *Theſauro Diſſertationum Vol. I.* inde a *pag. 247.*

quae obſident, ſpectes, vt de breuitate deſcriptionum nihil dicam.

§. 2.

In eo quidem RAIO, WILLISIO, et celeberrimo PALLAS adſtipulor, quod ſetae iſtae quatuor ordinibus ſecundum corporis longitudinem decurrant. Sed ſingulum ordinem duplici ſetarum ſerie conſtantem vidi. Vnde apparet, quemlibet annulum octo ſetis transuerſim collocatis munitum eſſe *g*). Ordines

g) Factis iam, quas ſubminiſtro, in lumbricis obſeruationibus, nouiſſima mihi Syſtematis ill. A LINNÉ editio mittitur; in qua a quodam ARGILLANDRO fuſiorem lumbricorum deſcriptionem inſertam video. Mentio ibi quoque ſit aculeorum, quos auctor "vtrinque binos ſub ſingulo corporis ſegmento, excepto annulo" delineat. Quantum ex hiſce intelligo, quatuor quidem in vniuerſum ſeries ſetarum agnoſcit; quod vero quaelibet ſeries duplex ſit, auctorem fugit. Probe autem perſpexit, annulum carnoſum inſigniorem ſ. cingulum hiſce armis deſtitui.

Litteris poſtea gratioſe mihi miſſis, perilluſtris et generoſiſſimus L. B. OTTO A MÜNCHHAVSEN, quem hiſtoriae naturalis et oeconomiae periti, ob feliciſſimum nouis vtramque ſcientiam inuentis locupletandi acumen, aemulo ſtudio grati venerantur, obſeruationes meas de ſetarum numero et ſerie confirmauit, quas, lecta relationum litterariarum Gottingenſium plagula 82. a. 1768. Ipſe repetere generoſiſſimus vir haud grauatus eſt. Addidit praeterea, ſetas iſtas lumbricis ſub reptatum ſemper adiumento eſſe, quod lumbrico chartae vel manui nudae, vt prorepere poſſit, impoſito, facile cognoſceretur.

Subſcripſit et cel. O. FR. MÜLLER meis obſeruationibus (*Verm. terreſtr. et fluuiatil. Hiſt. Vol. I. P. 2. p. 25.* et *von d. Wurmern d. ſüſſen u. ſalz. Waſſers p. 161.*). Quod

Ordines interiores duo magis quam exteriores a ſe inuicem diſtabant, licet nec hoc reticendum, diſtantiam ſetarum in vniuerſum pro vario vermis motu inſigniter variaſſe. Omnes et ſingulae harum ſetarum inferiorem modo vermis partem obſidebant, ea plaga excepta, quam cingulum ambit: in qua eo loco, quo alias duo ordines medii decurrunt punctula tantum quaedam ſiue ſpiracula videre erat. Attamen poſtica vermis parte ſitum tam altum ſetae iſtae tuebantur, vt ſuperficiem tabulae, cui lumbricum imponebam, rependo non attingerent. Vagina exigua recluſae videbantur. Iis enim omnibus emiſſis, circa earum baſin cutis manifeſte prominebat, tumque quadrangularis forma inferius conſpicua erat. Magnitudine ad duas fere tertias lineae Pariſienſis accedunt; quod vero non de iſta parte, quam extra cutem extrudunt, intelligendum, ſed de tota longitudine. Nempe cultri ad digitum appreſſi ope euellere aculeum alterum poſt alterum in extremis haud difficile erat, et ita veram longitudinem et figuram oculis vſurpare. Quum tabulae vitreae iſtos imponerem, flauidos et ſplendentes inueni, acutos ad apicem, ſenſim verſus mediam partem latiores dein ad baſin vsque cylindricos. In euulſis quoque ſetis cognoui, quod pars iſta earum intra corpus recondita mollior longe et flexilior altera eſſet. Quanto enim robore iſtae altera parte extra corpus propendente in verme

 prae-

Quod vero, prout ille (proxime citato libro) refert, WILLISIVS prior octo ſetas in ſingulis annulis viderit, equidem ab eo ipſo indicatum non inuenio.

praeditae ſint, ſtrepitus, quum digitum contra earum directionem ducerem, vel quum vermis in tabula proreperet ſiue vi retraheretur, manifeſte ſubortus, indicabat; quin tantus ſetarum renixus erat, vt ſub hiſce experimentis iſtae potius ſeſe reflecterent, quam vi illatae cederent. Directionem earum longe aliam, quam qui me in huius rei ſcrutinio praeceſſerunt, reperi, vtqui eas ab antica parte deflexas delinearunt. Quo vero, quae directionis ratio ſit, tanto exactius cognoſcatur, cogitatione velim lumbricus in tres aequales partes diſpertiatur. Iſti ſcilicet aculei, qui extrema obſidebant, vtrinque mediam partem reſpiciebant; qui vero mediam partem occupabant, his erectus ſitus contigit, licet, fixos harum partium et conſtantes limites poni non poſſe, vel me non monente palam ſit. De nouiſſime autem deſcripto eorum ſitu et oculo et tactu certior euaſi. Digitum enim hinc inde ſupra vermis ventrem ducens, verſus vtrumque extremum reſiſtentiam ſenſi. Manifeſte inſuper animaduerti, quod vermi poteſtas competat, aculeos mox emittendi, mox retrahendi. Poſtquam autem per tempus aliquod eum contrectaſſem, vim iſtos emittendi amiſiſſe videbatur; nam tum tota eius ſuperficies ad attactum glabra erat. In vniuerſum ſetae tanto luculentius oculis ſeſe exhibuerunt conſpiciendas, quo plus vitae vigoriſque vermi reliquum erat. Interim nec in vermibus omnino mortuis iſtae obſcurae erant; quippe quae paralyſi forſitan quadam muſculorum, qui eas retrahunt, orta, proruperunt.

§. 3.

§. 3.

In hisce obseruationibus instituendis lumbricis grandioribus, dodrantem plurimam partem supraque longis, vsus sum, etiamsi, nec in minoribus, aculei sese oculo subduxerint. Cuiuslibet obtutui facile sese exhibebunt, modo vermis supra digitum ita reflectatur, vt venter eius sursum spectet.

§. 4.

Aculeorum copiam, qui animo secum reputat, efficacissimum lumbricis adiumentum in migrationibus, praesertim per terram duram, lapillis saepe, ligno, aliisque solidis obuallatam, et cuniculis effingendis, iis accedere fatebitur. Nam ex ill. LINNEI computo quilibet vermis centum, ex RAII *h*) autem calculo, centum et quadraginta annulis circiter conflatur; ita vt octingenti fere, vel mille centum et viginti aculei cuilibet vermi competant; a quibus summis paruum modo setarum numerum cingulum, quod aculeis carere dixi, aufert. Videntur cum copia in eundem finem collimare aculeorum acumen, quo fit, vt vncorum quasi ope affigere modo hanc modo illam partem corporis possit, et vlterius sese proripere *i*), robur porro et memorabilis in plagam oppositam directio. Sine

h) Cel. iste olim vir 30 ad 32 annulos ante cingulum et 108 circiter pone illud numerauit, quamuis nec diffiteatur, variare hunc aliquando numerum.

Perillustris L. B. A MÜNCHHAVSEN in dictis supra litteris, se in lumbrico, quem dum scriberet, coram habuit, 140 annulos numerasse, mihi declarauit.

i) Conf. WILLISIVS *de anima brutor. loc. cit.*

ea, saltim me iudice, motum corporis retrogradum non tam facile exerceret, quem toties in tabula obseruare mihi contigit. Non vnicum tamen lumbricorum ad reptatum perficiendum auxilium in hisce aculeis collocatum existimo, sed alia sese consociant. Nouimus enim, quod vermis annulos, ex quibus constat, modo ampliare modo arctare, corpus suum horsum vorsum agitare, et motus gyrantes peragere queat, quibus ipsis loca a se superanda perterebrat.

§. 5.

Olim arbitratus sum, fateor, (Scribo haec a. 1785.) conciliari hisce de setis lumbricorum obseruationibus dissensum, qui antea inter LINNEVM et recentiores quosdam inualuit, vtrum eadem instrumenta et lumbricis humanis competant, nec ne. Quotusquisque enim est, qui illa in terrestribus, vtut vulgatissimis, animaduerterit, et quam pauci inter eos, qui eadem oculis vsurparunt, veriorem sibi de eorum natura ideam comparare valuerunt? Credi igitur posset, quod, prout setae istae in terrestribus subinde minus conspicuae appareant, idem et contingat in lumbricis humanis, et quod sub indagine vnius obseruatoris istae intra corpus vermis delituerint, quum feliciori casu alii sine mora sese manifestarint. Ad setarum istarum in intestinalibus hisce vermibus praesentiam agnoscendam procliuiores tanto reddimur, quum multa, quae verminantes patiuntur incommoda, eo facilius mente concipi queant. Copia scilicet sua et acumine non possent

non

non infigniter moleftias, rofionis reptatusque fenfum, quin tormina, fpafmos, inflammationem et excoriationem conftrictionemque inteftinorum tam fenfilium excitando, augere, et vim remediorum ad eosdem expellendos ingeftorum eludere; idque tanto efficacius, quum raro folitarii fed magna plerumque caterua fociati occurrant. Sed quid iuuat multis ornare fententiam, quae, nifi obferuationibus veris innixa fuerit, quicquid fuci adlinatur, confiftere nequit. Et fatendum, hactenus in iftis vermibus inteftinalibus, qui in fyftematibus Afcaridis lumbricoideae nomine infigniuntur et vulgo lumbrici apud medicos appellantur, fetas iftas non fuiffe confpectas, licet follertiffimo fcrutinio pluries tam a me quam aliis fubiecti fuerint. Nec etiamfi fubtilitate infigni inftructae effent, aciem oculorum effugerent, quum, vtut fubtiles fetae iftae in quibusdam Nereidibus et Naidibus MÜLLERI fint, microfcopio tamen detegi queant, et de fubtilioribus longe internis partibus iftius vermis hocce auxilio conftiterit. Hinc quoque defectus fetarum, praefentia autem oris trilabiati, optimi pro difcernendo hoc verme a lumbrico terreftri characteres vifi funt. Si igitur in vermibus fimilibus forma et longitudine, ex homine excuffis, verae fetae deprehenfae fuerint, diuerfam fpeciem et quidem veram varietatem lumbrici terreftris fiue γ, inteftinalem L., quae plerisque faltim locis rariffime occurrit, fubfuiffe intelligitur. Sed in hanc rem fupra *k*) fufius commentatus fum.

k) Vid. *Opufc. Volum. 2. p. 37.*

TABVLA

TABVLA III.

Figura 1. repraesentat lumbrici terrestris partem mediam, magnitudine insigniter aucta, ita collocatam, vt venter aculeis consitus obtutui sese exhibeat.

aa, bb, cc, dd. Quatuor ordines setarum, quorum quilibet duplex.

eeeee. Annuli ex quibus lumbricus constat.

Figura 2. posterius lumbrici extremum delineat, prout sese obtulit, dum complures annulos vna obseruator intueretur.

a, b, c, d. Anguli quatuor, quibus insident setae.

e, f, g, h. Series quadruplex setarum.

Figura 3. lumbricum exhibet a latere, aculeis sursum conuersis, vt directio eorum conspicua euaderet.

a. Extremum posterius aculeis mediam partem respicientibus.

b. Pars media aculeis erectis.

c. Extremum anterius aculeis versus mediam partem directis.

d. Annulus crassior vermis, cingulum s. ephippium referens.

Figura 4. Lumbricus dorso innixus, et eo fine delineatus, vt totus setarum complexus appareat.

a. Extremum posticum.

b. Annulus crassior.

c. Extremum anticum.

d, e, f, g. Setae.

Figura 5. Seta cum cute adiacente, eleuata.

XXII.

XXII.

DE

MATERIA ARTHRITICA
AD VERENDA ABERRANTE

DISQVISITIO.

DE

MATERIA ARTHRITICA

AD VERENDA ABERRANTE. *)

SECTIO PRIMA.

§. I.

Vix vllus morborum fomes exſtat, tot et tam varias mirasque ſcenas in corpore humano ludens, ac arthriticus, quippe qui mox partem, in qua ſedem tenacius capit, valdopere excruciat, et haud raro motus impotentia, tumore, nodis, vlceribus, labefactat, mox ſtimulo ſuo febrem diram accendit, mox vage in corpore oberrans fulminis inſtar ex vno loco in alterum transuolat, mox plura loca ſimul moleſte afficit, imo, quod peſſimum omnium eſt, leuidenſi ſubinde de cauſa priſtina latibula ſuperficiei corporis propiora derelinquit, et in eius intima penetrans apoplexiam adeo, cephalalgiam, vertiginem, anginam, item tuſſes pertinaciſſimas, oppreſſiones pectoris, haemoptyſes, porro tormina, digeſtionis ciborum vitia, profluuia aluina, flatus in inteſtinis, item conuulſiones

*) Duobus Programmatibus a. 1785. hocce argumentum perſequutus ſum. Iam tertiam ſectionem, inſperſis et praecedentium bigae variis additamentis, adiungo.

ſiones, affectiones hypochondriacas et hyſtericas, melancholiam, paralyſes, vitia verendorum varia aliaque multiplicis generis et euentus mala ſuſcitat. Habet id quoque illud virus vitii, quod pluries aliis natura multo diſſimilibus morbis ſeſe aſſociet, eorumque decurſum et medelam valdopere mutet, et difficiliorem tanto reddat, quum contra duplicem hoſtem diuerſiſſimis ſubinde armis pugnandum ſit. Nulla igitur fere valetudinis labes incidit, cuius materia arthritica accuſari non poſſet vel genitrix vel comes. Et tanto magis metuenda eſt, quum laruatam ſaepe faciem prae ſe ferens, alios maxime diſcrepantes morbos mentiatur, et poſt longas inducias et reconciliatam, vt videbatur, amicitiam ex receſſibus ſuis proſiliat, et hominem, ſpecie vel ſaniſſimum et robuſtiſſimum, eneruatum proſternat. Quicquid olim diſputatum fuerit de eius ingenio et natura, item de peculiari parte, quam in articulis eorumque confiniis corripiat, vtrum ſit capſula, ligamenta, tendines, perioſteum, tela celluloſa, an nerui transcurrentes vel cuti vicinae immerſi; item quicquid de cauſa, cur in articulos ſeſe crebrius deponat, agitatum fuerit: nondum eo deuentum eſt, vt ſine omni contrarii metu de hiſce momentis pronunciari poſſit. Praeſtat igitur in iis indagandis ſubſiſtere, quae ſobria et attenta obſeruatione de eiusdem vi et multiplici, quo incedit, habitu, cognoſcuntur.

Nec hacce luce praeeunte errare mihi videor, ſi, contra vulgarem ſententiam, eiusdem quoad mate-

materiem indolis rheumatiſmum et arthritidem reputem, parum curans, quae ſerius in vocum inventione vel ſignificatu nouata fuerunt, nec aliud diſcrimen admittam, quam quod arthritis articulos obſideat, rheumatiſmus partes extra articulos ſitas, muſculos ſcilicet cum obuoluentibus eosdem membranis aliasque forſitan morboſa modo de cauſa ſenſiles, item neruos aliquando grandiores, ſicuti in iſchiade neruoſa; ſiue ceteroquin febris adſit, ſiue deſit, ſiue fixus inhaereat dolor, ſiue vagis inſultibus infeſtet. Etenim et ego animaduerti, ſubinde alternos quoad loca mox definita cruciatus vnum eundemque hominem inuaſiſſe, dolores, coxam vel ſcapulam vel thoracem occupantes, nictu oculorum fere citius deſcendiſſe in genu vel articulum pollicis pedis, mox iterum eadem velocitate aſcendiſſe in articulos manus vel digitorum vel priſtina loca muſculoſa petiiſſe; item aliquando ſimul dolorem vtramque ſedem afflixiſſe. Nec minor cauſarum et ſymptomatum praecipuorum communio deprehenditur. Arguit inſuper remediorum eorundem in vtroque morbo efficacia ſimilem horum naturam. In vtroque nimirum, ſi acuti vel inflammatorii generis eſt, ſanguis large emittitur et reliquae curationis antiphlogiſticae ſuppetiae ſummi momenti ſunt, ſubiunctis poſt coërcitam febrem blandis diaphoreticis; ſi frigidae autem vel chronicae indolis eſt, eadem efficacia reſoluentia, demulcentia, blande per cutem aliasque colatorias vias acres ſtimulos euacuantia, item ad ſuperficiem corporis reuellentia adhibendi, et eadem robori prima-

rum viarum per ſtomachica proſpiciendi, opportunitas et neceſſitas proſtat; ſic et vtrobiuis, ſi complicatio ſubeſt, ad acceſſoriam cauſam vel aduentitium malum tollendum eadem medendi conamina requiruntur. Non tamen negauerim, vtrumque malum ob diuerſam fabricam partium quaedam priua habere et rheumatiſmum citius contrahi arthritide, vt quae fomitem lentius conceptum altioresque radices agentem hincque difficilius aegriusque ſubigendum ſtatuere videtur. Malo vero in hacce ſcriptione arthritidis voce, quam rheumatiſmi, quod nomen inter Graecos ALEXANDER TRALLIANVS omnium primus adhibuit, vti, quum vetuſtate famaeque HIPPOCRATIS, ARETAEI, GALENI rel., iſto priorum tempore, excellentia plus auctoritatis habeat, et omnes iſtas affectiones, in quas, tanquam ſpecies arthritidem et rheumatiſmum ſerioribus temporibus medici diſtinxerunt, ſub ſe apte complectatur.

§. 2.

Et horum quidem malorum materies inter multiplices morbos, quos effingit, nullus fere moleſtior cognituque quoad originem difficilior eſt, quam qui ex eadem, ad verenda conuerſa, affectiones aphrodiſiacas in viris, quorum praecipue ratio hic habetur, aliquando et in foeminis, aemulatur, Naſcitur inde facile contagii venerei concepti ſuſpicio, quod ſi in matrimonio contingat, ambigua euadit apud maritum coniugis, vtut inſontis, fides, vel ſimili iure illius apud hanc, nec poteſt non apud

eos,

eos, quibus ſancta tori iura ſunt, laxari vel omnino ſolui amicum coniugii vinculum ſimulque rei familiaris integritas totiusque reliquae vitae tranquillitas et beatitudo in transuerſum agi. Aeger autem doloroſo ſpurco et ancipiti morbi genere correptus, vt famae et exiſtimationi ſuae proſpiciat, intempeſtiue ſaepe recondere ſolet mala, quae patitur, vel, ſi in hiſce anguſtiis opem quaerat, confugere ad medicaſtros, qui ob arctos doctrinae cancellos verae eorundem originis ignari temerario conſilio, vt fieri ab hiſce conſueuit in vitiis pudendorum venereis, morbum mercurialibus, iniectionibus adſtringentibus, balſamicis aliisque eiusdem fecis pluribus, tractant, quae, tantum abeſt, vt in huius generis metaſtaſi leuamen medelamque afferrent, vt potius aegrum aptiori medela ſanabilem conterant. Quin, ſi ex ſilentio plerorumque, qui in arthritidem commentati ſunt, auctorum concludas, ad rariores euentus in vniuerſum translatitia haec labes eſſet referenda; ſaltim aliquando tam peregrinum et reformidandum habitum induit, vt et ſcienti et exercitato medico aqua haereat.

§. 3.

Non igitur vereor, ne inutilem operam aggrediar, ſi lege et conſuetudine permotus iam iterum calamum arripiam, et in abſtruſum hocce malum nec pro dignitate ſua hactenus explanatum curatius inquiram. Cui quidem argumento perſequendo anſam dedit caſus ſingularis, qui meae curae obuiam venit, omnibus reliquis ſimilibus,

quos memoriae proditos deprehendi, vehementia ſuperans, et quem vel eo conſilio publici iuris facere non dubito, vt, quum ſucceſſus medicationis voto meo omnino reſponderit, habeant nonnulli normam, qua aliis in iisdem difficultatibus opitulari queant.

§. 4.

Verendorum autem affectionum, de quibus hic ſermo, eadem eſt varietas et multitudo, qualem in viris alias, impura venere inquinatis, obſeruamus. Et id commune habent iſtae cum vitiis hac cauſa contractis, quod quidam aegri grauius, alii mitius, corripiantur, quidam pluribus alii paucioribus moleſtiis conflictentur. Qui leuius ex hacce translatione aegrotant, mingendi difficultatem modo experiuntur, aliquando tam mitem, vt tantum ſolito plus temporis mingendo conſumant. Alios grauis dyſuria male habet; vel gonorrhoea ſpuria erumpit, qua ſcilicet circa glandis coronam ſmegma foetens flauo viride transmittitur, ſubinde haud ſine moleſtiſſimo pruritu dolore et excoriatione glandis et praeputii cum vtriusque partis intumeſcentia et phimoſeos metu. Sunt, quibus catarrhus quidem ex vrethra enaſcitur, ſed absque ardore vel remora ſub mictum. Et hoc quidem muci profluuium in aliis copioſius, in aliis parcius, eſt, et per interualla recurrens, vt tamen et aliquando ſimul dolor in inguine alterutro vel teſte eiusdem lateris ſentiatur. Non tamen perpetuum eſt, quod in colem ipſum vis morbi vrgeat; aliquando vicinas partes petit, vt ſcrotum, quod

quod molestissimo pruritu tentatur, vel testes cum epididymide, qui inde dolent et intumescunt, imo, vt multa suadent, subinde ex hac causa hydrocelen vel sarcocelen contrahunt. In quibusdam praecipue glandulam prostatam occupat, in aliis ad vesicam vrinariam primaria vis defertur.

Imo nullum fere in Gonorrhoea venerea, rectius omnino Leucorrhoea s. Blennorrhoea venerea verendorum dicenda, molestum symptoma incidit, quin et huc referri posset. Id quod satis superque ex historia, quam infra ex propria obseruatione vberius sistam, apparebit. In qua quidem simili, ex causa arthritica, affectione curatius consideranda opera mea praeprimis in praesenti versabitur. Sufficit, vtne repetitione taedium pariam, heic tantum nexus causa in antecessum significasse, praeuio sensu titillationis dolorem ardoremque in vrethra enasci, sub mictum, diriorem, et sensim eo ingrauescente profluuium mucosum varii coloris et spissitudinis subsequi, conatum crebrum mingendi grauare saepe vel frustraneum vel pauco lotii stillicidio iunctum, glandem vna cum praeputio dolorose intumescere, inflammationis stimulum ad testes quoque et inguina se dispergere ibidemque tumores et dolores ciëre, febrem adeo nonnunquam suscitari, noctu somnum erectionibus colis frequentibus iisque dolorosis turbari, lotium vel crasso mucoso sedimento vel nebulis obfuscari, vel filis laciniisque eiusdem naturae scatere, imo ipsam glandulam prostatam in consensum inflammationis trahi, cui, nisi tempestiua

et efficaci medela subueniatur, in scirrhum et carcinoma transire procliue est. In quibusdam catarrhus iste mentulae, postquam mucus limpidus et fluidior euaserit, sensim cessat, in aliis, deuictis etsi reliquis malis comitantibus, haemorrhoidum mucosarum ex vrethra exundantium forma perseverat. Redit et in iis, qui periculum eluctati sunt, aliquando mingendi conatus frequentior cum leui dysuria, et diu post non rarae sunt nebulae lotii, quas modo dixi, mucosae, vel filamenta fluctuantia, item nebulae ex tenuissimis filis mucosis fere vnice conflatae.

§. 5.

Nec foeminae tutae ab hacce arthritica labe sunt, de qua quidem rarius ob verecundiam, nisi malum ingrauescat, constat. Mitius autem hasce affligere solet, et, inter alias arthriticas affectiones, stranguria item albo ex sinu profluuio, quo ipso mitescunt priora morbi incommoda, cognoscitur.

§. 6.

Hanc igitur labem, si vehementius viros tentat, ita vt stillicidium mucosum vrethrae cum ardore sub mingendum ingrauescente comitem habeat, *Gonorrhoeam arthriticam*, ob causam, ex qua proficiscitur, merito cum cl. CLERK *a*) dixeris, vel Pyuriam arthriticam cum cl. SAUVAGES *b*), qui quidem et

a) In *Essays and Observations physical and litterary, Vol. 3. p. 445.*

b) *Nosol. method. T. 3. P. 2. p. 208.*

et Pyuriam viſcidam et P. mucoſam *c*) tanquam diverſas ſpecies memorat, quae vero, ſi ad hiſtorias ab eo in medium prolatas, ex quibus vbiuis fomitem arthriticum ſubfuiſſe intelligitur, reſpiciam, neſcio, quomodo inter ſe et ab eius P. arthritica diſcrepent.

§. 7.

Sed ſunt praeter venereum et arthriticum miaſma alii ſtimuli, qui idem multiforme malum ſuſcitare valent; de quibus diſquirere hoc loco non alienum eſt, quum tanto melius inde pateſcat, quanta vis ſtimulo arthritico inſit.

Non multum moror dyſuriam iſtam et muci vberiorem cum lotio excretionem, quam aliquando cereuiſia recens copioſius bibita vel acriores cibi, ſale vel aromate nimium conditi, quorſum et eſus Ranae temporariae L. loco eſculentae L. pertinet, excitant, viresque ſimiles diureticorum et purgantium fortiorum.

Dentitionem difficilem per conſenſum partium aliquando accuſari debere, graui teſtimonio *d*) conſtat.

Ad rariores vero origines pertinet epidemica aëris conſtitutio, qua ex aeſtu feruidiſſimo in tempeſtatem humidam et frigidam mutato bilis vitium

c) *L. c. p. 205. 206.*

d) JO. HVNTERI in EJ. *practical Treatiſe on the diſeaſes of the teeth, p. 146.*

contractum videbatur, vnde plures ſimul gonorrhoea absque alio quodam vitio correpti *e*). Maxime memorabilia ſunt nouiſſima a cl^mo^. NOEL *f*) narrata exempla, qui in oppidulo quodam Galliae aeſtate a. 1769. ſexaginta fere homines, viros et foeminas omnis aetatis et temperamenti, vidit, eodem fere temporis momento absque vllius culpae ſuſpicione profluuio hocce correptos; haud aliter ac catarrhus nouiſſime epidemicus in numeroſiſſimos homines eadem veſpera primam vim infeſtam exſeruit *g*). Fuit quoque vir catarrhis capitis et vicinarum partium alias obnoxius, in quo bis viride profluuium ex mentula cum phimoſi contigit *h*). Memorantur praeterea febres variae, quarum ſequela haec labes fuerit *i*). In iſtis igitur morbis videtur irritamentum quoddam acre ex maſſa humorum ad verenda fuiſſe depoſitum.

— Aſt et aliae exſtant cauſae, quae propius iam initio haſce partes feriunt, nec translatitio tantum ſtimulo officiunt. Huius generis eſt calculus veſicae lotii, qui aliquando ſtillicidium ſimile creat *k*).

Ludunt

e) BASSII (*Obſeruatt. anatomico-chir. med. p. 286.*) obſeruationibus pondus addiderunt ſimiles MORGAGNI (*de ſed. et cauſ. morb. Epiſt. 41. Art. 9.*) et clmi NOEL.

f) *Journ. de Medecine, T. 51. p. 336. ſqq.*

g) LENTIN *Beobacht. einig. Krankh. am Oberharze, p. 9.*

h) METZGER *verm. medic. Schriften, Vol. I. p. 92.*

i) OFTERDINGER *Anleitung für d. Landvolk, Ed. 1773. p. 475.*

k) PLENCK *de morb. vener. p. 31.*

Ludunt aliquando eandem ſcenam cum toto moleſtiarum, quae a contagio venereo alias proveniunt, comitatu haemorrhoides interceptae *l*), in quibus dum ſanguis per anum ob reſiſtentiam vaſorum prodire nequit, partim communione vaſorum, virilibus proſpicientium, partim ſtimulo circa anum enato conſenſuali, mucoſa eluuies ibidem tranſcolatur. Forſitan et hic quibusdam in caſibus acre quoddam vellicans ſimul ſubeſt.

Vehementia quidem cedit iſta gonorrhoeae ſpecies, quae in ſano homine a repetita nimis, vel nixu effreno peracta *), venere oritur; pertinax tamen non raro et curatu difficilis, praecipue ſi onaniae nefandum vitium in deliciis fuerit.

— Specialius conſiderandi ſtimuli acres, qui extrinſecus immediate muci fontes irritant, Quorum e numero eſt ſpurcities ipſius virilis, cui occaſionem praebet tegmen balani antice tam coarctatum, vt denudari illa nequeat, vnde humor conſuetus vnctuoſus inter vtramque partem dictam colligitur,

l) De qua origine vix praeſtantius aliquid iis dici poteſt, quae BRENDELIO (*Diſſ. de haemorrhoidibus interceptis morbos verendorum aphrodiſiacos ſimulantibus*, *Gott. 1744.*) debemus.

*) Immodicam venerem cum abuſu ſpirituoſorum iunctam praeſertim in iis, qui antea crebro gonorrhoea virulenta laborarunt, tanquam cauſam frequentiſſimam accuſat ill. CVLLEN (*Firſt Lines of the Practice of Phyſic, Vol. 4. Ed. 1784. p. 391.*) non tamen negans, aliquando et in viris neque gonorrhoea nec alio vitio venereo vnquam correptos, contingere eluuiem venereae ſimilem.

ligitur, moraque acris factus et glandem et praeputium inflammat et glandulas ad vberiorem secretionem sollicitat *m*). Non igitur heic fons eluviei spurcae in ipsa vrethra quaerendus est.

Ipsa mulier, etiamsi non venerea, eiusmodi acrimoniam in sinu suo fouere potest, qua virile contaminetur. Ex venere cum foeminis Indarum regionum id aliquando contingere legitur *n*); quo nominatim de vitio, non adiicitur. An spurcitiem quandam acrem calor climatis vel generauit vel auxit? prout idem extra istas regiones, sirio ardente, aliquando obseruatum *o*).

Quidam exercitium venereum, praesente menstruo fluxu *p*) vel eo desinente, vel lochiis nondum omnino cessantibus, in culpa habent.

Certius adhuc leucorrhoeam mulierum, etsi virus venerei omnis expertem, accusamus, quippe quum constet, quantum molestiae illa subinde mulieribus ardore, excoriatione, dysuria rel. facessat.

§. 8.

m) Phimosis eiusmodi cum sequelis subinde natiua est, nec in adultam modo aetatem cadit, cuius rei casum narrat cl. ALIX (*Obss. chir. Fasc. 2. p. 63.*), sed et in infantilem, vt casu infantis triennis constat, a cl. PLENCK (*de morb. vener. p. 30.*) significato.

n) HALLERVS (*Elem. physiol. T. 7. p. 476.*) citat HAILLY *Voyage aux cotes d'Afrique.*

o) *Richtiger Gebrauch d. Bleiextracts in äusserl. Zufällen, p. 339.*

p) V. eiusmodi exemplum inter FR HOFFMANNI *Consult.* in *Oper. omn. T. 4. p. 284. Cas. 94.* Sed nonne mulier menstrua iam fundens simul contagio venereo delibuta esse potest?

§. 8.

Quanta igitur, ſub hac cauſarum gonorrhoeae varietate, ſcientia, perſpicacia et prudentia opus eſt ad indagandos abſconditos eius natales, ne quid ignorantia originis et verae naturae committamus, quod in diſcrimen doctrinae noſtrae vel vrbanitatis, vel dedecus et periculum aegri, cedat. Nimirum quicquid membranam, interne vrethram ſuccingentem, vellicare et inflammare potis eſt, vim habet ſinus mucoſos, quibus iſta inſigni numero diſtinguitur, et qui a MORGAGNIO nomen habent, ad vberiorem ſecretionem ſollicitandi, et ſic veram gonorrhoeam excitandi; ſiue extrinſecus ille ſtimulus contactu accedat, ſiue illuc ex humoribus deferatur. Simili ratione gonorrhoeam ſpuriam enaſci ſponte intelligitur; dum irritamentum iſtud glandulas ſebaceas coronam glandis cingentes petat. Rarius contingit, ſaltim ex ſtimulo extus allato, quod eluuies profundiorem in vrethra prouentum, ex glandulis Cowperianis, vel glandula proſtata, quin ex veſiculis ſeminalibus, habeat, ſed plerumque in iis modo lacunis mucoſis vrethrae ſubſiſtit, quae glandi proximae ſunt. Quo acrius iſtud irritamentum eſt, et quo tenacius inhaeret, eo grauior eſt, quae illud excipit, inflammatio, et eo vehementius, quod illam comitatur, ſymptomatum ſatellitium.

Multum lucis accendit, quoad originem et naturam huius profluuii, audax cl. SCHWEDIAVER *q*) in

q) *Practical Obſervations on the more obſtinate and inveterate venereal complaints, p. 32. ſqq.*

in se ipso captum experimentum. Hic enim solutionem caustici alcalini compressa mentula pone frenulum, vtne vltra vulgarem gonorrhoeae limitem descenderet, in vrethram syringae ope bis iniecit, vnde mox dolor vehementissimus, vt et syringam extrahere cogeretur et liquidum efflueret, et paullo post lotium emittendi conatum, quod quidem primum suppressit, dein, quum emitteret eo loco, quo iniectum liquidum substiterat, dolorem intendi manifeste animaduertit. Die postero et subsequentibus materia puriformis sueti in gonorrhoea coloris profluxit, dolore quidem ad priorem locum sensim imminuto, sed succedente die quinto noua inflammatione profundius exorta, quae similem eluuiem per sex dies durantem post se traxit, quibus exactis omnes fere molestiae siluerunt; verum ecce subsequuta tertia inflammatio, a margine proximae circa caput gallinaginis ad vesicae vrinariae collum sese extendens cum eodem ardoris sub mingendum et effluxus copiosi connubio, donec et haec post octiduum desaeuiret, nullo alio malo pedissequo. Idem itaque ex hocce stimulo arte applicato effectus redundauit, qui consequitur, si suppressa gonorrhoea virulenta, ad peiora incommoda arcenda vel tollenda cereolo, mucosa eluuie alius similis aegri oblito, resuscitatur.

§. 9.

Largiar facile exempla adesse, quod, etiamsi vna vel altera supra dictarum potentiarum virile alluerit, vir tamen ab inquinamento isto immunis manse-

manſerit. Sed non ideo cauſae allatae in dubium vocandae ſunt; quidni enim eodem iure infectionem ex amplexu mulieris tabo venereo delibutae metuendam neges, quod aliquis impune eandem meretricem adierit, quae tamen aliorum imprudentiam peſſime mulctauerit, vel quod rariori exemplo quidam, vaga licet et ſuſpecta venere vſi, nullam contagii adliti notam deportauerint. Corporis ſcilicet vel partis ad recipiendum fomitem noxium vel conſenſualem ſtimulum opportunitas praecedat neceſſe eſt, quae quidem aliquando deficere deprehenditur. Id porro monendum, interdum ſolitariam quandam ex dictis cauſam malo gignendo non ſufficere, dum contra ea pluribus viribus coniunctis ſeſe efferat. Sic cauſa haemorrhoidalis cum arthritica combinari poteſt, neutra tamen gonorrhoeam ſuſcitante, niſi extrinſecus vis quaedam accedat, vtramque iſtam ad ſedem ſubſequentis labis determinans.

§. 10.

Iam vero deſcripto (§. 4.) gonorrhoeae arthriticae decurſu et ſimilitudine demonſtrata, quam habet cum aliis mali huius ſpeciebus ex diuerſiſſima licet cauſa oriundis (§. 7.), notae conſiderandae ſunt, quibus eruitur, miaſma arthriticum in culpa eſſe.

Diagnoſis difficilior redditur complicatione venerea, haemorrhoidali, vel alia, vnde procliue maxime eſt, accuſare vitium, quod reliquis manifeſtius eſt, et olim maxime aegrum, alia etiamſi

facie

facie, afflixit, vel cui prae reliquis patuit. Si quis gonorrhoea olim venerea tentatus in arthriticam incidit, ambiguitas enafcitur, etiamfi vere ab ifta fanatus fuerit, anne ex priori malo femina quaedam fuperfuerint, quibus hoc ipfum recruduit, vtpote quum notum, poft inducias mox longiores mox breuiores nonnunquam renouari venereum profluvium. Ita qui illicitam venerem exercuit in fufpicionem contagii venerei contracti incidere poteft, fi paullo poft arthriticam hancce labem experitur, licet foemina contagii expers fuerit. Nec in maritis arthriticae indolis illam effe certo, faltim initio, pronunciari poteft, nifi de intemerata vita vxoris certiffime conftet, quum rariffime fuppetat oculorum indagine vitii venerei immunitatem in foemina explorare.

Fac vero haec omnia fcrupulum non mouere, tum in primis dubii reddimur, fi absque vllius *Arthritidis regularis*, quam fcholae vocant, fiue iftius, quae primam vim in exteriori corporis parte, plerumque artubus, exferit, praeuiis fignis verenda miafma arthriticum petit, praecedente forfitan extrinfecus vellicante quadam potentia, quae illud alliciat. Quidni hanc ipfam a confueto naturae ordine aberrationem, tanquam primitiuam admitteremus, quum conftet, pluries in corpore, ad iftum temporis terminum quoad fpeciem integro et immuni, exfurgere morbos, quorum origo fomiti arthritico infidiofo, nec confuetis cancellis antea vnquam circumfcripto, debetur, quam quidem *Arthritidem ano-*

malam

malam vere obtinere, diferte MVSGRAVE *r*) innuit, confirmauit fua experientia cl. CLERK *s*), qui pofterior peculiari nomine eandem infigniuit, fiue arthritidis anomalae *imperfectae*, item cl. WHYTT *t*). Quam aegre autem haec ipfa eruatur, inde cognofcitur, quod ipfe MVSGRAVE fignificat, "eius fymptomata et eorum interpretationes fupra captum humanum videri." Quod quidem fine dubio in caufa eft, quod ratio arthritidis anomalae imperfectae in vniuerfum ab auctoribus modo pauciffimis habita fuerit. Lucem aliquam me iudice in hifce fpiffis tenebris de labe ifta, in quam hic commentor, accendere poffunt negatiuum iudicium, dum fcilicet nulla reliquarum gonorrhoeae caufarum poft percontationem accuratiffimam accufari poteft; praefentia earum virium, quibus alias arthritis enafcitur, nimirum hereditas, contagium, diaetae vitia, rel.; fubfequentes forfitan in externo corpore arthritici cruciatus, filente vel mitefcente altera labe, vel hanc ipfam comitantes; item, quae quidem ferius paullo adminiculum in diagnofi praebet, efficacia medelae in fanationem adhibitae. Cl. CLERK ftranguriam vel faltim mingendi difficultatem *u*) pluries indicem latentis arthritidis cognouit. Quae quidem figna plerumque in connubio vitiorum officinae digeftionis fefe manifeftarunt, fed memorabile maxime eft, quod addit, effatum "No doubt, the difeafe

r) *De arthritide anomala*, *p*. 3.

s) *Effays and Obf. phyf. and literary T*. 3. *p*. 427.

t) *Effays l. c. p*. 466.

u) *Eff. l. c. p*. 442.

diseafe may sometimes be lodged about the bladder or urethra, without affecting any other of the bowels." Alii ex filamentis mucosis in lotio fluctuantibus, insidias arthritidis hostiles diuinare conantur. Sunt haec sine dubio σαρκια μικρα τριχοειδεα HIPPOCRATIS, vel carunculae paruae, quas cum capillis (ωσπερ τριχες) comparat. Eiusmodi de renibus cum lotio crasso aliquando excerni in Aphorismis *v*) indicat, alibi autem *w*) dilucidius arthriticis adscribit. Multum tribuit hisce in dignoscenda arthritide clandestina cl. CLERK *x*), pater, qui siccata haec fila speciem calcis prae se ferre innuit. Hisce apparentibus cl. BERGIVS *y*) diligentiam summam in praecauenda arthritide inculcat. Pluris hoc signum facerem, nisi et in aliis morbis aliquando obuium esset. Nam similia fila ex haemorrhoidibus albis vesicae in lotio conspecta *z*). Mirum auctores, qui ex instituto de gonorrhoea venerea egerunt, vix horum filorum mentionem iniecisse, in qua tamen quoque aliquando comparent *a*).

Planior

v) *Sect. 4. aph. 76. Oper.* Ed. LIND. *Vol. I. p. 89.*

w) *De nat. hum. Sect. 26. loc. cit. p. 279.*

x) In PRINGLE's *Diseases of the army* secundum citationem CLERKII, filii; in *Ess. and Obs. cit.* qui vero locus in *Ed. 7.* Pringliani libri omissus est.

y) *Svar på frågan om orsakerna til Gikt och dess Förvarings-och Bote-medel, p. 12.*

z) FR. HOFMANNI *Oper. omn. phys. med. Tom. 4. Cas. 88.* in *Consult. et resp. med. p. 277.* vbi tunica interior arrosa et excoriata, sed perperam, accusatur; et *Cas. 93. p. 283.*

a) Memorat eadem HALLERVS in *Element. physiol. Tom. I. p. 476.*

Planior omnino in hiſce ſalebris ad cognitionem mali via eſt, ſi labes iſta obſcoenorum nonniſi poſt varia alias in externo corpore obuia incommoda praegreſſa vexat, vel, vt cum CLERKIO loquar, *arthritidem anomalam perfectam* conſtituit. Aſt interuallum, hanc transpoſitionem et regularis arthritidis inſultum intercedens, ſubinde tam longum eſt, in annos complures vsque protractum, vt hic fere in obliuionem ceſſerit, quando iſta poſtliminio contingit. Interdum dimidiato quaſi impetu prodit, miaſmate non omnino partem, quam primum inuaſit, derelinquente. Si vero, cruciatibus in externo corpore vel interna quadam parte diſparentibus, confeſtim incommoda iſta in verendis ſentiuntur, tanto magis firmatur iudicium noſtrum. Et haec quidem communia cum qualibet alia arthritica metaſtaſi ſunt, quamcunque partem internam aggrediatur, item cum exanthematibus ſiue acutis ſiue chronicis ad interiora retrocedentibus. Leuatur igitur vel omnino tollitur priſtina affectio hacce noua ſuccedente. Item hacce euaneſcente recrudeſcit *b*) interdum prior. Attamen aliquando ſub ipſo decurſu huius labis arthritidis abditae ſigna aliquot ſeſe exſerunt. Sunt qui pro diſtinguenda gonorrhoea arthritica a venerea et hoc criterium cenſent, quod haec inficiat, iſta vero non *c*): an iure, dubito; quidni enim acrimonia, quae

b) SAUVAGES *l. c. p.* 208.

c) Ita ſentit cel. TÖDE (*Kenntniſſ u. Heil. d. gemeinen Tr. p.* 9.), qui gonorrhoeam veneream deſcribendo omni-

quae ad vrethrae maris membranam translata mucosas eius cryptas sollicitandi eamque in febrem vsque diram inflammandi vim habet, si in foeminae sinum transmittitur, eosdem ibidem effectus procreare posset, et vere aliquando procrearet, nisi tormenta, quae patitur aeger ex ista morbosi fomitis digressione, et mentis deiectio, ob incertam eorundem indolem et euentum, libidinem refrigeraret vel omnino exstingueret. Addo, prout in aliis morbis subdolae et laruatae indolis vera eorum natura et causa saepe a remediis vel iuuantibus vel nocentibus peti potest, haec pariter in hac ambiguitate dirigere diagnosin nostram posse. Id quod quidem non ad primum stadium siue inflammationis, sed ad alterum relaxationis variasque sequelas spectat. Nam quamdiu istud vrget, qualiscunque fuerit fomes vel stimulus praegressus, venereus, arthriticus, haemorrhoidalis, rel. (§. 7.), eadem vbiuis medendi methodus requiritur, scilicet ea, quae inflammationem subigere valent, et, si acrimoniae indicia adsint, ea, quae eandem diluendi, obuoluendi, et vna cum lotio eliminandi, vim habent. In altero autem stadio, et sequelis variis, quae deuicto primario morbo subinde supersunt et speciem noui morbi prae se ferunt, acquiescere non licet vniuersaliori ista curandi via, sed pro causa specialiori variandum est, e. c. in digressione haemorrhoidali sanguis in consuetos cancellos sanguisugis aliisque commo-

omnibus reliquis auctoribus accuratione antistat, item cel. PLENCK (*de morbis vener. p. 35.*). de gonorrhoeis extra causam veneream ortis generatim.

commodis reuocandus eſt; ſi venereus fomes peccauerit, mercurialia ſaepe in pertinaciori malo opportuna; ſi arthriticus, vix ſine ſpecificorum arthritidi aduerſorum adiumento fine tuo potieris. Commutatio horum auxiliorum absque cauſae latentis reſpectu manifeſte nocebit, tam in morbo ipſo, quam in ſubſequentibus ex eodem fonte malis. Quis e. c. ſine damno, arthritide in glandulam proſtatam delata eaque tumida et indurata, impune mercurialibus topicum hocce vitium impugnabit. Tanquam aliquid ſingulare et diagnoſticon in ſtranguria arthritica notauit cl. CLERK *d)* hoc, quod, licet veſicatoria alias facile ſtranguriam excitent, haecce tarſis applicata ad efficaciſſima in eadem tollenda remedia referri debeant.

§. 11.

Quemadmodum vero quaelibet arthritis anomala, ob laeſas nobilioris partis functiones, remotiorem ab effectu externorum remediorum ſedem, et vim maiorem, quam parti labefactatae affert, difficilior curatu magisque ambigui euentus eſt, quam iſta, quae exterius corpus obſidet: ita et haec, quam iam perſequor. Per ſe tamen liquet, quum eadem mox mitius mox grauius vexet, quin a leui ſtranguria ad lethale vsque proſtatae carcinoma potentia eiusdem ſe extendat, non ſemper eam aeque timendam eſſe. Blandius, quod de eius natura quidam iudicium ferunt *e)*, ſine dubio

 ad

d) *L. c. p.* 444.

e) TODE et PLENCK *ll. cc.*

ad leuiores morbi gradus pertinet, vt ad ſtranguriam, gonorrhoeam ſpuriam, vel exiguum modo per vrethram profluuium; quae quidem mala mox longioris mox breuioris morae ſunt et interdum aliquoties recurrunt. Aſt multo plus negotii et aegro et medico faceſſit malum, ſi comitem ſeſe adiungit vera vrethrae inflammatio, quae ſi adeo deſcendit verſus veſicam et proſtatam pariter corripit, ambiguum exitum reddit. Sed ne tunc quidem deſperandum; quin nonnunquam natura hiſce turbis videtur tanquam criſi vti ad euerrendum acre arthriticum et inducias ab affectione conſueta in externo corpore longas conciliandas. Ipſa induratio et intumeſcentia proſtatae reſolutionem admittit, modo recens ſit et efficacibus remediis impugnetur. Sed carcinomatis in ea enati eheu hactenus, quantum conſtat, nullum remedium inuentum eſt.

§. 12.

Non poſſet vero fomes iſte arthriticus ad haecce loca transferri, niſi iſte mira ſubtilitate, qua minima vaſa et exiliſſimos neruos permeat, praeditus eſſet. Inter multas cauſas, quae transmigrationem eius ex vno loco in alterum excitare queunt, memorandus heic nominatim eſt nixus partis cuiusdam intenſior, qui ipſe vel ſtimulando vel debilitando partem ad ſuſcipiendum virus alicubi latens opportunam reddit. Sic animaduerti, iſchiadem dolentiſſimam neruoſam in viro rheumatiſmo ſiue arthritidi obnoxio exortam, quum manu dextra, quam fieri poſſet altiſſime exporrecta, nodos expediret:

laqueo-

laqueorum aulaei feneſtrae praetexti digitis pedis eiusdem lateris inſiſtens; et alia occaſione vehementiſſimus dolor eiusdem naturae ſcapulam ſubito torſit, dum hieme pallium pelle ponderoſiori inſtructum ipſe humeris ſuis ſumma velocitate ſuper caput iniiceret, vt, decori cauſa, honorati viri auxilium anticiparet. Obſeruaui quoque incuruatione dorſi in terram ſubitanea virus hocce ex coxa, vbi, ſenſim licet deſaeuiens, antea haeſerat, mox ad pectus conuerſum, et ibidem praeſentiam ſuam primum haemoptyſi, dein hac ſopita ſub variis inſidiarum clandeſtinarum indiciis in remotis partibus, tuſſi pertinaci cum ſcreatu muci coloris multiplicis manifeſtaſſe. Elucet itaque ex hiſce, quanta vis ſit nixus verendorum intenſioris et ſtimuli ad illa extrinſecus allati ad virus arthriticum alliciendum. Caſus infra vberius a me enucleandus, vti et alius, quem cl. POVTEAV *f*) de viro recenſet, a gonorrhoea ſpuria nonniſi viduitate liberato, rem illuſtrat.

§. 13.

Pluries quoque obſeruatum eſt, arthriticum miaſma, alia etſi, quam quae deſcripta hactenus a me fuit, facie, miro niſu in lotii vias ferri. ARETAEVS *g*) iam notauit, communicari arthritidem inter alias, quas memorat partes, renibus quoque et veſicae, et CAELIVS AVRELIANVS etiam *h*) conſenſum veſicae declinante priori paroxyſmo arthri-

f) *Oeuvres poſthumes, Tome I. p. 363.*

g) *De morbis acut. et diuturn. Ed.* BOERH. *p. 66.*

h) *De morb. acut. et chron. p. 559.*

tidis accufat. Sic SYDENHAMVS et BOERHAAVIVS, in quos immortales viros hic morbus tyrannidem fuam exercuit, lumbaginem rheumaticam defcribentes mentionem faciunt incommodorum nephriticorum et tenefmi veficae moleftiffimi, qui fub defcenfum calculi a rene alias infeftare folet. Poffunt quoque quodammodo huc trahi veri calculi vrinarii, quos faepe arthritici concipiunt, et quorum cruciatus haud raro cum arthriticis tormentis alternant, de quibus alibi fufius differui *i*). Magis vero huc fpectat critica per lotium euacuatio, quae interdum in arthriticis contingit, vrina fcilicet mucofa, lactea, cretacea, fabulofa, copiofius fecedente. Fuit arthriticus *k*), qui, poftquam vrinam craffam copiofam, paullo poft in fpiffitudinem gelatinae denfatam, eminxerat, valetudinem fuam recuperauit. Alius *l*), cui leues paroxyfmi per interualla redierant, fubito reddidit lotium lacteum, quod poft horam pellucidum euafit, deiecto ad fundum vafis fedimento albicante copiofo fenfim in cretae vel gypfi duritiem indurefcente, quae fcena rediit per octo vel nouem menfes *m*). Fateor tamen haec magis ad renes fpectare, quam inferiorem viarum vrinae cum vicinis partibus

i) *Diff. de cognatione inter arthrid. et calcul.* recuf. in *Opufc. med. Vol. I. p. 186.* Conf. CVLLEN's *firft Lines of the practice of Phyfic. Ed. 4. Vol. 2. p. 67.*

k) BAGLIVI *Opera omn. p. 117.*

l) *Hiftoire de l'acad. R. des fciences 1747. p. 56.*

m) Conf. et cafus a cl. ADAMI recenfitus, quem recufum in HALL. *coll. pract. difpp. T. 8. p. 785. fqq.* enucleaui in *Opufcul.* meorum *med. Vol. I. p. 201.*; item cafus fimiles, quos allegaui *l. c. p. 209.*

partibus tractum. Ad hunc vero pertinet affectio ceruicis vesicae ex arthritide deuiante, dolorem stranguriam et catarrhum vesicae creans, item labes quaedam intestini recti mox dolore solo huius partis sese declarans mox tumoribus haemorrhoidalibus; quod vtrumque vitium aliquando alternas cum articulorum inflammatione vices agit *). Ita vexauit dolor vesicae cum febre adolescentem quendam arthriticum vel simplex dysuria, quam excepit vrinae crassae sedimentum albidum viscosum, sensim copiosius *n*). Item huius loci est historia monachi *o*), qui post inducias podagrae per vndecim annos concessas subito vrinae suppressione corripiebatur, quam catheteris repetita applicatio aliaque subsidia vincere non potuerunt, donec arthritis pedes manusque afficeret, redeunte pedetentim spontanea lotii excretione. Inter ea, quae anatome in arthriticorum cadauere aliena detegit, refert quoque ill. LIEVTAVD *p*) prostatam tumidam. Cui obseruationi vel ideo multum tribuo, quod idem vitium in casu mihimetipsi obuio occurrit. Haec quoque in memoriam reuocat aliud memorabile exemplum *q*),

 senis,

*) CVLLEN *l. c. p. 74.*
n) SAUVAGES *l. c. p. 207.*
o) *Diss. sistens casum ischuriae ex materia podagrica ad vesicam delata*, resp. PETERSEN, *Argent. 1772. p. 1. sq.*
p) *Synops. prax. med. T. I. p. 74.*
q) Vid. fratris ADOLPHI MVRRAY *Diss. de paracentesi cystidis vrinariae Ups. 1777. p. 6. sqq.* et historia sectionis cadaueris, quam ex communicatione cl. chirurg. MEYER, qui Tiguri aegri curam chirurgicam gesserat, vna cum prolixiori de morbo expositione, publici iuris fecit praestantissimus vir iuuenis J. JAC. RÖMER in *Abhandl. d. Schwed. Aerzte Vol. I. p. 260. sqq.*

ſenis, doloribus rheumaticis vagis per tres annos conflictati, tandem iſchuria pertinaciſſima correpti, quam, catheteris applicatione et paracenteſi per perinaeum aliaque per inteſtinum rectum facta reliquisque fruſtra tentatis, tandem hypogaſtrio acu triquetra ſuper ſymphyſi oſſium pubis perfoſſo auerruncare datum fuit. Quoniam vero poſtea naturale vrinae iter nonniſi catheteris ope lotium transmittebat, per hocce artificiale reliqua ſenis vita alere tranſitum lotii oportuit, id quod coaleſcente veſica cum vulnere externo et callo circa tubulum immiſſum enato facile fuit. Poſt mortem conſtitit, glandulam proſtatam pugni minoris magnitudine intumuiſſe et lardoſae naturae fuiſſe, eiusque excreſcentiam in veſicam protuberaſſe, qui igitur tumor compreſſione ſua lotio viam interceperat. Verum euidentiora exempla niſus iſtius fomitis arthritici in haſce partes hiſtoriae continebunt, ad gonorrhoeam arthriticam ſpectantes, quas ſecundae ſectioni deſtinaui.

SECTIO SECVNDA.

§. 14.

Ante biennium circiter vir quidam, in matrimonio degens et aliquot liberorum ſanorum pater, quadragenario maior, temperamenti cholerici, munere et vitae integritate conſpicuus, me ob profluuium ex vrethra cum ardoris ſenſu iunctum hac in vrbe conſuluit. Fuerat iſte in vitae genere, quod exercitium corporis neceſſarium ſaepe interdixit, plures annos

annos antea per interualla affectionibus arthriticis, vel, ſi malis, rheumaticis tentatus; quae plerumque vel lumbos vel ſcapulam, aliquando et pectus, occupauerant, ſaepe quoque vagos inſultus ex vno artuum articulo in alterum fecerant. Haemorrhoidum indicia non alia vnquam adfuerant, niſi quod aliquando etſi rariſſime leuiuſculum pruritum circa ſedem, vel nodulum ibidem breuis durationis nec vllo modo moleſtum, ſentiret, et quod, dum liberis operam daret, aliquot ſanguinis ſtillas ſubinde poſtea per lotii iter eiiceret *a*). Contagii ex impura venere contracti ſuſpicio neque in eum neque in vxorem vlla cadere poterat, quum et fama et amor vtriusque coniugis mutuus id vetaret, nec ſane, ſi hac in re peccatum fuiſſet, ſciſcitanti mihi debita cautione et ſine notitia cauſae ambiguam valde futuram curationem ſerio declaranti, ſub aegritudine animi, quae vtrumque coniugem ob moleſtum hocce malum angebat, id celaſſent, perſuaſiſſimi ſilentium medicum religionis inſtar mihi eſſe. Vxor quoque, ſi leue leucorrhoeae, cui alias obnoxia erat, veſtigium eximas, ſaniſſima fuit, nec ad eandem tollendam medicinae capiendae vlla neceſſitas proſtitit. Negotiorum ratio iter et abſentiam marito vltra dimidium annum iniunxerat. Rediit hieme adoleſcente ſanus, praeterquam quod et abſens aliquando rheumatiſmo ſibi familiari correptus fuiſſet, et mali iſchiadici reliquiis aliquot et-

 iamnum

a) Id quod BRENDELIVS (*Diſſ. de haemorrhoidibus interceptis etc. p. 8. §. 6.*) inter ſymptomata haemorrhoidum refert.

iamnum vexaretur. Sed eheu gaudium ex reuisa chara coniuge cum prole perceptum, et post longam abstinentiam coniugali officio quoque declaratum, ante finem duarum hebdomadum obscurauit praeter opinionem, quin deleuit in verendis enata labes. Initium illa ceperat sensu mox titillationis, mox doloris vrethrae. Paucos dies post sub ingressum noui anni, mane glans humida apparuit cum ardore circa orificium vrethrae et inflammatione, per insignem ab eodem distantiam sese extendente, et, quum comprimeretur, mucum albidum eructauit, quod stillicidium sponte per diem prorupit, maculas albas, flauidas, viridescentes in linteo relinquens, cum dolore non solum circa os vrethrae, sed et media eius parte, et versus vesicae collum saeuiente, in eiulatus vsque molesto et crebro mingendi conatu stranguriofo. Postridie accessit dictis modo incommodis intumescentia glandis et praeputii, et proxime subsequentibus diebus, sub aucta eluuie mucosa sensim spissiori et incremento pristinorum symptomatum nominatim ardoris sub mictum, dolor tumorque in glandula infima dextri inguinis, quum attingeretur, et corpore commoto tensionis sensus in eodem inguine, item lancinans sed fugitiuus in femore dextro inde a trochantere maiori. Mature quoque molestae erant erectiones colis nocturnae, quae somnum iam sponte valde inquietum adhuc magis turbarunt, et constrictionis vel compressionis ani praecipue versus anteriora sensus, demum obstructio aluina. Tertio die, postquam profluuium

primo

primo compareret, a quo ipſo initium morbi computabo, verſus veſperam poſt pandiculationes et ſomnolentiam febris incidit, horrore, calore, ſudore et vrina turbida nidoroſi odoris, ſeſe manifeſtans, quae ſexto (ſecundum hunc calculum) die noctu recruduit absque praeuio horrore ſed inſigni calore cum ſiti ſtipata, vnde et dolor in antica vrethrae parte inſigniter auctus et in infimam eius partem ad anum vsque protenſus. Ad quem, fere intolerabilem, mitigandum quum venam in brachio ſiniſtro ſecandam curarem, phlogiſtica cruſta denſa tectus ſanguis apparuit; et initio dolor quidem mitior, dein iterum acutior, euaſit, nec inde decreuit febris. Iam initio profluuii, vt dolorem et mingendi difficultatem lenirem, decoctum Hordei perlati, Theam cum lacte, item infuſum panis ſecalini toſti, infuſum ſeminum Cannabis ſimiliaque copioſe bibenda ſuaſeram, et, quum haec voto non ſatis reſponderent, ſubſequentibus diebus mixturam ex oleo Amygdalarum dulcium, et Gummi arabico, exceptis aqua Petroſelini et ſyrupo, ſubiunxi. Febre vrgente emulſio, cui tantillum nitri additum erat, ingeſta. Oleoſae mixturae quoque ſubinde ad lubricandam aluum Mannam loco ſyrupi admiſcui. Verum haec omnia tentamina iuncta cum diaeta antiphlogiſtica parum modo auxilii praebuerunt, ſed praeter frequentem et difficilem mictum et ardorem vehementiorem vrethrae, verſus anum praecipue vrgentem, quem prae reliquis Camphora a grano dimidio ad integrum per bihoria data, ſub eo regimine, vt ſudor erumpere non poſſet, ſolabatur,

batur, rigiditas frequens dolorosa colis per noctem afflixit, in primis autem aluum egerendi conatus creber irritus cum pruritu, tensione, ardore et obstructione pertinaci flatibusque ad anum stagnantibus, aegrum misere excruciauit. Quae quidem mala circa sedem percepta clysmata tepida emollientia oleosa nonnihil mitigarunt, sed non diutius quam haec ipsa retinerentur, etsi semper feces aliquot duras prouocauerant, cui fini et subinde solutio Mannae et salis mirabilis Glauberi satisfecit. Inter haec exsudauit smegma foetidum circa glandem, glans circa vrethram valde inflammata et vasa maiora penis valde turgida, et perrexit catarrhus colis per interualla mox vberiori mox parciori riuo, et consueta coloris varietate. Plurimum autem interest commemorare, in hoc decursu aliquando fugitiuos dorsi dolores, nictu quasi oculi celerius accedentes et sese rursus subtrahentes, incidisse, et per vices quoque genu sinistrum, pollicis sinistri pedis articulum, postea coxam sinistram tentasse, in qua parte tenacius resedit dolor, adeo vt rigiditas et claudicatio succederet; aliquando et fauces doluerunt. Lotium plerumque pallidum item initio turbidum, dein autem sedimento mucoso deiecto pellucidum. Diaetae rigor, insomnes noctes, metus de euentu, vires insigniter prostrauerant, licet cibi appetitus hactenus non decreuisset. Inter haec quidem febris quaedam indicia subinde conspicua fuerunt, sed manifestiori iterum impetu post noctem praegressam valde inquietam erupit tertia vice die 16. post prima effluuii initia, quo post horrorem

rorem incaluit aeger vehementer per totam diem cum cephalalgia dira in feram noctem pergente et mictu longe magis doloroso et difficiliori et tenesmo multo grauiori, quam per multos dies antea. Vndenam haecce in peius mutatio? An a die ante ad mouendam aluum, quae rarissime sponte successit, data mixtura ex tinctura Rhei et sale mirabili, cuius quidem effectus blandus fuit, an a binis vitris vini Gallici ad refocillandas vires per prandium potis? Binis subsequentibus diebus sudor matutinus foetidus attentionem praecipue in se conuertit et digestionis ciborum ea imbecillitas; vt et Dauci radices rite emollitae non concoquerentur, detumescente interea praeputio sensim. Praecipue vero aegrum iam diuexabat tenesmus fere assiduus cum sensu ardoris, tensionis, titillationis, doloris lancinantis intra anum, ita vt, qui adhuc et postea perseuerabat vrethrae sub mictum, praesertim eo exeunte, dolor vtut dirus, hunc pro exiguo modo tormento haberet comparatione facta cum tenesmo eiusque tristi satellitio. Metuendum inde erat, ne inflammatio glandulae prostatae subesset. Quae suspicio et confirmata exploratione per anum facta; nam tumor anterius sentiebatur ouatus, mollis, attactu dolens. Ad hunc igitur discutiendum summa sollertia intendenda erat. Praeter superius dicta itaque clysmata emollientia sedulo adhibita, vapores decocti seminum Lini admissi et cataplasma ex foliis Maluae et seminibus Lini, vel et additis floribus Sambuci, perinaeo tepide et diligenter applicatum; infusi seminum Cannabis etiam plus quam

antea

antea ingeſtum. Leuamen inde inſigne conciliatum aegro, praecipue ſub corporis ſitu ſupino, quum contra ea ſeſſio vel ſtatio et deambulatio moleſtias valdopere augeret. Nouum iam in lotio phaenomenon apparuit, ſcilicet laciniae quaſi membranaceae, item fila fluctuantia. Die 22. inflammationi proſtatae acceſſit febris (quae ipſa quarto per decurſum deſcriptum obrepſit) eaque valida, ad quam refrenandam venae ſectio adminiſtrata ſanguine valde phlogiſtico, item emulſio nitrata per aliquot dies ingeſta. Hiſce, potulentis blandis, et emollientibus admotis, ſub ſummo diaetae rigore, ſuccedente et vrina critica, diſparuit inflammatio, teneſmus miteſcere coepit, lotium vberius fluxit et aliquando ſine dolore, aluus ſubinde ſponte ſoluta, etſi plerumque dura fecibus non cohaerentibus et fruſtula plana criſtata referentibus, muci excretio parcior et modo per vices copioſior, remanente tamen tenſione vrethrae praeprimis in perinaeo et ſub tactum doloroſa item rubedine et ardore circa vrethrae orificium; mentis quoque hilaritas rediit.

Inter haecce bona ſigna autem me anxium valdopere reddidit ſuperſtes tumor proſtatae iam, d. 26., pyriformis, indolens, durus, latitudinis quatuor transuerſorum digitorum, latiori extremo ſurſum verſo. Nullum amplius dubium ſupererat, ex inflammatione proſtatam in tumorem durum tranſiiſſe. Lotium ſaepe turbidum craſſum foetens, plerumque tamen pallidum, ſed ſemper dictis laciniis filisque refertum, in hac noua ſcena comparuit.

paruit. Quid in ista prostatae induratione extractum Cicutae valeret, tentare iam constitui incitatus laudibus, quibus illud cl. CLERK in arthritide anomala cumulauerat, a qua omnes in hocce aegro subortas miserias deriuabam, et spe fretus, fore vt hocce remedio tumor ipse, vtpote adhuc recens, dissipari posset. Ast extracti etiamsi vnciis tribus cum dimidia consumtis, initio paruis dosibus factis, neque decreuit nec mollior euasit tumor; sed sensim, quod adhuc magis sollicitum reddidit animum, formicationis punctionis vel tensionis aliusque molestus sensus sese associauit. Vnicus effectus, quem praestitit Cicuta, fuit in pellendo lotio, et, quum scrupuli duo extracti per diem ingererentur, caput nonnihil tentatum. Quod gonorrhoeae symptomata sensim disparerent, profluuium crassum albicans in pellucidum et fluidius transiret, erectiones colis feriores dolore destituerentur eiusque incuruatio sub iisdem pariter cessaret: haec omnia etiam absque Cicuta potuisse impetrari, nullum dubium est. Singulare et, licet aeger sub abstinentia longiori pollutionibus nocturnis alias saepius tentaretur, sub tanto stimulo tamen iisdem per sesquimensem caruisse, compressis sine dubio per tumorem viis, per quas sperma transire posset. Verum et hasce postea patulas euasisse, effectus docuit. Nec plus praestitit substituta dein miscela ex extractis Cicutae et Corticis Peruuiani, sed contra pedetentim magis protuberare incepit tumor, ita tamen, vt nunquam perinaeum protruderet, et tenesmi molesti recruduerunt. Suspecta quoque adhuc magis red-

debatur

debatur aegri conditio, quum vesperi per plures dies febricula emergeret.

Cicutae igitur post mensis fere integri vsum d. 20. Martii Tincturam antimonii Thedenii substitui, prout in pharmacopolio nostro academico parata erat, a guttis decem bis per diem ad guttas viginti ter per diem capiendam. Sub eius vsu abundantius lotium manauit, itidem membranulis filisque vel nebula mucosa mixtum, sed aluus subinde stricta, quod si fieret, durior et prominentior tumor sentiebatur, eliminatis autem fecibus cum flatibus antea in intestino collectis mollior et planior. Superstites adhuc materiae arthriticae insidias declarauit fugitiuus mox in dextro mox in sinistro genu aliquando perceptus dolor. Decimo etiam die post captam hancce tincturam nodulum coeruleum magnitudine pisi prope anum aeger animaduertit, cuius neque aliorum haemorrhoidalium symptomatum vestigia vlla antea adfuerunt. Post continuatam vltra tres hebdomades hanc medicinam, ita tamen, vt vno vel altero die negligeretur, manifeste quidem decreuisse tumor visus est, attamen, etsi doloris expers, tensionis et ponderis sensu et retardatione deiectionum aluinarum molestus esse perrexit.

Quum vero nodulus prope sedem perseueraret et per vices vagi dolores arthritici infestarent, hirudines circa anum applicandas et tincturae antimoniali Gummi Guaiaci interpolandum die 17. Aprilis decreui. Inter plures hirudines, quarum tum heic

heic aderat penuria, vna modo adhaesit nodulo, eo tamen effectu, vt admissis vaporibus aquae calidae sanguis per $1\frac{1}{2}$ horam postea stillaret in debilitationem aegri vsque notabilem. Gummi Guai. praescripsi vel in pilulis ex Gummi huius, vel potius Resinae, vncia dimidia et Saponis Alonensis (Alicantini vulgo) non rancidi drachma vna, quarum, puluere radicis Glycyrrhizae probe subactarum (ne in scatula concrescerent), decem ponderis granorum duorum mane et totidem vesperi sumtae; vel in mixtura ex Gummi Guai. vncia dimidia, Gummi arabici drachma vna s. vitelli ouorum q. s., aquae Petroselini vnciis quinque, Saponis Alonensis drachma vna, Syrupi capillorum veneris vncia dimidia, cuius mixturae cochlearia duo dictis temporibus ingesta. Ex hisce enim dosibus duae vel tres alui deiectiones pro scopo quotidie subsequutae. Melius quidem soluebatur Gummi Guaiaci vitello oui, quam Gummi arabico, sed sapor longe ingratior, vnde et aegro forma pilularis longe magis placuit, eamque alternatim cum mixtura concessi; pilulis tamen non aeque ex voto aluus respondit. Iunctus cum Gummi Guaiaci potus copiosus aquosus, qui tamen non prohibuit, ne tempestate calidiori incidente corpus ingrate incalesceret, congestiones ad caput fierent, anxietas sentiretur et nocturna quies turbaretur. Ex protracto eius vsu quoque ventriculus labefactari coepit. Differre hinc medelam per aliquod tempus constitutum: sed vix abstinuerat aeger ea per triduum, quum rediret punctio et pulsatio intra anum et profluuium vrethrae, quod

quidem per totum hoc ſpatium non omnino ſilue-rat, preſſione glandis potius emulgendum quam ſponte erumpens, mox albidius mox tenuius. Fatendum tamen in iracundiam conceptam, cuius cauſa crebra dabatur, partem culpae eſſe coniiciendam. Applicari ideo octo hirudines iuſſi, aliunde petitas, quae ipſae non ſolum intra ſemihoram auide ſanguinem hauſerunt, ſed et delapſae eius per duas horas ſtillicidium reliquerunt, ex quo diſpendio aeger languorem haud mediocrem paſſus eſt. Tum demum ad Gummi Guaiaci et Tincturae antimonii reuerſum eſt, qui ipſe per duodecim fere hebdomades interuallis aliquot conceſſis continuatus, conſumtis in vniuerſum Tincturae antimonialis vnciis duabus et dimidia, et Gummi Guaiaci vnciis fere quatuor in miſcela ſaponis. Praeſtitiſſet ſine dubio, curationis hocce genus diutius protrahere et renouare iſtud poſt aliquod tempus ad fomitem arthriticum omnino ſubigendum et eliminandum. Sed vires coctionis inde valdopere laedebantur, vt et iis ſubuenire elixiriis amaris oporteret. Et quum nihil ſupereſſet priſtinorum incommodorum, quam rubedo circa orificium vrethrae ſubinde cum pruritu iuncta, guttula alba mane ex eadem protuberans et fluctuatio laminarum vel filorum in lotio: finis medicationi impoſitus eſt. Adiuuit ſine dubio eius efficaciam aeſtas calidior, ſub qua calor per plures dies ad 80 imo 94 gr. Fahr. aſcendit, vnde inſudauit aeger copioſiſſime. Pars quoque materiae arthriticae lotio critico videtur eliminata per decurſum morbi fuiſſe; etenim iumentoſum aliquando appa-

apparuit lotium, craſſum, foetens, vt de mollitie alui, quae ope Gi. Guaiaci alebatur, nihil dicam. Verſus autumnum quidem et hieme ſubſequente nouos arthritidis vagae inſultus aeger ſenſit, item anno poſtea, quin etiamnum nonnunquam aliquot eius veſtigia leuiora ſeſe exſerunt, verum a mucoſo profluuio omnino liber euaſit, modo quod ſubinde adhuc tenella fila in lotio conſpiciantur. Aſt quod curationis faſtigium fuit, nimirum, vt carcinoma proſtatae exitioſum auerteretur, id diuina auxiliante gratia attigi. Et inſuper cruciatus arthritici, praecipue doloroſa iſchias, longe rarius poſtea et mitius aegrum afflixerunt.

In narrationem hancce multis commentari, non opus eſt. Prolixitatis nimiae eam non ream facient mecum perſuaſi, gonorrhoeam arthriticam multo rarius reliquis affectionibus verendorum et vicinarum partium, ex eodem fonte profectis, incidere, hinc rationem afferti per partes reddendam fuiſſe. Id ſane exinde conſtat, fontis arthritici labem deſcriptam fuiſſe, cui molimen haemorrhoidale aliquid virium adderet. Etenim, quoad materiem arthriticam, haec ipſa tam ante quam ſub ipſum decurſum imo et poſtea ſeſe declarauit, mitius vero affecit aegrum hacce metaſtaſi facta et arte ſenſim deuicta; ſana inter haec vxore. Duplex forſitan ſubfuit cauſa, quae illam ad locum affectum allexit, ſcilicet officium coniugale poſt longam abſtinentiam et leucorrhoea vxoris, vtut mitis. Atrocia vero tanta in aegrum ſaeuiit, vt vix cederet tormentis

ex gonorrhoea venerea grauiſſimis; quin non ſubſiſteret pone glandem, ſed ipſam proſtatam in connubium traheret, et quatuor manifeſtos inſultus febriles ſuſcitaret. Quam in muci vrethrae colore varietatem animaduerti, et quae in ſimili affectu venereo ſemper cernitur, haec muco in vniuerſum communis eſt, narium quoque et pulmonum, ex quibus ſcreatu reiectus viridis pariter mihi pluries occurrit, vt inde nulla ſingularis malignitas in huius generis affectionibus colligi poſſit. Id quoque in hoc aegro obſeruaui, licet albus initio eſſet, ſiccatum adſciuiſſe colorem viridem. Filorum et pellicularum in lotio origines fateor mihi obſcuras eſſe; an ex renibus, quod de arthriticorum filis in lotio iudicat HIPPOCRATES *b*) excretae; an in veſica vrinaria enatae? an ex mora muci in vrethra collapſa vel compreſſa per proſtatam tumidam hic ipſe ad latera concreuit, dein riuo a tergo vrgentis lotii deraſus? Per ductulos proſtatae in vrethram delatas eſſe, vix probabile. Mucoſae naturae fuiſſe nec ramenta membranae internae vrethrae acrimoniae vi eroſae, quod quidem aliis caſibus olim male exiſtimatum *c*), cognoui colatione, qua facta in puriformem materiam conteri et reſolui ſeſe patiebantur. Dolor in alterutro inguine et teſte, item in ſumma cute femoris cum tumore in eiusdem inguinis glandula, conſenſualis modo fuit. Quod recruduerit mingendi difficultas, quae iam ceſſare videbatur, intumeſcentiae glandulae proſtatae tribuas, vtquae

preſſione

b) Vid. ſupra *Sect. I. §. 10. p. 432.*

c) Vid. ſupra *§. 10. not. z*).

preſſione ſua iter lotio intercepit *d*). Obſtructiones huius glandulae quantum periculi ſecum ferant, tam ex fabrica eius ſingulari, quae tenacem ſtipatam telam celluloſam conſtituit, imo ſcirrhoſam carnem, cognoſcitur, quam ex euentu, niſi inflammatio praegreſſa tempeſtiue diſcutiatur. Abſceſſus ſcilicet, fiſtulae, ſcirrhi, fungi, cancri, haud rari pediſſequi ſunt, rarius gangraena malum terminat. Forma tumoris, quam deſcripſi, probe reſpondet figurae proſtatae naturali, vtquae verſus veſicam latior; hinc ſuperiori parte digitus explorans latiorem deprehendit.

Quod ad curationem attinet: ad duplicem periodum, nempe inflammationis in vrethra et dein in proſtata contingentis, et indurationis huius glandulae, reſpiciendum erat.

Primum igitur non alia poteram moliri, quam quae et in gonorrhoea venerea opportuna ſunt, vt nimirum, ſub rigore diaetae, potulentis aquoſis blande inuoluentibus acre vellicans dilueretur, obtunderetur et cum lotio eliminaretur; et, quum manifeſtior euaſiſſet inflammatio, vt haecce praeterquam potulentis dictis, venae ſectione, acidiuſculis,

 nitri

d) Legi de hac cauſa ſtranguriae merentur caſus a cl. FABRE (*Nouvelles obſervations ſur les maladies veneriennes p. 20. ſqq.*) conſignati; quod malum alias in gonorrhoea ex inflammatione vrethrae, et ſerius a collapſo interno eius pariete, proficiſcitur, cui cereoli optime medentur. Nam tuberculorum ſ. caruncularum progenies valde rara eſt. — Cf. et MORGAGNI *de ſed. et cauſ. morb. Epiſt. 41. Art. 13. 14.*

nitri et camphorae parca copia, et externis emollientibus et discutientibus subigeretur. Pro potu et ego seminum Cannabis infusum (quod fere aquosum lactescens apparet, supernatantibus globulis oleosis) efficacissimum in leniendo ardoris in vrethra sensu reperi; quum illis et mucilaginosae et oleosae partes cum anodynis insint; sed palato valdopere displicet. Nitrum et medicamina aluum per os purgantia, vtut blanda, haud sine stimuli augmento vim suam exseruerunt, oleosae mixturae autem illum egregie mitigarunt.

Verum, induratione prostatae percepta, deflectere a vulgari norma, nec solum discussionis tumoris sed et causae arthriticae rationem habere oportuit. Cicutae non diu institi, effectu destitututus, et quoniam ipse CLERKIVS inter laudes fassus fuerat saepe non iuuare, annuente quoque WHYTTIO *e*). Hirudines applicare e re duxissem, etiamsi abfuissent indicia ista pauca haemorrhoidum latentium, memor laudum, quas ill. MORGAGNI *f*) iisdem in tumoribus prostatae impertit. In tincturam autem antimonialem THEDENII insignem fiduciam collocaui, lectis paullo ante historiis, quas meritissimus hic senex de efficacia eius in obstructionibus glandularum tam internarum quam externarum et doloribus arthriticis euulgauerat *g*). Hocce praeco-

e) *Ess. and Observ. phys. et lit. Vol. 3. p. 469.*

f) *L. c. Epist. 41. Art. 11. 14.*

g) *N. Bemerk. u. Erfahr. z. Bereicherung d. Wundarzn. u. Arzneyg. T. 2. p. 87 sqq.*

praeconio incitatus litteris illi perſcripſi caſum, meae curae tum ſubmiſſum, ad quas reſpondens, et iudicium meum de origine morbi et medendi methodo confirmauit et vnciam vnam tincturae antimonii a ſe ipſo paratae ſimul mihi miſit, adiuncta ſuccincta expoſitione caſuum aliquot ſimilium ſibi obuiorum, de qua paullo poſt vberius dicam. Diſcrepabat eius tinctura valde ab illa venali pharmacopolii noſtri academici, quam ante praeceperam; illa enim longe obſcurior erat ſaporis ſaponaceo ſalini, nec ardentem ſenſum ori vel faucibus impreſſit, prout haec, ita vt vix veſtigium alcoholis ſapore cognoſceretur. Quae, hac quantitate conſumta, in vſum trahebatur ex dicto pharmacopolio petita propius ad eam Berolino miſſam accedebat. Nolo hic diſquirere, an huic tincturae vere particulae regulinae antimonii inſit, quod mihi quidem probabile, nec ne, de qua re diſcidium proximis hiſce annis enatum: ſaltim plura praeſtitit, quam quae a ſolutione mera terrae foliatae tartari in ſpiritu vini exſpectari poſſint. Gummi Guaiaci vſum coniungere, explorata eius ſerioribus praeprimis annis efficacia antarthritica valde ſuaſit. Loco ſaponis amygdalini, cum quo cel. THEDEN *h*) gummi hoc commiſcere ſolet, quoniam hic non proſtat, ſaponem Alonenſem adieci.

§. 15.

Subiungam narrationi huic aliquot alias de eodem morbi genere, vt tanto certius conſtet, me in

h) L. c. p. 204.

in hiſtoria, quam ſupra (§. 4.) praeſtiti, vniuerſaliori imaginem ipſius naturae, nec ludentis fingentisque ingenii, ſub ſpecie veri, expreſſiſſe. Non autem heic eos auctores curo, qui ſimplici effato ſe gonorrhoeam arthriticam vidiſſe rem expediunt, ſed caſus per partes conſideratos in re tanti momenti nec vulgaris obſeruationis requiro, vt fides extra dubium ponatur.

In litteris THEDENII, quas modo commemoraui, vir aeſtumatiſſimus certiorem me fecit, ſibi ſeptem vel octo caſus ſimilis fere indolis, ac iſte, quem, iam deſcriptum, illi ſignificaueram, obueniſſe. Horum tres exitum habuerunt infauſtum, licet acciti fuiſſent medici peritiſſimi, quum malum in carcinoma proſtatae inueteratum, quod et in anum et perinaeum vim ſuam ſparſerat, tranſiiſſet. Reliqui ſanitati reſtituti, quamuis in duobus eluuies vrethrae remanſerit, quae ipſa non tam pro gonorrhoea, quam potius pro haemorrhoidibus mucoſis per vrethram habenda erat, quibus pariter materies arthritica vel rheumatica ſeſe adſociaſſet. Addit, remedia ſupra a me indicata hiſce plurimum auxilii attuliſſe.

§. 16.

Reliqua, quae ſubſequentur exempla, quorum ſumma modo capita enucleabo, malum quidem mitiori impetu grauans ſiſtunt, ſed huius omnino loci.

Ita

Ita narrante fratre cariſſ. ADOLPHO MVRRAY, Profeſſore med. Vpſ., clmo. HERRENSVANDT, medico Pariſienſi, obuenit vir arthriticus, qui ſub febre maligna ex vrethra profluuium viridi flauum cum nigro mixtum habuit, neutiquam venereum nec ſtranguria iunctum, quod ipſum tandem febre ſublata absque vllis malis ſequelis ceſſauit.

Alius vir, lumbagine variisque ſymptomatibus arthriticis paſſim correptus, exiguum vrethrae profluuium aliquoties recurrens expertus eſt cum dolore in inguine ſiniſtro, qui ſubinde in teſtem eiusdem lateris ſeſe extendit *i*). Idem, qui haec memoriae prodidit, fide digniſſimus WHYTTIVS, ſignificat, arthritidem mox dyſuria difficili mox pruritu ſcroti moleſto anomaliam ſuam demonſtraſſe. In tribus aegris dolor acutus teſtium ex eadem cauſa enatus erat, iuncta in horum vno intumeſcentia teſtium inſigni: ſed arthritide in pedes translata vtrumque incommodum periit.

Foemina innupta *k*), olim et fluore albo modice detenta, pollici pedis ſuo dolenti et tumenti ſpiritum vini infricuit, vnde retroceſſit arthritis in dorſum, et quum et hocce inepte ſpiritu eodem oblineret, praeter nauſeam vomitum et tormina ſubſequuta eſt ſtranguria pertinax, repetitis vicibus cum reliquis dictis affligens, tandem ſola ſuperſtes,

Ff 5 reſu-

i) WHYTT in *Works p. 556. et 561, et Eſſays and Obſerv. phyſ. et lit. Vol. 3. p. 468.*

k) CLERK in *Eſſ. and Obſ. phyſ. and liter. l. c. p. 429.*

resuscitata in genubus arthritide; nam ad pollices pedum descensus nulla arte promoueri potuit.

Aliam foeminam innuptam *l*) ex arthritide anomala inter alia redundantis intro mali signa, stranguria subinde male habuit, qua praesente a reliquis incommodis vel omnino libera exstitit vel mitius iisdem affecta.

Iterum alia foemina *m*) podagrae mitibus insultibus per aliquot annos laborauit, quos ipsos fugare solebat pedibus gelidae aquae immissis. Tandem poenam imprudentiae suae luit spasmis aliisque incommodis ventriculi, accedente miti stranguria. Fluori quoque albo etiam obnoxia fuit.

Vir quidam ex patre arthritico natus *n*), refrigerio spasmos intestinorum et mingendi difficultatem per plures annos durantem contraxit, sed absque dolore comitante. Cicuta praecipue curatus est.

Propius reliquis proxime dictis ad casum mihimet ipsi obuium accedit ille *o*) viri, quem post varia ventriculi incommoda et podagrae mites insultus, quum ista citius sueto cessarent, gonorrhoea copiosa ex muco male colorato nec spisso, absque stranguria et ardore vrethrae vexauit. Intra decem vel quatuordecim dies quidem conualuit, sed

l) *L. c. p. 433.*
m) *L. c.*
n) *L. c. p. 434.*
o) *L. c. p. 438.*

ſed ſucceſſit, forſitan ex equitatione, forſitan et arthritica de cauſa, inſignis intumeſcentia et inflammatio teſtis, a qua pariter liberatus fuit absque vllius mercurialis medicinae auxilio.

Eiusdem originis fuit ſanies iſta foetida *p*) inter glandem et praeputium ex glandulis ſebaceis in viro quodam caſto pluries per multos annos cum pruritu moleſto et inflammatione praeputii exundans, poſtquam rheumatiſmum in pectore ex refrigerio conceperat hocque paralyſin crurum per tempus creauerat.

Idem vitium verendi contraxerat vir quidam *q*), qui, redux ex itinere aliquot menſium, amplexibus vxoris amabilis et culpa omni carentis ſeſe dederat. Dolores iſchiadicos mites antea ſenſerat, qui ipſi poſt eluuiem ſignificatam diu ſiluerunt, donec in pectus translocarentur.

In mercatore quodam *r*), praeter hancce ſpurcitiem pluries redeuntem, ex materiae exundantis acrimonia excoriatio internae tunicae praeputii enata erat, et hocce phimoſin minabatur. Poſtquam viduus factus fuerat, non rediit gonorrhoea iſta ſpuria, ſed eius in locum herpes doloresque cum intumeſcentia faucium ſucceſſerunt.

p) POVTEAV *Oeuvres poſthumes, T. I. p. 357. p. 360.*
q) *L. c. p. 361.*
r) *L. c. p. 363.*

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Addere lubet ob argumenti grauitatem alias quasdam fomitis arthritici ad verenda conuerſi hiſtorias, ab amicis, qui ſectiones priores prelo paullo ante traditas legerant, per litteras mecum communicatas, licet non praeciſe mucoſum per colem, quale in gonorrhoea, profluuium, cuius cauſa hic praeſertim agitur, reſpiciant, ſed alia potius genitalium et vicinarum partium vitia. Quod haec ipſa non ex venerea cauſa ſuam originem traxerint, huius fides apud auctores eſto. Aliis quibusdam, litterarum commercio mihi iunctis, viſum eſt vera gonorrhoeae arthriticae exempla ſe obſeruaſſe. Quoniam autem rem mihi non per partes expoſuerunt, aliena ab hocce loco ſunt.

§. 17.

Dolet ill. Eques AB ACREL (Litt. d. 2. Nov. a. 1785.) frequentiam in Suecia obuiam vitiorum partium genitalium ex translata illuc acrimonia rheumatica vel arthritica, et compagem vaſculoſam praecipue, quorſum teſtes et epididymis pertinent, corripi queritur. Eiusmodi caſus eius curae, dum ſcriberet, commiſſus fuit, hominis ſcilicet, qui quidem ante nouem annos gonorrhoea laborauerat (puto, veneream eſſe intellectam), ſed inde ab eo tempore ſanus. Probabile quoque iudicat ex hac acrimonia natales ſuos ducere pleraque ſarcoceles et hydroceles exempla, quae vitia niſi diſcuſſa, vel ſi male tractata, fuerint, vaſa epididymidis et tunicam

cam albugineam obſtruerent, et ſerum in cauum tunicae vaginalis rel. exprimerent. Ipſe iam antea intumeſcentiae teſtium, ex hoc fonte enatae, in actis R. Academiae ſcient. Stockholmienſis *) mentionem iniiciens memorat aliquando illam ſponte diſparuiſſe, et aliquoties teſtem mox vna mox altera parte per vices fuiſſe diſtentum et pellucidum.

§. 18.

Iam ſequantur momenta quaedam ex litteris binis (d. 25. Jul. et 27. Sept. a. 1785. exaratis) cel. WICHMANN, medici Reg. aulae experientiſſimi et veteris inde ab academicis annis amici, huc ſpectantia.

Caſus, qualem Tu deſcripſiſti, hactenus quidem mihi non obuenit, et fere contagionem veneream ſubfuiſſe ſuſpicarer, niſi Tua fides obſtaret et medicus quidam Cellenſis exemplum Tuo ſimile ſe obſeruaſſe mihi narraſſet.

Haud infrequentia autem exempla eaque grauiſſima mihi occurrerunt aegrorum, in quibus arthritica materies in contentas peluis partes, nominatim veſicam lotii et glandulam proſtatam, ſeſe coniecerit. Reminiſcor inter alios viri 60 vel 70 annorum, qui ex hacce cauſa in ceruice veſicae tam moleſtum pruritum ſenſit, vt ſaepe ſubito ex lecto exſiliret et ambabus manibus glandem fortiter comprimere et fricare cogeretur, dyſuria ſimul affectus fuit et ſaepe catheteris applicatione indiguit. Valde crebra

*) *Kongl. Vet. Acad. nya Handlingar 1780. p. 129. ſq.*

crebra apud nos est suppressio vrinae perfecta ex prostata intumescente, id quod ex sectionibus quoque cadauerum quinque vel sex didici. In quo malo etiam saepe suspicio mihi enascitur, quod haemorrhoides, et materia arthritica cum iis crebro coniuncta primam huic indurationi ansam praebuerint. Raro autem aliud auxilium, quam mercurius, opem tulit, et huius adiumento in connubio balneorum rel. etiam praeterito adhuc anno virum militarem superioris ordinis (Maior) manifesto vitae periculo eripui. Explorata nimirum mox sub primum suppressionis insultum prostata per intestinum rectum, haec magnitudine ouum anserinum retulit, lotium simul perpetuo turbidum fuit et mox deposuit, non vt in haemorrhoidariis consueuit, sedimentum mucosum, sed pus flauidum. Sed nunquam haec materies absque vrina comite profluxit, vt ideo in illam gonorrhoeae nomen non caderet.

Quum autem viro experientissimo dubium mouerem, anne induratio prostatae in tanta frequentia, cuius meminit, potius a fomite venereo, quam materia arthritica vel haemorrhoidali causa profecta fuerit, sequentia regessit:

Ingenuus fateor, hoc difficile fuisse ad dirimendum. Etenim malum diuturnae plerumque durationis fuit. Senes semper sunt, in quibus hasce indurationes deprehendo, quos quidem non omnino a peccatis iuuenilibus absoluerem. Verum

quoque

quoque perſuadeor, ex gonorrhoea ſimplici ante triginta pluresue annos concepta prima ſua incunabula trahere poſſe. Quae ipſa tamen ad indurationes proſtatae propenſio non prohibebit, quin et iidem aegri aliquando arthritide vel haemorrhoidibus laborarent, et ſic vetuſtum malum cum nouo ſeſe combinaret, et complicatione pertinacius vel periculoſius euaderet.

§. 19.

Celeberrimo LENTIN, Medico Regiae aulae et Phyſico Luneburgenſium meritiſſimo, debeo caſum, m. Octobri anni 1785. mecum communicatum. Eſt quidem hic:

Vir 63 annorum, qui poſt finitam expeditionem bellicam ſeptennem diaetae legibus conuenienter vixerat, attamen doloribus arthriticis et furunculis obnoxius, inde ab aliquot annis ob fruſtra conceptas ſpes et praemia pro officiis fide praeſtitis neglecta moeroris latentis ſenſum perpeſſus erat grauiſſimum, appropinquante autumno pluribus eiusmodi mutuo ſeſe excipientibus tumoribus poſt praegreſſos dolores arthriticos correptus eſt. Nouiſſimus vero poſticam colli partem occupauerat. Hic quum in vigore ſuppurationis eſſet, ad ſodalitium aeger inuitatus eſt, cuius conſortes liberalius poculis indulſerunt, vnde et ille tantum potui dare coactus eſt, vt inebriatus domum duceretur. Excandeſcendi autem ira cauſa inter pocula adfuit perpetua. Biduo poſt accerſebar, vt ob

ſtrangu-

ſtranguriam vehementem, quae ſimul deiectiones aluinas et flatus interciperet, opem ferrem. Recurrit mihi tum in memoriam, eum hieme praeterlapſa ſimili vitio laboraſſe, quod ſeceſſu materiae puriformis per aluum tum breui ſeſe terminauit. Praeceſſerat autem iam recidiuum hocce malum priapiſmus nocturnus moleſtiſſimus absque voluptatis ſenſu vel absque lotii accumulatione, qua colis labe ille etiam aliquoties antea detentus fuerat. Abſceſſus ad collum enatus opinione citius coaluit. Quo adueneram die praecepi mixturam ſalinam ex arcano duplicato et nitro, ſolutis in emulſione amygdalata tenui, item ptiſanam ex radicibus Graminis et Taraxaci copioſe bibendam; poſtridie autem mane Manna aluum ſubducendam curaui. Ex hiſce quidem ſuppetiis licet aliquod leuamen ſenſiſſet: recruduit tamen ſtranguria priſtina vehementia. Vnde petroleum perinaeo inungi, et balneum vaporum admitti iuſſi, quorum et auxilium promtum eatenus fuit, vt copia lotii conſpicua emitti poſſet: ſed breui nimis duratione. Accidit ſub inunctione huius olei, vt ichor puriformis (eiteraehnliche Jauche) ex vrethra inde a perinaeo protrudi premendo poſſet. Quod experimentum etiamſi crebrius iteraretur, nunquam tamen materies defuit. Exploratione ani per digitum nihil alieni repertum, nec vnquam haemorrhoidibus aeger laborauerat. Noua lotii interceptio catheteris applicationem ſuaſit, qui ipſe tamen neutiquam in veſicam deferri potuit. Itaque vlceris veſtigia nulla potuerunt inueniri. Regio ſupra veſicam

tenſa

tensa quidem et dura sed non valde dolorosa exstitit. Increuit iam febris. Hinc venae sectionem iniunxi, vesicatorium loco antea exulcerato imposui, et aquam Selteranam cum emulsione amygdalina potandam exhibui. Sanguis crusta viridi flaua obductus comparuit. Clysmata, quicquid moliretur chirurgus, ob impedimentum ignotum illi obnitens applicari non poterant. Impositum meo consilio cataplasma Goulardi cum camphora vesicae, antea linimento volatili perunctae, aliudque emolliens perinaeo. Aluo per pulpam Tamarindorum soluta, et mixtura ex sale ammoniaco et nitro per diem data, vesperi Laudani octo guttas exhibui, et corpus bene tegendum suasi. Proposueram mihi postridie mane iterum sanguinem mittere, sed mutaui tum consilium, quoniam pulsus desederat, velox et debilis erat, et facies nonnihil collapsa.

Iam absque frictione maior quantitas ichoris supra dicti puriformis ex vrethra prodiit. Mictio liberior euasit. Quum deiectiones aluinae tantopere foeterent, et vires tam manifeste collaberentur, decoctum ex cortice peruuiano cum Tamarindis et oxymel minerale propinaui. Sed omnia vana, viribus vtpote coram euanescentibus. Decessit de vita d. 16. Octobris per integrum fere diem antea mentis vsu priuatus.

In cadauere omentum fere omnino ſub ventriculo delituit, viſcera omnia ſana reperta, excepta veſica lotii, quae omnino inflammata, et valde turgida comparuit. Lotii fere libra vna per vrethram exprimi potuit, et ſub finem vnciae circiter tres profluuii puriformis in conſpectum venere. Poſt ſectionem veſicae quatuor fere vnciae eiusdem ſpongia eximi potuerunt. Superficiem eius internam pallide rubram, externam autem plane inflammatam deprehendi, attamen inflammatio neque in inteſtinum rectum, neque in alia inteſtina ſeſe diſperſerat. Contra ea membrana, peluim interne ſuccingens, antrorſum et ad latera, et vaginae vaſorum ſpermaticorum, vna cum internis inuolucris ſcroti, vti et tela cellulosa perinaei, in inflammationis communionem intrauerant. Extrinſecus tamen in ſcroto nulla eiusdem nota adfuit. Vrethram totam vsque ad veſicae collum diſſecandam curaui, ſed nulla purulenta collectio ibidem ſeſe manifeſtauit. In vniuerſum nullibi pus quam in veſica ipſa comparuit, nec vllibi macula ſphaceloſa.

Nonne hoc caſu materies arthritica, quae alias forma furunculorum conſpicua eſſe ſolet, immediate ex ſanguine ſecreta et huc translata fuit? — fortaſſis iam ante inflammationem veſicae, et probabiliter et praeſente inflammatione?

Et

Et haec quidem ille.

§. 20.

Subſequens narratio m. Auguſto a. 1785. mihi miſſa auctorem habet cl. F. H. BRÜCKMANN M. D. quem olim egregium auditorem dilexi, iam, inter optimas ſpes et exempla felicis artis in vrbe Brunſvicenſi exercitii, febre putrida mortalibus nuper ereptum lugeo.

Vir 62 annorum, habitu corporis tenuis ſed mente alacris, inde a multis annis alui obſtructione laborauit, adeo pertinaci, vt vix vnquam absque artis auxilio eadem ſuccederet. Ante binos annos quoque affectiones varias diriores hypochondriacas perpeſſus eſt, diuque obſtinata pſorophtalmia eum male habuit. Quae omnes moleſtiae vſu commodorum remediorum et diaetae rigore obſeruato omnino conticuerunt, excepta tarditate alui, quam laxare quotidie apta medicina etiamnum opus eſt. Sed medio circiter Februario h. a. alia incidit ſcena, quum aeger, qui antea ſubinde catarrhis et rheumatiſmis correptus fuit, ex refrigerio, quantum apparet tempeſtate aduerſa concepto, ſubito teſtem doloroſum et tumidum cum motibus febrilibus contraheret.

In naturam huius mali ſollertius inquirenti mihi enarrauit aeger, ſe iuuenili aetate ſemel go-

norrhoea intempeſtiue ſuppreſſa laboraſſe, et inde ab eo tempore teſtem ſiniſtrum dextro fuiſſe maiorem, et, quum vrethrae anguſtatio lotii viam praecluderet, cereolos crebro applicandi neceſſitatem adfuiſſe. Sequenti quoque tempore lotii ſuppreſſio ſerio aegro moleſta fuit, huicque vt ſubueniret, tum nonniſi chordam tenuem ex inteſtinis paratam melle oblitam per breue tempus in vrethram immittere ſolitus eſt, eo ſucceſſu, vt lotium paullo poſt nec aegre manaret. Mox poſt malum deſcriptum in teſte ortum adhibita ſunt epithemata calida ex herbis diſcutientibus, et ingeſta per os remedia refrigerantia et blande aluum moventia. Increſcentibus autem doloribus poſt aliquot dies, et aegro valde de doloribus dorſi, torminibus et tenſione perinaei, conquerente: praeter cataplaſmata abdomini impoſita et fomentationes partium genitalium, in auxilium capta ſunt clyſmata, venae ſectio, et veſicatoria ſuris impoſita. Hiſce et mox tam febris quam dolores euanuerunt, accedente ſudore fauente. Nullum vero cibi appetitus decrementum ſenſit. Poſt decem dies tumor per protractum vſum herbarum diſcutientium, quibus ſapo venetus largius admiſcebatur, conſpicuum in modum deminutus exſtitit, iamque ſuſpenſorium commodum applicabatur. Sed non multo poſt rediit mingendi difficultas, qua ipſa ſanguinis exagitatio et inquietudo ſuſcitata, contra quae mala chordae memoratae per aliquot minuta temporis iterum immiſſae. In eundem finem et ad ſtaſin in

in vafis fpermaticis tefticuli refoluendam, vti et ad emendandam acrimoniam fanguinis in vniuerfum, praefcriptae funt pilulae ex fapone veneto, refina Guaiaci et extracto Aconiti, quae ipfae praecipue mictionem adiuuarunt, pofteaque chordis iltis amplius non opus fuit.

De lotio adhuc monendum habeo, quod fedimento infigni inftrui foleret, et copiam filorum natantium confpectui offerret.

Quoniam tamen intumefcentia teftis rediit, quae nominatim praeterito menfe iterum valde increuit, fedulo reuertimus ad fomentationes difcutientes cum fapone, vnde quidem poft aliquod tempus iterum detumuit teftis, fed leuis tamen epididymidis et funiculi fpermatici induratio fuperfuit. Exhibitae igitur ad hanc foluendam pilulae mercuriales cum fapone veneto fub commodo corporis regimine. Inde ab aliquo tempore acrimonia teftem finiftrum reliquit, et iam dexter eodem gradu intumuit. Et hac quidem ratione abditum malum ex vno loco in alium vagatur, fub quo circuitu faepe annulus abdominalis intumefcit et dolores lancinantes patitur. Praeter fignificata remedia per aliquot hebdomades pediluuia ex feminibus Sinapi, et poftea balnea ex fonte quodam vicino fulphureo, adhibenda curaui.

Verum hactenus curatio non constans fuit, adeo vt, vel hisce diebus tumor, detumescente denuo teste sinistro, in dextrum transierit; vnde vesicatorium femori impositum et reliqua externa dicta in auxilium haud sine promto auxilio tracta. Ptisanam ex stipitibus Dulcamarae pro potu simul praecepi. Constabit olim, anne effectus in posterum plus constantiae habiturus sit.

XXIII.

SVCCI ALOËS AMARI INITIA

SVCCI ALOËS AMARI INITIA. *)

§. 1.

Aloës genus praeter ſpecioſum habitum nobilitat ſuccus iſte inſigniter amarus gummi reſinoſae naturae, qui ex foliis quarundam ſub eo militantium ſtirpium ſauciatis exundans, et caloris ope denſatus, in varium medicum ſcopum, ſub varia forma et praeparatione, adhibetur. Optio inter plures plantas in colligendo iſto data eſt, prout alia exempla in cenſu medicaminum exſtant ſuccorum, natura ſimilium, ſed quoad originem diſparium; quorſum Sanguis Draconis, gummi Euphorbii, ſuccus Catechu, Camphora, gummi Arabicum, gummi Guttae, pertinent; nec errare mihi videor, ſi illuc et Cautſchuc ſiue reſinam elaſticam referam. Hiſce diuerſis eorum natalibus merito diuerſos integritatis et efficaciae gradus adſcribas, ita vt vel inde appareat, quantum interſit medici, ſpeciem, cui optimum pharmacum debeatur, rite noſſe, et hiſtoriam medicamenti, vtut chemica analyſi et virtutum medicarum recenſu ornatam, ignorata ſpecie capite quaſi deſtitui. Dolendum, hoc vitio hiſtoriam Aloës adhuc laborare, quod infra vberius exponam, poſtquam occaſione

 ſpeciei

*) Progr. ſub finem a. 1785. editum.

ſpeciei ſingularis, quae huius cenſus eſt et quam prolixius deſcribere hic animus, de genere ipſo quaedam momenta praemiſerim.

§. 2.

Haud parum difficultatis hocce olim botanicis peperit, nec ſerius ſtudium omnem, quae ſcrutinio ſeſe offert, tollit. Etenim licet iamiam in eo conſenſus ſit, quod genus corolla monopetala, tuboloſa, infera, et inſertione filamentorum in ipſo eius fundo pone germen absque adhaeſione ad latera, potiſſimum ab affinibus generibus diſcrepet: olim tamen non dubitarunt Agaues Aletresque ad illud referre, imo aliquot ſtirpes cognatione longe remotiores ex Yuccae et Craſſulae genere. In inſigni autem numero plantarum iſtarum, quae iure Aloës voce inſigniuntur, aegre ſubinde cognoſcitur, quae Species dicenda, quae Varietas.

Non multa bonae frugis ad cognitionem illarum attulit MVNTINGIVS ſuo *Aloidario a)*, in quo paucae modo eaeque et oſcitanter deſcriptae et minus accuratae depictae, omiſſis quarundam floribus, ſiſtuntur. Icones alius EIVSDEM libri *b)* pictoriae et ſculptoriae artis plus produnt, non vero fidei. Longe plura praeſtitit CASPARVS COMMELINVS *c)*, quippe

a) Annexo *Diſſ. hiſt. med. de vera Herba Britannica, Amſtelod. 1698. 4.*

b) *Beſchryving der Aardgewaſſen 1696. Fol.*

c) In *Praeludiis botanicis; Horti med. Amſtelod. plantis rarior. et exoticis;* et *Horto med. Amſtel. Fol.*

quippe cuius opera, verbis et figuris expreſſa, in cognitionem bene multarum ſpecierum peruenimus, licet nec illi contigerit, ſingularum flores oculis vſurpare. Reliqui botanici, excepto vno ad temporis ſeriem infra nominando, pauciores modo Aloës prolixus perſequuti ſunt, vel vnius modo vel alterius dedita opera rationem habuerunt; quorum eminet DILLENIVS *d*). TREWII *e*) de numeroſis huius generis plantis meritum in examinandis floribus ſigillatim ſubſiſtit, vt verior character generis, quam qui antea inualuerat, formaretur. Id quod et HALLERVS *f*) ſibi exſequendum propoſuerat. Omitto indices hortorum botanicorum, quorum nonnulli quidem numeroſiorem recenſum harum ſtirpium continent, ſed absque deſcriptionibus propriis concinnis in ſola allegatione nominum aliorum acquieſcentes, quorſum TILLI *Hortus Piſanus g*) BOERHAAVII *Index alter plantarum horti L. B. h*). Largior hiſce longe eſt enumeratio a COMMELINO *Praeludiis i*) ſuis praefixa, contra quam vituperium ſingulare LINNEI *k*) directum eſt, auctorem ex Aloë perfoliata tot fere ſpecies formaſſe, quot indiuidua.

Pluri-

d) In *Horto Elthamenſi.*

e) *Commerc. litt. Noric. 1744. p. 321. 345. 375.* cum iconibus *tab. 2. 3.*

f) *Enumer. plant. horti et agri Gotting. p. 70. ſq.*

g) *Pag. 6.*

h) *Tom. 2. p. 128. ſqq.*

i) *Pag. 39. ſqq.*

k) *Hort. Cliffort. p. 131.*

Plurimum adiumenti in hifce cognofcendis debemus LINNEO, Equiti, qui propriam indaginem cum aliorum tentaminibus iunxit. Initium huius negotii iam in *Horto Cliffortiano* fecerat; a quo ipfe in multis poftea in *Speciebus plantarum* deflexit; vltimam autem limam in *Syftemate vegetabilium* *l*) admouit. Auxit fpecies ab eo luftratas FORSKÅHLIVS *m*) aliquot aliis, de quarum certitudine ob breuitatem defcriptionum non fatis iudicare licet; ferius THVNBERGIVS *n*), iterum tribus, quibus quartum f. Aloën maculatam nuperrime *o*) tanquam vere nouam addidit. Vtut vero LINNEI fummi viri collocata in hoc genere determinando opera eniteat, confiteri tamen oportet, eum in reducendis quibusdam plantis inftar varietatum ad fpecies iufto fuiffe rigofiorem, id quod nominatim valet de variis fub Aloë perfoliata et Al. difticha fignificatis ftirpibus, in quibus, comparatis inter fefe floribus vel foliis, infignis difcrepantia apparet, eaque conftans, nec cultura nec aetate mutabilis. Quod ad Aloën perfoliatam attinet, non in omnibus illi fubiectis plantis flores corymbofi funt, fed in aliis racemofi, in aliis fpicati, variante fcilicet in diuerfis ftirpibus fub hac fpecie a LINNEO comprehenfis pedicellorum longitudine. Nec commode

l) *Ed. 13. pag. 278.*

m) *Flora Aegyptiaco-arab. p. 73.*

n) In LINN. fil. *Suppl. plant. p. 250. fq.* Conf. *Syft. veget. Ed. 14. p. 237.*

o) *Diff. de Aloë*, refp. ANDREA HESSELIO, *Upfal. m. Junio a. 1785.*

mode me iudice in ſpeciem vnam compingi poſſunt ſtirpes ſcapis vel pedunculis ſimplicibus aliaeque compoſitis, caulefcentes et acaules, vt ne in ſubtiliora corollarum quoad profunditatem laciniarum, in quam limbus diuiditur, figuram iſtarum, etc. deſcendam, vel manifeſtiora diſcrimina in foliis quoad proportionem latitudinis ad longitudinem, ſuperficiem, marginem, compagem, directionem, baſin etc. obuia, commemorem.

Quum itaque in hoc genere florum figurae et nominatim rationis inter pedicellorum et florum longitudinem ſ. inflorefcentiae, quam vocant, tanta ſit dignitas (quod praecipue in Syſtemate b. LINNEVS agnouiſſe videtur): moleſtum valdopere eſt, quod flores in quibusdam harum plantarum, quarum Africa tantum non omnes patriam agnoſcunt, vt fieri plerumque ſolet in exoticis ſuccoſis, quae in hypocauſtis hortorum hoſpitantur, rarius erumpant, et dum emergant, id ſaepe contingat tempore, quo non proſtent aliae ad comparationem requiſitae. Accedit aliud incommodum, quod ſub ſiccatione formam ſitumque valdopere mutent, nec ea integritate in collectionibus ſiccis plantarum ſeruari poſſint, ac aliae ſiccioris compagis ſtirpes. Laudabili igitur conſilio cel. THVNBERG, quum in Africa in promontorio bonae ſpei verſaretur, hoc quoque difficile genus floribus condecoratum ſolo natali ſcrutatus, non nouis modo ſpeciebus eruendis operam dedit, ſed et vetuſtiores iteratae curae ſubiecit, characteres limauit, pluresque ſtirpes olim

inſtar

inſtar varietatum coniunctas disiunxit ſpecierumque iure inſtruxit. Et huius indaginis fructum nouiſſime tulimus *p*). In qua quidem re arduum eſt omnibus et ſingulis botanicis pro diuerſo iudicio de partibus ad characteres ſpecificos adornandos maxime idoneis, ſatisfacere. Probe tamen nominatim, a ſpecie Aloës perfoliatae, vt in hoc maneam, aliquas Varietates Linneanas ϑ. λ. μ. ν. ſeiunctas eſſe nomine Aloës pictae, quum in hiſce flores meo iudicio corymbum forment, in reliquis racemos, folia latiora, maculis faſciata et amaritie longe inferiora ſint, quae maſticatione potius corticis eorum, quam ſuccum ſponte profluentem guſtando, cognoſcitur Aloën ſuccotrinam anguſtifoliam ſpinoſam, flore purpureo COMMEL. autem ſ. Aloën perfoliatam LINN. ξ, quam THVNBERGIVS Aloën ſinuatam tanquam peculiarem ſpeciem dixit, equidem non ſeparaſſem a reliquis Al. perfoliatae varietatibus.

§. 3.

Succi aloëtici tres ſpecies, vt notiſſimum, officinae pharmaceuticae ſeruant, Aloën ſcilicet ſuccotrinam, hepaticam et caballinam, quae quidem colore, odore, ſapore, duritie, puritatis gradu, differunt. Sunt qui diſcrimina haec a praeparationis diuerſo artificio repetunt *q*); alii, vt COMMELINVS *r*) et poſt eum LINNEVS *s*) cum multis aliis

p) *Diſſertatione* modo citata, quae *pagg. 14* comprehendit.
q) JO. BAVHINVS in *Hiſtor. plant. vniv. Tom. 3. p. 697.* SPIELMANNVS in *Mat. med. p. 626.*
r) *Praelud. p. 46.*
s) *Mat. med.*

aliis ſingulos ſuccos tribus diuerſis ſtirpibus tribuunt, ita tamen vt iſte non dubitet, ex aliis ſpeciebus huius generis amaro ſucco ſcatentibus Aloën colligi poſſe, hic vni, Al. perfoliatae varietati, quam Aloën *veram* vocat *t*) et cui nomen Aloës vulgaris C. B. adiungit, praerogatiuam tribuat.

Igitur primum de plantis, quae ſuccum iſtum largiantur, dein de modo eundem eruendi et ſeruandi, tum de variis, quae ad naturam eius et patriam pertineant, diſpiciamus: vnde patebit, quousque in eius cognitione hactenus peruentum fuerit, et quid adhuc in deſideriis votisque circa hiſtoriam eius remaneat.

Fateor cum aliis haud paucis, me Aloën iſtam perfoliatam veram LINN. ſ. Aloën vulgarem C. B. non ſatis noſſe, nec ſummum virum poſt editum *Hortum Cliffortianum* diagnoſin eiusdem vllo modo leuaſſe. Nec ſitim reſtinxit peregregius THVNBERG, qui in *Diſſertatione cit.* huius varietatis nullibi mentionem facit. Quas MVNTINGIVS et BESLERVS *u*) de ea praeſtiterunt figuras, et quam illuſtrationis cauſa LINNEVS allegat ex *Horto Malabarico x*) ſub nomine Kadanaku ſ. Catevala, hae adeo inter ſe differunt, vt non poſſint ad eandem plantam referri. Tanto minus vero huius loci videtur eſſe ſtirps iſta malabarica, quum ibidem praeciſe ſignificetur, foliis eiusdem ſaporem aqueum ſubdulcem competere. Quae ſub nomine L'Aloës ſuccotrin

t) *Spec. pl. p. 458. Var. π.*
u) *Hort. Eyſtett.*
x) *T. II. pag. 7. tab. 7.*

trin in REGNAVLTI *Botanique* comparet icon, cui nomen dictum Bauhinianum adſcriptum eſt, ſatis quidem cum Linneana deſcriptione congruit. Auctor vero *Horti Romani y*) adeo characteris Aloës immemor fuit, vt nomen iſtud, item nomen Al. perfoliatae Gall. L' Aloës ſuccotrin, adſcripſerit Agaui Americanae. FORSKÅLIVS *z*) Aloën quandam, quam officinalem vocat, et ab Aloë vera LINN. diſtinguit, matrem ſucci Aloës ſuccotrinae officinarum exiſtimat, quod folia diffracta foetorem ſimilem ſpargerent, forma praeterea differrent. Sed THVNBERGIVS non coniectura tantum, ſed autopſia in promontorio bonae ſpei ductus optimum ſuccum Aloës *a*), ſiue, vt alibi eundem nuncupat hepaticum *b*), ex ſpecie quadam, Aloë ſpicata a ſe dicta, erui auctor eſt. Paucis modo verbis eandem in *Supplemento c*) deſcripſit, amplius in *Diſſertatione cit.* nec vllibi ſynonyma addidit, vnde ab eo primum fuiſſe exploratam, tanto confidentius colligo. In interioribus autem huius terrae regionibus nonnullos incolas ſuccum ex Aloë linguaeformi tanquam optimum et puriſſimum adhibere idem ſignificat *). Maximam tamen Aloës copiam, quae ex promontorio iſto Africae transferatur, parari ex Aloë perfoliata innuit: varietatem

y) *Vol. 6. tab. 75.*

z) *Loc. cit.*

a) LINN. *Suppl. l. c.*

b) *Diſſ. cit. p. 10.*

c) *Loc. cit.*

*) *Diſſ. de medicina Africanorum, Upſ. 1785. p. 7.*

tem quidem non denominat, ſed in omnibus hortis botanicis obuiam pronunciat *d*). Cui effato cel. SPARRMAN *e*) eatenus aduerſus eſt, quod ad *Supplementum* reſpiciat, vnde, illi de Aloë ſpicata THVNB. ſermonem eſſe, probabile.

§. 4.

An rectius ſubſequenti ſpeciei nomen Bauhinianum tribuatur, iam agite anquiramus.

ALOE ELONGATA *Mihi*.

Floruit vere anni 1784. et iterum nouiſſime elabentis anni in caldario horti botanici Aloës ſpecies, quae quidem iam dudum in eo hoſpitium habuit, ſed intra hoſce ſeptendecim annos, quibus illi praefectus fui, pluresque florentes rariores ſpecies vidi, antea non flores tulit. Inter Linneanas non deſignatam inueni, certe, ſi acquieſcendum in deſcriptione LINNEI breui et citata ab eo ex *Horto Malabarico* icone, non pro Aloës perfoliatae varietate ſ. Aloë vera π, cui adiecit, vt dixi, nomen Aloës C. B. agnoſci poteſt. Deſcribit nimirum LINNEVS hanc per *Aloën foliis confertis dentatis vaginantibus planis maculatis:* ſed in mea ſtirpe folia non maculata ſunt, ſi tenellorum ſurculorum folia eximas, nec vaginantia ſed amplexicaulia. Legens breuem Aloës ſpicatae THVNB. *f*) deſcriptionem, eandem cum

d) *Phyſiogr. Sälskapets Handl. P. I. pag. 112.*

e) *Reſa till Goda Hopps-Udden, p. 742.*

f) In LINN. *Supplem.*

cum mea ſtirpe eſſe fere crediditſem, niſi flores campanulatos vocaſſet, tantoque magis, quum mea pariter ſucco valde amaro turgeat. Sed ne quid temere agerem, imaginem florum vna cum animaduerſionibus quibusdam ſuper hac ſtirpe per litteras cel. viro miſi, ad quas regeſſit, vtramque vere differre floresque ſuae non campanulatos modo eſſe, ſed iſtis meae longe breuiores. Vix vero, arbitror, neglexiſſet, mihi ſimul declarare, meam eandem cum iſta in Africa vſitatiſſima eſſe, ſi vere fuiſſet. Quum vero alios auctores conſulerem, in quos probabili coniectura deuehi poſſem, ad duos praecipue ſubſtiti, quorum et obſeruationes et figurae probe in meam Aloën quadrant. Alter eſt ELISABETHA BLACKWELL *g*), cuius icon quidem pedunculum ſimplicem repraeſentat, quum in vno meorum exemplo diuaricatus eſſet, et ſpicam breuiorem, ſed bene corollas ringentes depingit. Alter cl. REGNAVLT, ſub nomine Gall. Aloës commun, cuius quidem figura pariter ſpicam ſolitariam exhibet, nec corollam ſatis curate quoad lacinias expreſſam, ſtigma inſuper bifidum, quod non in mea eſt. Sed in plerisque conueniunt hae imagines cum ſtirpe, de qua loquor: quo autem iure vterque adſcripſerit nomen Aloës vulgaris C. B. non dixerim: certe icones aliorum in Blackwelliano opere citatae, praeter Trewianam *h*), non ad illam, quae ibidem depingitur, applicari poſſunt; et REGNAVLT tanto audacius nomen BAVHINI illi addidit, quum idem illud

g) *Herb. tab.* 229. Ed. TREW.

h) Ex *Commercio Norico.*

illud iam tribuerit alii ſpeciei Aloës, quam Aloës ſuccotrin vocat. Adiuncta ab iſto deſcriptio parui momenti eſt; maioris ponderis eſt illa ab editoribus Blackwelliani operis expedita, quamuis characterem non expleat. Anne autem ab hacce ſtirpe vere in vſum officinarum ſuccus natali loco, vel quocunque per culturam transmigrauit, colligatur, ſub defectu deſcriptionum, qui hactenus inualuit, nonniſi a peregrinatoribus fidis extra omne dubium poni poteſt. Ita eſſe varia ſuadent, ſcilicet praeter copiam ſucci amari, quo turgent folia, et experimenta mea cum eodem infra (§. 11.) ſuppeditanda, ſtatura inſignior, quae tamen ſub dio in climate calidiori non poteſt non praeualere; cl. BROWNE *i*) praeterea Aloi in Jamaica vſitatae ſpicam (non racemum vel corymbum) adſcribit; et cl. HVGHES *k*) floribus Barbadenſis plantae, ob ſuccum amarum inclytae, colorem flauum tribuit notatque aliquando caulem floriferum bifurcari. Quicquid ſit, magis exactam, quam quae hucusque prodiit, delineationem meretur, ex qua ſimul conſtabit, non poſſe tanquam varietatem Al. perfoliatae conſiderari, ſed in dignitatem peculiaris ſpeciei euehi debere. Sequentibus igitur notis inſigniatur:

ALOË *floribus ſpicatis tubuloſo-triquetris ſubringentibus oblique dependentibus, foliis agregatis dentato-ſpinoſis.* MIHI.

i) *Nat. Hiſtory of Jamaica p. 197.*

k) *Nat. Hiſtory of Barbados p. 154.*

ALOË *n. IX.* TREW in *Comm. nor.* 1744. *p.* 324. *tab* 3. *fig.* 18-21., vbi modo ſpica et flores ſingulares repraeſentantur.

ALOË *vulgaris;* BLACKWELL *Herb. Ed.* TREW *Cent.* 3. *tab.* 229.

ALOËS *commun;* REGNAVLT *Botanique* cum *fig.*

Figuram propriam, quam adornare elegantem curaui, in aliud opus ſeruo. Epitheton illi dedi ob ſpicam longam cylindrico-pyramidalem. Haec forma illi, dum vegeta eſt, competit, ſenſim vero breuior apice latiori euadit, pereuntibus et cadentibus inferioribus floribus, vnde diuerſitas figurarum. Floruit a medio m. Martio ad finem Aprilis.

Radix fibroſa ſubacidi ſaporis, non amari, fibris mox calamum craſſis, mox exilioribus. Craſſiores ſpargunt copiam fibrillarum ſub angulo plerumque recto.

Truncus fere ſpithamaeus, ſeſquipollicem craſſus, teres, obliquus, annulatus ex reliquiis foliorum tam circulis prominulis quam cingulis albidis, apice foliiferus.

Folia aggregata, quaquauerſum diſperſa, contigua, amplexicaulia, ſed non vaginantia, bipedalia, oblonga, ex baſi lata ſenſim attenuata, carnoſa pulpa molliori, baſi craſſiſſima et plana, dein concaua, tum canaliculata, apice oblique flexo compreſſo denticulato-ſpinoſo, margine ſinuato-dentata, dentibus terminatis in ſpinam compreſſam

apice

apice brunam rectam, glauca sed non maculata; superiora patentissima et recta, media horizontalia, infima dependentia, altero dimidio apicem respiciente reflexa.

Surculi foliiferi ex radice plures maculis albidis paucis oblongis.

Pedunculus ex centro foliorum congestorum oblique emergens, strictus, subangulatus, purpureo-viridescens, sesquipedalis, basi subcompressus, ibidemque altero margine crista subcartilaginea notatus, infra nudus, supra bracteatus, vel simplex vel diuaricatus apice in duos ramos spiciferos, et vbi floribus contegitur, sulcatus.

Bracteae latae, acuminatae, amplexicaules, albido-flauae, lineatae, persistentes, marcidae, adpressae in summa pedunculi parte, item sub singulis pedicellis, vbi concaui reflexique.

Spica pedalis, cylindrico-pyramidalis, terminata congerie bractearum marcidarum, constans ex floribus numerosissimis approximatis, dum dependent, contiguis.

Flores ante explicationem horizontales, dein oblique dependentes.

Pedicellus vniflorus, teres, lineam circiter longus, basi latior, per articulum flore iunctus, patens.

Calyx nullus.

Corolla monopetala, pollice longior, extus pallide lutea lineis viridibus, interne albida, tubulo-

bulofo - triquetra angulis binis fuperioribus, vno inferiori prominulo et acutiori, ex bafi breuiffima angufta ventricofo - teres, ad duas tertias diuifa in fex lacinias lanceolatas erectas alternis latioribus et paulo longioribus apice nonnihil reflexo, in formam corollae ringentis difpofitis, ita vt tres furfum, duae ad latera, vna deorfum, collocentur. Singulae harum lineis tribus viridibus medio pictae, originem ex bafi corollae feorfim trahentibus et pone apicem laciniarum conuergentibus. Corolla diffecta intus polypetala apparet ex laciniis latioribus, margine vsque ad bafin folutis. Scatet copia nectaris in guttas magnas depluentis et folia inquinantis.

Genitalia extra corollam longe prominentia, bafi inflexa.

Stamina fex, quorum tria maiora cum tribus minoribus fed inaequalibus fitu alternant. *Filamenta* bafi corollae inferta, fubulata, deorfum albido - lutea, compreffa. *Antherae* oblongae, incumbentes, coloris aurantii.

Piftillum vnum, ftaminibus fere aequale. *Germen* obouatum, obfolete triquetrum, fexfulcum, fuperum. *Stylus* cylindricus, verfus apicem flauidior. *Stigma* non diftinctum, fed ftylus in extremo coarctatus in apicem obtufum.

Fructus non maturuit. Sed iam ex germine conftitit, effe capfulam trilocularem multis feminibus refertam.

Animad-

Animaduersiones.

Plura huius ſtirpis exempla poſſidet hortus Reg. botanicus, nam ex radicibus ſurculorum crebra pullities, qui terrae infixi facile adoleſcunt. Sed vnicum modo exemplar idque procerius et robuſtius poſt tot annorum moram floruit idque duobus ſeſe ſubſequentibus annis, quod tanto gratius fuit, quum primo anno pedunculus eſſet bifidus et duas conſequenter ſpicas ferret, altero ſimplex et monoſtachyos; quod niſi contigiſſet, fallax facile character euaſiſſet. Scilicet pedunculus primo antheſeos anno diuaricabatur apice in duos ramos, quorum vnus longior et craſſior truncum ſub angulo valde obtuſo quaſi continuatum ſiſtebat, alter exilior et lateralis. Qui hunc excipiebat anno poſt pedunculus monoſtachyos angulum obtuſiſſimum verſus ſpicae baſin formabat. Si igitur in prius dicto pedunculo mente demas ſpicam alteram minorem et lateralem cum pedunculo, omnia ſimilia ſalua plantae integritate habebis. Videtur tamen ſimplicior ſtructura vulgatior eſſe, nam ea ſimplicitate BLACKWELLIA et REGNAVLTVS hanc Aloën depingunt, et cl. HVGHES de ſua, vt ſupra dictum, aliquando modo pedunculum bifurcari narrat.

Proxime venit Aloi perfoliatae LINN. β. Sed folia in hac minora proportione, anguſtiora, magis reflexa, vaginantia in formam infundibuli, baſi diſtantia et truncus pluribus pedibus altior, nec perpendicularis ſed contortus vel volubilis. Vtriusque folia valde amara cum halitu graui. Praeferri

ferri me iudice pro collectione ſucci Aloë elongata meretur, quum ampliora folia gerat, hinc plus ſucci eroget.

§. 5.

Sapor tamen foliorum ſtirpium huius generis non in vniuerſum amarus eſt. Qui comparare guſtu plures huius generis plantas vna ſerie cupit, ad ſubito delendam moleſtam amaritiem commodiſſime ſcopo potietur, colluendo os primum tantillo aceto vini, dein aqua. Ita mox perit amarities, nec acor remanens ſub nouo experimento fallit. Hocce praeſidio vſus exploraui Aloës diuerſas in horto botanico obuias. Et probo, ſedulo a COMMELINO et ſaporis plantarum huius generis a ſe deſcriptarum rationem eſſe habitam. Id tamen notandum, in quibusdam compactioris ſtructurae, licet ſuccus exundans vix amari ſenſum linguae inprimat, maſticatione tamen corticis foliorum amaritiem percipi, vt in Aloës diſtichae varietatibus diuerſis, quae tamen ſtirpes nullo modo ſucci collectioni aptae ſunt habendae.

Ita ſuccum inſipidum vel ſubſalſum vehunt Aloë ſpiralis L. Aloë retuſa L. Aloë pumila α, margaritifera β, ſ. africana margaritifera COMMEL. δ, arachnoidea; dulcem Aloë viſcoſa L.; ſubdulcem Aloë variegata L.; initio nonnihil amaricantem, ſed mox dulcem Aloë humilis L. ſ. var. ο, perfoliatae EIVSD. Amaritie autem praeprimis inſtruuntur Aloës iſtae variae, quae Al. perfoliatae nomine

veniunt,

veniunt, ſub ea tamen reſtrictione, qua THVNBERGIVS vtitur, ſeiunctis nimirum variis Linneanis varietatibus in aliam ſpeciem, quam Aloën pictam vocauit, quae amaricantes modo ſunt et exiguum modo ſucci per vaſa corticis foliorum transmittunt. Aloës diſtichae L. varietates complectuntur partim plantas amaras, quorſum var. β. ſ. Aloë folio maculis albicantibus ab vtraque parte COMMEL. cuius ſuccus valde amarus et foetidus eſt, et var. ε. ſ. Aloë plicatilis L.; partim inſipidas, quorſum var. γ, ſ. Aloë folio triangulari et verrucis albicantibus COMM. item var. δ, foliis planis verrucoſis MART. Ceteris vix cedunt amaritie Aloë ſinuata THVNB. ſ. Al. perfoliatae L. var. ξ, quae eſt Al. ſuccotrina anguſtifolia COMM.; Aloë ſpicata THVNB.; Aloë linguaeformis L.; et Aloë elongata MIHI.

§. 6.

Male autem vulgo intelligitur amarities foliorum, dum eandem in tota eorum compage quaerunt, quum contra ea modo in parte corticali viridi, ſiue tenaci iſta membrana craſſa externa, quae in foliis Aloës elongatae quartam circiter lineae partem efficit, contineatur. Haec ſuperficie interiori amplis vaſis inſtruitur, quae in recenti ſegmento transuerſim facto punctulis quidem diſtinguitur, manifeſtius vero, quum in eiusmodi ſegmento ſuccus ſpiſſeſcit, ſicque ſimul profundiorem colorem adipiſcitur; vel in iis ſtirpibus, quibus ſuccus profundioris coloris eſt. Parallelae haec per longitudinem folii decurrunt, vt per pelluci-

dam pulpam mediam ſub ſitu obliquo diſſecti folii facile cognoſcitur. Ex hiſce vaſis reſectis funditur limpidus tenuisque latex. Aſt, quum ſibimet tam proxime ſita ſint, plures guttulae mox confluunt vnaque deſtillant. Vaſa haec remotiora deprehendi in ſpeciebus, quae blandioris ſunt ſucci vel amaritie omni deſtitutae. Reliqua pars media folii pulpam conſtituit albam pellucidam aquoſam vel viſcoſam inſipidam, cuius liquor aliquando in longa fila trahi poteſt. Similiter ſeſe rem habere in pedunculo deprehendi, quippe in cuius corticali velamine et in hoc vnice vaſa ſimilis naturae et ſucci obſeruaui; vnde verum reperi, quod PLINIVS *l*) indicat, quosdam ſuo tempore et caulem ante maturitatem ſeminis incidiſſe ſucci gratia.

In horum vaſorum natura ratio vulgaris ſuccum colligendi modi, qui apud barbaros obtinet, continetur, dum ſcilicet non vi inſigni illum excutere tentant, ſed ſponte exundare ſinunt; ſimulque patet, alia conſilia, quae in fruſtula foliorum diſſecta prelo ſubmitti ſuadent, eſſe vana, et proportionem, quam inter gummoſas et reſinoſas partes ſucci probi eſſe conuenit, turbari.

§. 7.

In collectione ſucci aloëtici conſueta ad duo momenta reſpicias, alterum, quo ſuccus prolicitur, alterum, quo in ſiccam molem denſatur.

Quod ad prius attinet, in plerisque artificium apud diuerſas iſtas gentes, quarum clima calidius ſolum-

l) *Hiſt. nat. Lib. 27. c. 4. p. 1194.* Ed. DALECH.

ſolumque vel ſpontaneum prouentum vel culturam ſub dio concedit, vſitatum conuenit. Scilicet, vt tanto plus Aloës lucrentur, eliguntur ſtirpes procerae, quarum folia valde ſuccoſa; et in Africa quidem per totum annum huic negotio indulgent, perſuaſi tamen tempore anni pluuioſo vel paullo poſt vberiorem ſuccum proſtare et tempeſtatem ſerenam et tranquillam praeferendam procelloſae. Folia tum ſuccoſiora, ad baſin vbi craſſiſſima ſunt, praeciſa vel in dolia ſitu erecto collocantur, vt quidem in inſulis Barbados *m*) et Jamaica *n*) fit, vel ſupra grandius folium ſubſtratum, quod receptaculi vel canalis vices gerit, ſitu decliui vtrinque ad numerum decem duodecim et plurium, vnum ſupra alterum ponuntur, qui mos in promontorio bonae ſpei *o*) inualuit. Vt qui adhuc intra folia latet ſuccus abundantius profluat, antequam auferantur, per manus folia transmittunt.

Succo ſic prolicito, ad eundem denſandum accedunt, ſed diuerſa encheireſi. Optima ſine dubio haec eſt, quod intra vaſa lignea plana nec alta caloris ſolaris adiumento ad iuſtam craſſitiem exhalet, vnde et in Jamaica haec Aloës ſpecies ſummo in pretio habetur. Quum vero lente ſic res procedat, ibidem pro vulgari Aloë folia ſingula praeciſa in fruſta diſſecantur et ſic in vaſa, qualia deſcripſi, proiiciuntur, vt ſuccus ſponte exundet,

m) HVGHES *l. c.*

n) BROWNE *l. c.*

o) THVNBERG et SPARRMAN *ll. cc.*

exundet, quibus factis manibus ille vlterius exprimitur, tumque iste aquae tantillo mixtus coquitur. In promontorio bonae spei succum ex integris foliis elicitum absque additamento aquae coctione densant. Inspissatio continuatur, donec guttula laminae instillata solidescat vel non amplius destillet a bacillo, dum attollitur, sed frigefactus frangatur. Sub coctione saltim Capenses in superficie haerentes sordes despumant, sed colationem non praemittunt. Dum eousque res peruenit, infunditur succus immediate, siue post refrigerationem in alio vase, vel in cucurbitas amplas vel loculos ligneos, quo vlterius densetur, ibidemque pro vsu seruetur. Hac ratione ex tribus partibus succi fluidi vna solidi remanet. Quem ipsum Jamaicenses in massis pintam vnam ad viginti gravibus, Capenses autem ponderosioribus plerumque trecentarum quadringentarum vel quingentarum librarum, transmittunt. Aliam quidem adhuc encheiresin proponit JO. BAVHINVS *p*), quod scilicet folia in frustula dissecta et contusa per 25 dies in vase retineantur, sub qua mora spumam attolli innuit inutilem et abiiciendam, reliquam vero succi partem rite pro diuerso puritatis gradu segregatam seruari. Non vberiorem autem prouentum succi fieri ex concisis foliis hisce noscunt rustici Africani, qui tamen in eo mihi lucro suo obstare videntur, quod plagas foliorum sectas aurae calidae vi exponant, vnde iusto praecocius exsiccatus succus orificia vasorum praecisorum claudit, quum contra ea

p) *Hist. plant. T. 3. p. 697.*

ea ſecundum morem in inſulis americanis receptum continuo ad iacturam ſucci perfectam vsque ſuccus primum exſtillans alium nouum riuum poſt ſe trahat.

Varii itaque hactenus propoſiti modi praeparationis ſucci huius ſunt, pro quorum diſcrimine, etiamſi planta ſit vna eademque, iſte non poteſt non notis §. 3. ſignificatis, imo virtute, variare. Alia igitur eſt natura Aloës ſponte exundantis, alia coacte ex foliis diſſectis et conquaſſatis erutae, alia, ſi ſuccus ſole denſatur, alia rurſus, ſi id fit coctione, quae, quo fortiori igne perficitur, tanto facilius empyreuma contrahit, iacturam odorarum partium patitur et, vt in quolibet alio ſucco inſpiſſato contingit, tanto profundiori colore tingitur; alia, ſi ſordes coctione aſcendentes demuntur, alia ſi absque deſpumatione denſatur. Adde admiſceri aliquando aliena ponderis augendi cauſa a lucro intentis hominibus, de qua fraude iam conqueſtus fuit DIOSCORIDES, Gummi vel Acaciae miſcelam redarguens; prout in Belgio aliquando ſuccum Liquiritiae addi nouimus *q*).

§. 8.

Fallacia iſta tria nomina vſitatiſſima ſunt, quae aloëtici ſucci ſpeciebus in officinis imponuntur, dum alter e. c. illam Aloën hepaticam vocat, quam alter ſuccotrinam, et conuerſa vice. Quis iisdem primus vſus fuerit, non dixerim. HIPPOCRATES et

 THEO-

q) FERBER *n. Beyträge zur Mineralgeſch. Vol. I. p.* 366.

THEOPHRASTVS ERESIVS Aloës plane non mentionem faciunt. Crebro eam memorat CELSVS *r*), qui omnibus catharticis eam miſceri iubet, ſed absque epitheto vel diuerſitatis illius notis in medium productis. DIOSCORIDES *s*) tamen duas ſignificat, alteram eamque primariam, quae, vt interpretis, SARACENI, verbis vtar, ad iecinoris imaginem vergit, ſubflauam, friabilem, quae facile humeſcit; alteram viliorem nigram, fractuque contumacem, arenoſam. Subtiliores fuerunt Arabes, qui a patria ſibi nota, h. e. variis Aſiae regionibus, ſpecies effinxerunt, quos inter AVICENNA *t*) ſuccotrinam tanquam meliorem nominat. Nullibi vero apud hoſce nomina cetera vulgaria occurrunt, vt adeo ſubſcribere nequeam aſſerto meritiſſimi SPIELMANNI *u*), haecce ab Arabibus inuenta eſſe. Nec notae tam faciles ſunt, quibus ſingulae inter ſe diſtinguantur, ac vulgo putatur. Si tamen illae a cl. LEWIS *x*), viro alias in eiusmodi rebus haud mediocris grauitatis, traditae valeant: Aloi ſuccotrinae, quae cenſetur optima, competit color flavido-ruber, in purpureum inclinans, ſed poſtquam in puluerem redacta fuerit, aureus, ſuperficies ſplendens, friabilitas, ſapor cum amaritie aromaticus, odor myrrham quodammodo referens, et nonnihil pellucida eſt; hepatica autem diſtinguitur

r) *Ed.* KRAVS. *p. 84.*
s) *Mat. med. Lib. 3. cap. 25.*
t) *Oper. Ed.* VENETI *Lib. 2. tract. 2. cap. 66. p. 105. b.*
u) *Mat. med. p. 626.*
x) *Experim. Hiſtory of the Mat. med. Ed. 2. p. 31.*

guitur colore profundiori, ſuperficie non tam ſplendente, compage firmiori nec ita tranſparente, amaritie magis nauſeoſa et odore fortiori magisque ingrato; caballinam, quae vilior reliquis declaratur, nec in omnibus officinis obuia, demum dignoſci innuit foetore ingratiſſimo: addunt alii, quod cum ſpecimine iam praeſenti conuenit, colorem longe profundiorem fere nigrum, et manifeſta ſordium et arenarum indicia, vnde et compactior et ponderoſior apparet. Id omnino verum eſt, venales iſtas tres ſpecies ſaepe differre valdopere, ſi cum aliis eiusdem nominis ex alia officina petitis comparentur, tam colore, quam aliis momentis indicatis, ita vt vix ambigam ternarium iſtud diſcrimen pro inani et inutili declarare, et eodem iure plures diuerſitates et nomina agnoſci debere ſuſtineam.

§. 9.

Facilis eſſet explicatu et expedita res, ſi remanentes in ternario numero ſubſcribere poſſemus JO. BAVHINI ſupra (verſus finem §. 6.) quoad partem ſignificatae narrationi, quod latex ex foliis elicitus ſua ſponte in tria liquida diuerſae indolis, ſtrata totidem formantia, ſeſe disiungeret, quorum ſuperius concha hauſtum et exſiccatum Aloën ſuccotrinam conſtitueret, alterum in medio conſiſtens Al. hepaticam, infimum, ſiue foecem, Al. caballinam. Aſt fontem huius narrationis nobis non indicat egregius vir, vnde fides valde ambigua in re, quae nonniſi ab autoptis teſtibus decerni poteſt.

§. 10.

Nisi igitur tota diuersitas succorum aloëticorum in praeparationis diuerso modo, qualiscunque fuerit, consistat, vel statuendum sit, eandem Aloën pro diuerso solo et climate vel aetate vel collectionis succi tempore diuersum succum suppeditare: nihil superest, quam vt discrimen Aloës a stirpibus specie vel varietate discrepantibus repetamus. Ita quidem in plerisque libris, qui medicamenta censent, factum esse deprehenditur. Et miror tantum consensum et conspirationem de vulgari succorum istorum origine obtinere, ita vt Aloë hepatica Aloi vulgari C. B. Al. succotrina Aloi Americanae ananae floribus suauerubentibus PLVCK. Al. caballina Aloi Guineensi caballinae COMMEL. adscribatur. Sollertius inquirens, qua auctoritate hoc assertum nitatur, non aliam inueni, quam coniecturam CASPARI COMMELINI *y*), qui quoad Aloës hepaticae originem vulgari opinione acquiescit, esse ex Aloë vulgari C. B. quoad ceteras autem nonnisi conuenientia saporis et odoris recentium succorum stirpium modo dictarum cum succis aloëticis siccis venalibus diuersi istius nominis trahitur. Quam lubricum hocce iudicium sit, non opus est multis demonstrare. Interim recte fatetur, etiam ex aliis Aloës speciebus succum commodum colligi posse; quod quidem nuperioribus obseruationibus supra expositis praecipue confirmatur. Ipse quoque vidi in succis a me ex variis amaris Aloës speciebus collectis colorem variare valdopere, mox esse viridi-luteum, mox rubellum, mox brunum.

§. 11.

y) *Praelud. bot. p. 46.*

§. II.

Characteres Aloi ſuccotrinae a cl. LEWIS adiudicati perapte applicari poſſunt ad ſuccum inſpiſſatum, quem praeterita aeſtate ipſe ex Aloë elongata elicui. Experimentum hoc autem repeti poteſt quocunque anni tempore, nam hieme eandem fere vbertatem ſucci ac aeſtate foliis ineſſe deprehendi. Scilicet vegeta aliquot folia ad baſin praecidi, eadem in vitro amplo cylindrico filis ſuſpendi, vnde mox profluxit ſuccus ad marginem plagae viridi luteus, fere citrinus, quem colorem chartae tenuem in modum illitus adhuc ſeruat, qui autem ſuccus in vitro craſſiorem in molem collectus rubicundus euaſit inſtar vitri antimonii hyacinthini, et ſimiliter omnino pellucidus. Odorem eundem grauem ſed non ingratum ſparſit ſiccatus, qui melioris notae ſuccis aloëticis venalibus ineſt, et eadem illi inſedit amarities. Aqua adeo frigida, modica quantitate affuſa, facile ſolui ſe paſſus eſt, non alio adiumento, quam miti agitatione vitri, et aqua inde induit colorem grate obſcure rubrum, in luteum nonnihil inclinantem, pellucidum, odorem croceum; exigua eius pars reſinoſae naturae in fundo vaſis ſolutionem reſpuit. Solutio haec magis diluta, quae colore grate carneo tingebatur, ſtatione protractiori et acceſſu aëris, prout prior, profundiorem colorem obtinuit. Alcohol vini eius tantillum modo ſoluit, ſpiritus vini tenuis autem plurimum, ſed colore badio. Calore fortiori ſeſe inflauit et flammae admota tota in cineres tenellos fugaces redacta eſt.

Conuenit hic quoque ſuccus probe cum eo, quem FABIVS COLVMNA z) ex foliis ipſe elicuit, et ſolaris caloris ope denſauit, vti et cum Jamaicenſi praeſtantioris notae, eadem arte parato. An haec Aloë illa lucida, cuius paſſim apud auctores mentio fit? Attamen et Capenſis Aloë, licet coctione denſata, in minoribus fruſtis et ad marginem pellucida, et vitrum luteo brunum referens, a cl. SPARRMAN a) deſcribitur, qui idem coniicit, Aloës ſpecies venales profundioris coloris, vt ſaturate viridis, et opacas grumoſasque, preſſione foliorum fuiſſe progenitas. Non tamen meam ſtirpem eandem eſſe, quae in Africa colligendo ſucco inſeruit, vel inde patet, quod folia plana (excepta antica parte) nec concaua ſint, vnde neutiquam vulneratis foliis pro excipiendo ſucco ſubſterni poſſunt.

§. 12.

Si denominationes deſumendae a loco, vnde hodie in Europaeas regiones ſuccus iſte transfertur, praeter Aloën Succotrinam et Barbadenſem (quo nomine quoque Al. hepatica venit), quae hodie praecipue clarent, omnino Capenſis notatu digniſſima eſt, vtpote quum in promontorio bonae ſpei hodie vberrima eius praeparatio fiat in lucrum ſocietatis orientalis mercatoriae Belgicae, cuius quidem hiſtoriam celeberrimi ciues mei THVNBERG b) et SPARRMAN c) egregie illuſtrarunt. Quod ad Succo-

z) *Ecphraſis ſtirp. p. 41.*
a) *Reſa p. 145.*
b) *Phyſiogr. Sälskapets Handl. P. I. p. 112. ſqq.*
c) *Reſa til Goda Hopps-Udden p. 742. ſqq.*

Succotrinam attinet, olim quidem ex insula Zocotra, Zoccotera vel Socotora, oceani orientalis translata fuit, hodie vero haec ipsa vox aloëtico succo per excellentiam datur, prout alia varia medicamina praestantioris efficaciae primam originem in nomine gerunt, etiamsi alius patriae sunt e. c. Opium Thebaicum, Terebinthina Veneta, Crocus orientalis, Senna Alexandrina aliaque. Etenim a cl. BROWNE *d*) edocemur, praestantissimam Aloën in Jamaica emergentem Succotrinam nuncupari.

§. 13.

Et haec quidem pro scopo et occasione praesenti. Peregrinatorum doctorum et veri cupidorum est, adiicere quae adhuc desunt in historia naturali medicamenti, iam antiquitus celebrati et multis nominibus iure depraedicandi, non raro autem praeter vulgarem opinionem vel lenta iniuria noxii. Ab hisce exspectamus, quo omnes defectus vna complectar, vt stirpes singularum regionum accuratissime definiant, ex quibus Aloë venalis transmittatur, nec verbis modo sed iconibus nouis adiectis vel aliis, si iam prostent accuratae, citatis; porro praeparationis modos exactissime describant, attendentes primum ad colorem succi liquidi ex sauciato folio exundantis, dein inquirentes, vtrum pro vsu succum sponte ex vna plaga stillare sinant, siue ex foliis in minutas partes sectis, an potius expressione eliciant; porro vtrum mox post prouentum succi eum densent, an contra stationem

d) *Nat. Hist. of Jam. p. 198.*

tionem illi quietam prius concedant, vt craſſioribus partibus prius ſubſidentibus fluidius liquidum ſeparare queant, vel et antea colent; diſpiciant inſuper, vtrum calore ſolari modo illum ſiccent an coctione cum vel ſine aqua, et ſi hac vtantur, an ſpumam prius ſeparent, nec ne, an coctio mitiori igne an vehementiori fiat, an vbiuis in eundem ſpiſſitudinis gradum eam continuent, antequam vaſis transferendis indantur; demum explorent varios Aloën adulterandi modos, additamenta peregrina tempusque miſcelae. Hiſce qui intenti ſint ſignificent ſimul mutationes ſingulas, quas pro diverſis iſtis momentis Aloë quoad colorem, odorem, ſaporem, ſoliditatem, puritatem, ſolubilitatem, ſubeant. Tum et certiora euadent ipſa experimenta in aegris capienda, quae, niſi ſuperſtruantur medicamentis integerrimae notae, iisdemque, quae inter plures artis peritos vſu veniunt, et magiſtrum et aegrum fallunt.


ERRATA


VOLVMINIS I.

Pag. 174. lin. 9. loco ileo leg. ilio.
200. lin. 10. — arthritidis — arthritis.
211. lin. 15. — mucilaginis — muci.
235. lin. 5. — fauente — fauenti.
240. lin. 2. — innotuerant — innotuerunt.
366. lin. 14. — eodem — eadem.
377. lin. 28. — tertiae — tertii.

VOLVMINIS II.

Pag. 17. not. lin. 3. loco 20. leg. 21.
33. lin. 22. loco putatitios — putatos.
153. ad citationem not. s) add. Cfr. *K. Vet. Acad. Handl.* *1776. p. 327. et p. 333.* vbi cllrum SCHEELE et BERGMAN analyſis chemica calculorum veſicae vrinariae.
344. not. lin. 4. loco morti — morte.


a
b


Fig. 1.
b
6
6
4
5
4
5
4
4
5
3
2
a
1





Fig. 2.
2
1
1
1
1


Fig. 3.
1
2
5
3
4
5


Fig. 4.
1
2
2


Fig. 6.
1
1
3
3
2
2



Fig. 5.


Fig. 7.
1
a
b
2
3
2
3
3
3
3


Fig. 8.


Fig. 9.


Fig. 10.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.



